JOH. JOACHIMI ZENTGRAVII

SUMMA JURIS DIVINI,

SIVE

ISAGOGICA INSTITUTIO DOCTRINÆ DE JUSTITIA ET JURE,

tam ex naturali, quam ſcripto Dei jure,
ad fontes juſti & recti in actionibus humanis,
& cauſæ rei proprios, ducens,

Secundum Diſciplinam

THEOLOGIÆ MORALIS, ET JURISPRUDENTIÆ
UNIVERSALIS,

in uſum Studioſæ Juventutis.

ARGENTORATI,
Ex Officina JOSIÆ STÆDELII.
M DC XCIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO, AC CELSISSIMO COMITI ET DOMINO,

DOMINO FRIDERICO ERNESTO,

COMITI A SOLMS, ET TECKLENBURG:

DYNASTÆ IN MUNTZENBERG, WILDENFELS ET SONNENWALD:

HACTENUS CONSILIARIO IMPERIALI AULICO EXCELLENTISSIMO:

Jam vero

SUMMI IN S. ROMANO IMPERIO TRIBUNALIS, QUOD WETZLARIÆ EST, PRAESIDI EMINENTISSIMO,

DN. SUO CLEMENTISSIMO,

Gratiam & Pacem à DEO, qui ipſa eſt Juſtitia, per Spiritum Sapientiæ & Conſilij, devota mente precatur

Joh. Joachimus Zentgravius, SS. Theol. D. & PP. in Univerſitate Argentoratenſi.

IN eo tandem eſt, ut exeat in vulgus, exeunte anno, *Summa* hæc *Divini Juris*, atque *Iſagogica Inſtitutio* doctrinæ de *Jure & Juſtitia*, ex jure divino Naturali & ſcripto petita, poſtquam aliquandiu in chartis privatis latuerat, dubia, num erudito, & delicato ſeculo digna foret, quæ in publicum prodiret, quæque legeretur. Exeundo autem tutius ad neminem ſe recipit, quam ad TE, ILLUSTRISSIME DOMINE, SUMMI DICASTERII IMPERIALIS PRÆSIDEM, & JU-

STI-

Digitized by Google

STITIÆ PATRONUM MAXIMUM, ceu pro *Jure* & *Juſtitia* ſcripta; tuta futura contra cogitata minus æqua, ſi quæ pro corrupti ſeculi more ſit expertura.

Gloriatur adhuc, CELSISSIME COMES, Univerſitas noſtra Literaria Argentoratenſis, quod TE olim civium ſuorum Perilluſtrium ordine viderit, in tam eminenti loco in Imperio hodie collocatum, quem ceu Tribunalis ſui ſummi PRÆSIDEM jam Germania veneratur. Nec minus ego inde aliquid gloriæ mihi accedere credo, cui iſta tempeſtate honor & felicitas obtigit, prima juſti & recti capita, atque regulas, ſub *Diſciplinæ Moralis*, & *Juriſprudentiæ Univerſalis*, ſeu *Naturalis* nomine, Tanto hodie JUSTITIÆ PATRONO explicandi. Divinus iſte

ardor diſcendi, quem ſæpius admirabar, qui tunc jam TE agebat, ad ea quæ diſſerebantur, etiam ex diſſerentis ore excipienda, quæ inſtitutis poſtmodum Colloquiis Academicis non minus accurate, diſtincte, & ſubtiliter defendebas; vis etiam ingenij TUI feliciſſimi, & egregia quam ſortitus eras indoles, facile efficiebant, ut in ea quæ tradebantur ſine longo magiſterio pervenires, ubi primum eadem audieras. Pollicebantur hæc plane extra ordinem procedente tempore à TE expectanda. Animadverterat ea CÆSAR, cujus Concilio Aulico Imperiali, cum immortali TUI NOMINIS gloria, hactenus aſſederas, Juſtitiæ adminiſtratæ nomine ter inclutus. Unde ſecum deliberans, quem Tribunali ſummo, Nobiliſſimoque, quod ſub *Ca-*

mera

Digitized by Google

meræ titulo Wetzlariæ hodie inſtitutum eſt, PRÆSIDEM daret, TE præ aliis dignum, & ad graviſſimum hoc Juſtitiæ adminiſtrandæ munus capacem cenſuit, ceu quem virtus TUA non latuerat. Sint alij Præſides Conciliorum, in quibus de bello gerendo conſilia in commune conferuntur: PRÆSES TU audis Cameræ, in qua de ſuo unicuique tribuendo pacate diſceptatur, quo Pax inter mortales conſervetur. Pro pace ergo, & tranquillitate ſeculi, inter Imperij cives alenda, uti Juſtitiæ adminiſtrandæ incumbes; ita facies, ut ob hanc adnexam vere divina res Pax orbi reddita ſit futura: Quod bello etiam glorioſiſſime geſto merito præfertur. Non enim, niſi luctuoſi ſubſidij loco, mortalium moratiorum conſenſu hoc ha-

betur. Senem mavult equidem *Plato* eſſe Judicem; ſed nec Salomoni, cum provectiori nondum eſſet ætate, Prudentia in Judice neceſſaria defuit. Nec TIBI deſunt requiſita ad tam grave munus, quod in TE ſuſcipis, neceſſaria; ſolida nimirum rerum divinarum, humanarumque ſcientia, juſtique rectique, tam divini, quam humani notitia, & amor; eximia ex rerum tractatu & uſu, qui efficaciſſimus rerum eſt magiſter, acquiſita experientia, & rerum gerendarum peritia: Ne de divinis animi TUI donis, ſagacitate, intellectus perſpicacia, ingenij celeritate, atque vi, cauſarum jura & merita aſſequendi, quid dicam. Cuncta hæc ſincera TUA erga DEUM Pietas, cum infucata vitæ probitate conjuncta, exornat, memor ex Joſa-

phati,

Digitized by Google

phari, pij & juſti Regis monito, *non homini, ſed Jehovæ judicari.*

Nomine ergo hoc & TIBI gratulor, ob Virtuti TUÆ par à DEO & CÆSARE demandatum Juſtitiæ, ſine qua nihil conſiſtit, adminiſtrandæ munus, & Bono Publico. Felix Germania, cujus, Boni publici promovendi cauſa, ſupremum Tribunal occupat PRÆSES, in quo cum Pietatis ardore amor Juſtitiæ certat, & conſpirat. Voto arrham addo devotæ erga TE mentis meæ, librum *pro Juſtitia* à me conſcriptum, quem ILLUSTRISSIMO TUO NOMINI conſecravi, quo inter gratulantium voces occaſionem haberem, ſimul cum illis TIBI bene precandi. Feci hoc cum fiducia argumenti: *Summam* enim *juris divini ſcripti*, & *non ſcripti*, exhibet, & origines

juſti & recti in agendo explicat: Tum Gratia TUA fretus, CLEMENTISSIME DOMINE, qua me hactenus complecti non deſiiſti. Non nova ſunt quæ hic leguntur, ſed eadem, & conſentientia cum illis, quæ olim à me audiviſti, quæque, ſingulari plane exemplo, olim ut notares digna cenſuiſti. Nemini ergo majori jure quam TIBI, liber hinc inſcribi voluit. Servet TE, ILLUSTRISSIME DOMINE, DEUS, in ſpem melioris ſeculi, in Juſtitiæ Patrocinium, & innocentium ſolatium.

PRÆ-

Digitized by Google

Præfatio

AD LECTOREM BENEVOLUM.

Q*Uam neceſſaria, & utilis ſit doctrina de* Jure & Juſtitia, *ipſa juſtitiæ in vita ſociali neceſſitas oſtendit.* Ad vitam, *inquit* Salomo, eſt Juſtitia : Hæc exaltabit : Hac thronus Rectorum firmatur : Sed gentium op-

pro-

probrium eſt peccatum. *Tantis ergo elogiis cum celebratur in ſacris oraculis virtus hæc, merito* magnus *ejus* ſplendor *dicitur* Ambroſio, quæ aliis potius nata quam ſibi, communitatem & ſocietatem noſtram adjuvat, excelſitatem tenet, ut ſuo judicio omnia ſubjecta habeat, opem aliis ferat, pecuniam conferat, officia non abnuat, pericula ſuſcipiat aliena. *Pleno jubare reſplenduerat hæc olim in homine, cum in eo divina fulgeret imago. Etſi vero infelici primorum hominum lapſu originali hac juſtitia exciderimus, injuſti facti; lumen tamen recti, ſemenque boni Moralis externi, per dictamina conſcientiæ, à lege naturali, ceu naturali lumine Practico provenientia, radiorum, imbecillium licet, inſtar mentis tenebras temperans, quanta ejus dignitas, quanta in cœtu mortalium, quos ſocialem vitam agere vult DEUS, neceſſitas ſit, haud obſcure, in hac, qua per naturæ noſtræ corruptionem laboramus, caligine inſinuat. Sic enim in Protagora* Plato : Θεὸς δείσας περὶ τῷ γένει ἀνθρώπων, μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, δωρεῖται ἀνθρώποις αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵν' εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοὶ, *DEUS metuens, ne totum genus humanum interiret, donavit hominibus pudorem & juſtitiam, ut eſſent civitatum ornamenta & vincula, & amicitiæ conciliatrices. Bene ergo faciunt, qui pro*

Digitized by Google

juſtitia ſcribunt, qui quid in actionibus humanis juſtum, rectumque, & unde ſit exponunt, ad genuinos juris fontes mortales ducunt, & deciſioni motarum quaſtionum, & caſuum, quos ſic vocant, congrua, & propria principia oſtendunt. Hic vero invectus in noſtros Didacus de Baeza, *Ponferradienſis, in tomo IV. Commentariorum Moralium in Hiſtor. Evangel.* vel ex hoc, *ait*, capite, mihi evidentiſſime patet, quod vera ſit Romana religio, in qua ſimiles quæſtiones crebeſcunt: *An liceat hoc, vel illud?* Nihilque fieri ab homine poteſt, quod diligenti examine non exaretur, perque doctiſſimos magiſtros non ad amuſſim tractetur. *Et nonnullis interjectis, pergit :* Sane in Anglia, & Hollandia, & Germania Lutherani ſunt Mercatores ditiſſimi, ſed qui quærat & diſputet de contractibus licitis, & reſtitutione facienda, nec ullus invenitur, nec Magiſter, nec plebejus. Audivi à ſapientiſſimo Patre noſtro in Germania agente, nullum unquam Lutheranum hominem quæſiviſſe de licito alicujus actionis. Nullus eſt apud has peſtes Magiſter, qui de moralibus curet doctrinam, nec qui de cavendis illicitis ſit ſolicitus. *Verum vel ex his patet, quam male iniquus hic Cenſor de Lutheranis informatus fuerit, qui niſi ignoraſſet, quid* Lutherus *ipſe*, Melanchthon, Chemni-

mnitius, Chytræus, Balduinus, Brochmannus, *& alij* à Bidembachio & Dedekenno *collecti ſcripſerint, mole licet omnium opera non ſuperbiant, non tam cæco impetu in innocentes invectus, omnium invidiæ, quantum in ipſo erat, noſtros expoſitum iviſſet. Qua fronte dicitur, apud* Lutheranas peſtes NULLUM inveniri magiſtrum, qui de Moralibus curet doctrinam? *Annon in Academiis noſtris Philoſophiam Moralem publice profitentur Doctores, & juventutis Academicæ manibus teruntur Ariſtotelis moralia? Nihilne præſtiterunt apud Lutheranos hactenus Juris Civilis & Canonici Profeſſores? Noſtræ certæ Academiæ Statuta non ex* Ariſtotele *tantum, ſed etiam ex* Platone, *& aliis in quibus veterum continetur Sapientia ſcriptoribus, diſciplinam* de cavendis illicitis *tradere præcipiunt Moralium Profeſſori; cum quibus ego, quamdiu munere hoc olim functus ſum, divina præcepta in ſacro Codice contenta conjunxi. Puriores moralium dogmatum fontes* divino jure *non dantur. In quo ex Scripturis ſacris explicando cum Theologi etiam ſit occupatum eſſe, non inanem illi locant operam, qui docent, quæ harmonia ſit divini juris ſcripti, & non ſcripti; in quantum hoc connatum lumen recti, ſemenque boni, in illa in qua nati ſumus corruptione, adhuc ſupereſt. Imperfectum hoc eſt equidem, carnalem relinquens homi-*

Digitized by Google

hominem, nec reſiduum quoad præceptum : Non concupiſces. *Ergo Jus divinum ſcriptum addendum, illa faciendorum perfecta regula, omnemque tam internam quam externam juſtitiam, ipſiuſque cordis humani ſanctitatem exigens, internamque hanc impuritatem, omnis obliqui & mali fontem accuſando, culpæ hoc nomine reum mortalem pronuntians, quo defectum omnem ſuppleat, pleno lumine qua ratione Juſtitia fulgeat, plene exponendo.* Summam *hujus* divini juris ſcripti, & non ſcripti, *publico & Tuo*, Benevole Lector, *jam ſubmitto judicio. Non ſolum hac oſtenditur, qua ratione etiam humana jura in divino jure ſuas juſti rectique rationes, & origines inveniant ; ſed etiam quo pacto fontes ejus, quod vere licitum eſt, & cur tale ſit, inveſtigari poſſint ; & unde genuina, & concluſioni practicæ, mota difficultate, congrua & propria principia peti debeant,* Summæ *appellationem operi inſcripſi, cum quod origines jurium monſtraſſe, ipſaque interdum jura tantum notaſſe, ſufficere judicaverim, ceu quæ ab aliis ex inſtituto ſæpius ſunt explicata. Horum enim dicta repetere ſupervacuum videbatur. De eo præprimis eram ſolicitus, ut rationem juris inveſtigandi, juſtique & recti in negotiis, & vitæ humanæ caſibus, inveniendi propiorem & propriam, explicarem.* Sic juris eſt : Sic juſti, rectique na-

natura poſtulat: *Frequenter ajunt. Sed nimis generalis hac eſt ratio, quam ut ſtatim ſatisfacere debeat homini, qui non quidvis ſibi, ut cæca id exoſculetur obedientia, patitur obtrudi. Diſtinctius hic agendum, quæq; ſpecifica & ratio juris proxima, & unde illa proveniat, petique debeat docendum, quo ad caſum propoſitum applicatio ejus, quod juſtum & rectum audit, ceu recte facta appareat. Monet eadem appellatio, quod* Excerpta *potius nobiliora quædam, & difficiliora, ex divino jure tali diſciplinæ genere illuſtrare, quam univerſam* Theologiam Moralem, *vel integram de* Jure & Juſtitia *doctrinam, tradere cum animo meo conſtituerim. Plura reſervavi explicationi ulteriori divini juris Moſaici, Forenſis inprimis, quam præter Capita, & LL. illuſtratas hactenus, ulterius continuare adhuc animus eſt, ſi DEUS vitam, otium, & vires conceſſerit. Judicio præterea Tuo,* Benevole Lector, *relinquo, annon caſuum, & quæſtionum propoſitarum deciſio; canonum item, quos ſæpe damus, in hoc exercitij genere utilium explicatio, ad ſolvendos alios nodos, & definienda alia dubia, pari modo, plurimum inſerviat. Nullus ſane dubito, quin diſſenſus in doctrina morum, & quæſtionibus juris, frequenter inde ſit exortus, quod, ex quibus principiis reſponderi, & quibus mediis nebulæ diſcuti debeant, neglectum fuerit. Id quod quo pacto*

præ-

Digitized by Google

præſtari debeat, in hac noſtra divini juris Summa *præprimis curæ fuit, ut explicaretur. Nec nullus in vita ſociali ab diſciplina hac, uti judico, expectabitur fructus. Utinam unicuique mortalium, populis etiam, atque Civitatibus, in quas univerſum genus humanum diviſum eſt, non obſtante iſto, qui circa religionem inter illas intercedit, diſſenſu, ſincera mente id curæ, cordiq; eſſet, ut ſecundum juris divini, tam ſcripti, quam non ſcripti, leges & præcepta, id quod juſtum eſt in externo ſociali commercio obſervare, quamplus juſto privato commodo ſtudere mallent; arctius certe hoc vinculo inter ſe colligarentur, quam immaturâ aliqua inter religiones, fundamentali diſſenſu diſſidentes, tentata concordiâ; quæ uti nec Reipublicæ, nec Eccleſiæ unquam profuit, ceu ex Hiſtoria Eccleſiaſtica docetur, ita certum eſt, quod nec melior hodie triumphantis etiam Syncretiſmi eventus ſit futurus: Quem nec vere neceſſarium, nec utilem, nec etiam poſſibilem, ſine veritatis detrimento, cordatiores ſemper judicarunt.* Summis *ſuis quid alij præſtiterint, vel quid in illis deſiderari poſſit, jam non diſquiro. Ego neminis offendendi cauſa, ſed memor officij, & conſiderans, quod in gratiam Studioſæ Juventutis, invariatæ Auguſtanæ Confeſſioni addictæ, hac tradenda foret diſciplina, ex Scripturæ S. fontibus limpidiſſimis, & ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν inſitis*

 ad-

adhuc naturæ legibus, in iſta caligine mentis noſtræ, quam in Protoplaſtis contraximus, lumen adhuc aliquod, ad externa adminiſtranda ſubminiſtrantibus; puriore item Antiquitate Eccleſiaſtica, Patribus quinq; ſecularibus potiſſimum; ſelectiori etiam Gentium moratiorum hiſtoria, ad mentem A. C. cæterorumq; Eccleſiæ Evangelicæ librorum Symbolicorum, & doctiſſimorum noſtratium Theologorum, uti par erat, hoc inſtitutum perſecutus ſum. Mirum hinc non eſt, ab aliorum placitis, tradita nonnunquam diſſentire. Facio id pro libertate, quæ in re literaria datur; quaq; diſſentientes ipſi etiam adverſus ſe invicem utuntur. Quo nomine & nonnunquam ad illorum nobiſcum conſenſum adverſus alios provocare placuit. Grotij *denique, Viri in ſecularibus literis ſummi, diſciplinam etiam admiſimus; cujus præclara eſſe merita de doctrina morali, nemo jure iverit inficias; ita tamen, ut ſi quæ, ſic ferente occaſione, notanda videbantur; multa autem ſunt, Theologica inprimis; illa notare non omitteremus, pro ea libertate, qua idem doctiſſimos hujus operis cenſores etiam feciſſe conſtat. Operam itaq; dedimus, ut Lectori huius libri ſimul inſerviremus; ſive accuratiori* Theologiæ Moralis *cognitioni; ſive* Juriſprudentiæ univerſali, *atque* Grotiani operis Lectioni, *operam ſuam eſſet conſecraturus.*

ISA-

ISAGOGES
ad
DOCTRINAM
DE
JURE & JUSTITIA,

SECTIONIS PRIMAE

Articul. I.

De

JURE DIVINO.

§. I.

DE Jure & Juſtitia, fontibus item ejus, quod in actionibus mortalium, quarum per omnem vitam, juxta ſtatus & negotiorum diverſitatem, maxima datur varietas, juſtum & rectum eſt, ad dirigendam conſcientiam, acturi, abeſſe jubemus jus illud, quod animantibus comune cum homine eſſe paſſim credunt, cum illud, quod rationis non eſt particeps, juris proprie capax eſſe non poſſit. Legibus homines, aliter bruta

a) *Pſal.* 32. 9. reguntur. Unde *Pſaltes*, a) *ne ſitis*, inquit, *ſicut equus, ſicut mulus* (cui) *non* (eſt illi) *intelligere*; (ſed) *freno & capiſtro os ejus obturandum eſt*; (alias) *non* (eſt illi) *accedere ad te*. Nam quod *Vlpianus* b) illud naturale jus eſſe dixit, quod *natura omnia animalia docuit*, quem ſenſum habeat, ex Stoica, non Peripatetica, explicandum, intelligendumque eſſe Philoſophia, ſicut complura alia hujus viri præcepta, alibi docetur. Non enim putamus, diverſam eſſe *Vlpiani* juſtitiam à Philoſophia *Ciceronis*, c) quam potius per hanc illuſtrari cenſemus, quando *principium generi animantium omni à natura tributum eſſe* ſcribit, *ut ſe, vitam, corpusq; ſuum tueatur, declineitq; ea, quæ nocitura eſſe videantur: omniaq; ea, quæcunq; ad vivendum ſint neceſſaria, inquirat & paret: ut paſtum & latibula, ut alia ejuſdem generis*: addens: *Communem animantium omnium eſſe conjunctionis appetitum procreandi cauſa, & curam quandam eorum, quæ procreata ſunt*. Conſtat vero ex *Laërtio*, d) genuina hæc eſſe Stoica, & ex Chryſippo deſumpta. De animantibus ergo quando dicitur à Stoicis, quod *natura* illa *doceat*, vis quædam intelligitur, ad certum genus actionis illa impellens, ſine obligatione tamen morali, cujusque naturæ convenientia imperans, & contraria prohibens. Vim hanc jam *DEVM*, jam *naturam, communem* ſcilicet, jam *legem naturalem*, *συνωνύμως* appellarunt: Per *legem* non re-

b) *l.* 1. *§.* 3. *dig. de I. & I.*

c) 1. *off.* 4.

d) *Zenon. f.* 184.

Digitized by Google

regulam moralem, ſed neceſſitatem quandam inexiſtentem intelligentes. Sic enim *Cicero*: c) *Zeno naturalem legem divinam eſſe cenſet; eamq; vim obtinere recta imperantem, prohibentem contraria: Quam legem quomodo efficiat animantem, intelligere non poſſumus: DEVM autem animantem certe volumus eſſe.* Ex noſtris equidem *Theophilus*, Patriarcha Antiochenus, contra *Chriſtianæ religionis calumniatores, ad Autolyc.* f) ἔνιοι μὲν, inquit, τῆς στοᾶς, ἀρνοῦνται καὶ τὸ ἐξ ὅλου Θεὸν εἶναι, *Stoicorum quidam DEVM eſſe in univerſum quidem abnegant*; addat licet: ἢ εἰ καὶ ἔστι, μηδενός φασι φροντίζειν τὸν Θεὸν πλὴν ἑαυτοῦ, *aut ſi ſit, aſſerunt, eum nullius, quam ſui curam gerere*: Quam Chryſippi diſciplinam eſſe monet. Conſtat vero tum aliunde, tum ex Patrum Eccleſiæ, quibus Gentilium diſciplina non incognita fuit, conſenſu, ſtatuiſſe Stoicos, DEI Spiritum univerſum mundum penetraſſe, & cuncta actuaſſe. Τὸ δὲ πνεῦμα αὐτοῦ (Θεοῦ) διήκει δι' ὅλου τοῦ κόσμου, *Spiritus DEI mundum univerſum penetrat*, ait ex illorum mente *Athenagoras*. g) Διὰ πάσης ὕλης, καὶ διὰ τῆς ἀτιμοτάτης, τὸ θεῖον διήκειν, *omnem, quantumvis vilem, & abjectam, materiam DEVM pervadere*, iidem ſtatuiſſe dicuntur *Clementi Alexandrino*. h) Conſentit *Epiphanius*, i) hanc Stoicorum de divinitate eſſe opinionem notans, nimirum εἶναι νοῦν τὸν Θεὸν, ἢ πάντες τῶν ὁρωμένων κύτους, οὐρανοῦ τε φημὶ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἄλλων, ὡς ἐν σώματι, *DEVM eſſe men-*

c) *l. de Nat. Deor. p. 9.*
f) *l. 2. f. m. 82.*
g) *Legat pro Chriſt. f. m. 7.*
h) *admon. ad Gent. f. 44.*
i) *adverſ. hæreſ. l. 1. de Stoic. hæreſ. 5.*

mentem, quæ totius aſpectabilis molis, cæli nimirum ac terræ, cæterarumq; rerum, velut corporis, anima ſit. Pro variis hinc atque diverſis mundi ſpeciebus, per quas Spiritum DEI penetrare dixerunt, non ſolum divinitatem unam in plures ac particulares naturas, εἰς πολλὰς μερικὰς ἰδίας, diſtribuerunt; ſed &, quod *Arius Didymus* in Epitome inprimis o-
k) *Præpar. Evang. l. 15. ſ. 15.* ſtendit, apud *Euſeb um,* k) pro diverſis reſpectibus & operationibus, cum in univerſo, tum in iſtis particularibus naturis, diverſis etiam nominibus expreſſerunt. Unde *Laërtius*
l) *l. 7.* l) de Stoicis: Ἕν δὲ εἶναι Θεὸν, καὶ νοῦν καὶ εἱμαρμένην καὶ Δία, πολλαῖς δὲ ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι, *DEUM & mentem, & Fatum, & Iovem, unum & idem eſſe, aliisq; etiam nominibus præterea appellari dixerunt:* Quod & ex noſtris monuit *Athenagoras.*
m) *l. c.* m) Inter nomina hæc etiam eſt nomen *Naturæ.* Sic enim *Seneca,*
n) *4. de beneſ. c. 7.* n) laudatus hoc nomine ex noſtris à *Lactantio:*
o) *l. 2. Inſt. c. 9.* o) *Natura, inquis, hæc mihi præſtat. Non intelligis te, cum hoc dicis, mutare nomen DEO. Quid enim aliud eſt natura, quam DEUS, & divina ratio, toti mundo & partibus ejus inſerta?* Hæc eſt illa *Natura,* quæ *animalia docet,* & ab *Ulpiano* intellecta fuit, iiſdemque inſerta iſta præſtat, quæ legis nomine venire audivimus. *Vivere mundum,* canit *Manilius,*
p) *l. 1.* p) *& rationis agi motu: cum ſpiritus unus per cunctas habitet partes, atq; irriget orbem, omnia pervolitans, corpusq; animale figuret.*

§. 2.

§. 2. Verum *divini juris* nomine hæc venire non poſſunt, non ſolum quod vis iſta interna, animantia inſtigans ad ſe conſervanda, ad procreandum &c. non ſit ipſe DEUS; ſed & quod inſtinctus iſte naturalis, qui à cujusque animantis principiis naturalibus, modo illis congruo, provenit, deſtituatur *ἐπιγνώσει τῆς δικαιωμάτων τοῦ Θεοῦ*, *cognitione juſtitiæ*, vindicativæ ſcil. explicante B. D. *Wallero*, q) ſeu, ut reddit B. D. *Sebaſtian. Schmidius*, *judicii* DEI, de qua *Paulus*, r) quæ in bruta non cadit; qua vero non carent illi, quibus jus divinum proprie tale eſt præſcriptum, quique *opus legis oſtendunt ſcriptum in cordibus ſuis*, Rom. 2. 15. Utrumque enim, & lex, & *δικαίωμα τοῦ Θεοῦ*, quod qui legem transgrediuntur, *ἄξιοι θανάτου εἰσὶν*, *morte digni ſint*, ut rurſus *Apoſtolus* s) loquitur, illis innoteſcit, & vi promulgationis neceſſariæ innoteſcere debet, quibus à legiſlatore DEO illa eſt præſcripta. Cum itaque qui divinæ juſtitiæ, *δικαιώματος τοῦ Θεοῦ*, cognoſcendæ capax non eſt, etiam non ſit capax legis cognoſcendæ, & moralis per legem gubernationis, ſed per impulſus internos phyſicos, & phyſice determinantes, convenientius agatur; inſtinctus iſtos, quibus bruta aguntur, ut ſc. vitam, corpusque ſuum tueantur, declinentq; ea, quæ nocitura appareant, qui & pro diverſitate objectorum ſæpe contrarij ſunt, (Lupo *jus ovem diſcerpendi* pro ſe allegante, ove vero ad *jus non devorari* pro-

q) *Comm. h. l.*

r) *Rom. 1. 32.*

s) *Rom. 1, 32.*

vocante) citra turpitudinem moralem, atque pœnæ conſtitutionem divinam, jus divinum proprie tale, nec eſſe, nec dici debere manifeſtum eſt. Fundantur divina jura in divina juſtitia & ſanctitate; ſuntque horum divinorum attributorum dictamina, atque ſpeculum. Ad *juſtitiam itaq;, & ſanctitatem*, cum homines conditi ſunt, *Eph.* 4. 24. non bruta, illis etiam, non his, divina jura præſcripta eſſe relinquitur. Cum enim ad juſtitiam & ſanctitatem, quæ ſunt partes divinæ imaginis, non ſunt creata, patet, cum jure & juſtitia etiam illis non intercedere aliquod commercium. Novimus quidem, quod *Hieronymus Rorarius*, Pontificis olim ſub Carol. V. Imp. Legatus, libellum ſcripſerit, *quod animalia bruta ratione melius utantur homine*; ſed ingenij cauſa, non ſerio, id virum doctum egiſſe cenſemus. Ita *Athanaſius Kircherus* t) ſcripſit, *Parœmiam Ethicam Ægypt. ex animalium proprietatibus promtam*: Quemadmodum & *Antonius de Balinghem Ζωοπαιδείαν, ſeu morum à brutis petitam inſtitutionem*, edidit, *Goubaldo* commendatam, ceu *plurimum utilis & jucundæ cognitionis, in ſpiritualem animæ uſum, continentem*. Verum à ſimulacris virtutum & vitiorum, quæ in bruta cadere non negamus; item ab animalium ſolertia naturali, ad verum rationis uſum, & jus agendi proprie tale à DEO iiſdem præſcriptum, non valet conſequentia.

t) *Oedip. Aegypt. tom. 2. f. 166.*

§. 3. Veri itaque juris, atque legis, quod

quod rationem habet, vel ad *Divinum*, vel ad *Humanum* jus revocare licebit. Utrumque enim vel à ſuperiore, jus in perſonam & voluntatem eorum, quibus præſcriptum eſt, habente, profectum eſt, vel ex Pacto vim actiones dirigendi accepit. Utrumque ſuæ ſanctionis rationes habet, cum Sanctitati, Sapientiæ & Juſtitiæ partim, partim Prudentiæ, juſtique item, rectique amori Legiſlatoris, & Paciſcentium, ſeu actuum ſuorum certam regulam amantium, æquitati, tum actionum, ſecundum ſuas circumſtantias conſideratarum, & rerum naturæ, congruas. Applicari hæ ad actiones in vitæ humanæ negotiis, tam Eccleſiaſticis, quam pure ſecularibus, & ſecundum illas etiam horum negotiorum actiones examinari poſſunt, ad inveniendum in illis, docendumque id, quod juſtum & rectum eſt. Et cum de *jure* diverſa ſoleamus loqui acceptione, u) vel ut idem valet quod *Lex*; vel ut idem eſt, quod *juſtum* & *æquum*, rectique juſtique regulis non contrarium; tot modis manifeſtum eſt, nos de *jure divino* & *humano*, & quid *divini humaniq; juris* ſit, poſſe loqui.

§. 4. De *Divino jure* primo diſquirendum eſt, quod ipſum DEUM habet legiſlatorem. Ejus hoc ſanctitatis & juſtitiæ ſpeculum eſt. *Sancti*, hinc inquit, x) *eſtote, nam ego ſanctus ſum.* Evincit hujus exiſtentiam non ſolum τὸ ἔργον τοῦ νόμου γραπτὸν ἐν ταῖς καρδίαις (ἀνθρώπων) συμμαρτυρούσης αὐτῶν τῆς συν-

u) *Eſcobar. Theol. Moral. tract.* 3. *Exam.* 1. *c.* 1. §. 1. *Grot. de I. B. P. l.* 3. *ſqq.*

x) *Lev.* 11. 44. 19. 2. 20. 7. 1. *Petr.* 1. 16.

ειδήσεως, καὶ μεταξὺ ἀλλήλων τῶν λογισμῶν κατη-γορούντων, ἢ καὶ ἀπολογουμένων. opus legis ſcriptum in cordibus hominum, dum illis teſtimonium perhibet conſcientia illorum, & inter ſe ſe cogitationes accuſant, vel etiam excuſant, monente *Paulo*: y) Sed etiam in codice Sacro cum ſufficiente explicatione contentus Decalogus. Bipartitum nimirum eſt divinum jus, alterum *Naturale*, & quod DEUM non tantum implantatorem, ſed & Legiſlatorem agnoſcit; alterum *Poſitivum*, quod ab eodem legi naturali ſuperadditum fuit. Illud eſt opus iſtud legis in cordibus noſtris divino digito, in prima creatione, cum ſenſu obligationis in conſcientia, ſcriptum, de quo ex Rom. II. dictum: *Hilarius* z) vocat hinc *naturalem ſenſum*. Hoc ſanctione aliqua, & ordinatione externa, illi additum.

y) *Rom.* 2. 15.

z) *l. de Trinit.*

SUBSECTIO I.

De JURE DIVINO NATURALI.

§. I.

DAri naturale jus, quod, ut *Seldenus* a) loquitur, *cunctorum hominum ab ipſis rerum, ipſiusq; naturæ creatæ initiis commune fuit, ſeu univerſorum cordibus, ut dici ſolet, inſcriptum*, non niſi Atheis, Epicureis, hoc eſt *Stultis*,

a) *I. N. G. Præfat.*

Digitized by Google

iis, b) qui DEUM, divinamque Providentiam in dubium vocarunt, negatum fuit. Hæc enim ſapienter cuncta gubernans, hominem ob vim rationis, & libertatem in agendo, obligabilem, & ad vitam ſocialem agendam divinitus factum, ad normam quoque ſocialem obligavit, ſenſu obligationis in conſcientia ſe exerente, explicante contra Gentiles *Paulo*. c) *Natura agit*, inquit ad iſtum locum Pauli *Hieronymus*, d) *legem in corde per conſcientiæ teſtimonium; ſive conſcientia teſtatur legem habere timendo dum peccat, & victis gratulando peccatis, etiamſi nullum hominem vereatur ipſe qui peccat.* Et B. *Auguſtinus*, e) *nulla eſt anima*, ait, *in cujus conſcientia DEUS non loquatur. Quis enim ſcribit in cordibus hominum naturalem legem, niſi DEUS.* Hinc in homine qui non omnem exuit humanitatem, horror à ſceleribus ante factum, & pudor poſt factum commiſſum ſe exerit, quod lumine conſcientiæ, λογικοῖς νόμοις, rationalibus legibus, uti *Clementi Alexandrino* f) dicuntur, irradiatus, & fœditatem ſcelerum, & eorum pœnalitatem cognoverit; fœdiſſime impune victurus, & ipſi DEO inſultaturus, nulli pœnæ obnoxius, nullo ſc. dato delicto, niſi divina lege omni lege humana ſuperior coërceretur. *Pſaltis* g) locum: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui, Domine*, de lumine, & lege naturali; ejusque exiſtentia, explicat *Thomas*. h) quem non Scholaſtici tantum, ſed & *Guilielm. Grot.* i) ſequitur. Rectius

b) *Pſal.* 14. 1. *Pſal.* 53. 1.

c) *Rom.* 2. 15.

d) *Com. ad Rom.* 2. 15.

e) *l.* 2. *de ſerm. Dom. in mont. c.* 9

f) *Opp. f. m.* 67.

g) *Pſal.* 4. 7.

h) *l.* 2. *q.* 91. *a.* 2. *Reſp.*

i) *de Princ. J. N. c.* 1. *ſ.* 12.

k) *Theol. Moral. §.6.* ctius vero B. *Dorſcheus*, k) de *lumine gratioſo* intelligit. Agit enim David de illuminatione, cujus fructus eſt pax, & ſecuritas in DEO, cum bona conſcientia, v. 9. & quam illis precatur, quos *ad ſacrificandum ſacrificia juſtitia, & confidendum ſuper Iehova*, hortatus eſt v. 6.

§. 2. *Origines* J. N. prolixius alibi à nobis, & ex inſtituto explicatas, quod in præſenti attinet, bene *Hugo Grotius*, l) ſecutus Platonem, Ariſtotelem, Ciceronem, probante diſciplina Chriſtiana, docet, *jus naturæ indicare*, præcipiendo ſc. *actui alicui, ex ejus convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali, ineſſe moralem turpitudinem, aut neceßitatem, ac conſequenter ab auctore naturæ* DEO, *talem actum aut vetari, aut præcipi.* In actu nimirum, quo nomine etiam moraliter veniunt non facta, cum debitis ſpectata circumſtantiis, jure naturali præcepto vel prohibito, cum duo ſunt conſideranda, *morale*, & *legale*, utriusque hinc diſtinctè inveſtigandæ origines. Illud appellamus honeſtum & turpe, quod actui alicui per ſe, & præciſa omni ſuperioris voluntate, & conſtitutione ineſt; hoc vero nobis dicitur ratio præcepti, vel prohibiti, quam ex divina legiſlatione actus habet, hominesque ad obſequium legale obligat. Hoc ad voluntatem DEI legiſlatoris conſequenter ſe habere aſſerimus, improbantes illud *Grotii*, m) aliquid contra *jus naturæ* futurum, *etiamſi daremus, quod ſine ſummo ſce-*

l) 1. *l. B. P.* 1. 10.

m) *Præf.*

ſcelere dari neqit, non eſſe DEUM, *aut non curari ab eo negotia humana* : Nam non dato legiſlatore, qui legale dabitur? Ne dicam, quoad vitæ honeſtatem, ut bene obſervat *Baſilius*, n) perinde eſſe, utrum quis neget DEUM exiſtere, an ab eodem humana curari. Illud vero, *morale* ſc. ſi veritatem ipſius formalem & internam ſpectemus, v. c. adulterium eſt res turpis, furtum contrariatur naturæ hominis ſociali, antecedenter ſimul ad divinam voluntatem ſe habet. Nec unicuique ſuum tribuere, ideo juſtum & rectum eſt, quia DEUS ita voluit, cum DEUS ita præceperit, quia id in ſe juſtum rectumque eſt; contra quam ſentit *Vaſquius*, o) poſſet, inquiens, *DEUS mentes hominum hac imbuere opinione, hancque legem facere, ut hominem homini inſidiari, aut necem inferre, vel quovis modo nocere, nefas non eſſet, non magis quam pecudes, armenta, feras, volucres, vel ſqameam turbam interficere*: Qui etiam nonnullorum Moraliſtarum Scholaſticorum floſculi ſunt. Honeſtas enim atque turpitudo, quæ per ſe, citra omnem impoſitionem, actui ineſſe dicitur, eſt equidem affectio humanarũ actionũ; verum qua talis non oritur ex convenientia cum, aut diſconvenientia à lege, quæ illam tantum declarat, & *indicat*, declaratamque præcipit, aut prohibet. Unde nil impedit, quo minus concipiamus honeſtatem & turpitudinem, naturalem ſcil. ante legem. Finge blaſphemiam, odium,

n) *to. 1. homil. quod Deus nõ ſit aut. pec. f.* 422.

o) *Controv. Illuſtr. l.* 1. *c.* 27. *n.* 9.

odium, & abnegationem DEI, non eſſe à ſupremo Numine prohibitam; indifferentes nec erunt hi actus, omni valore morali deſtituti, neque boni, neque mali? Hoc vero cum dici non poſſit, in actibus J. N. prohibitis utique inter legale, & morale, diſtinguere licebit.

§. 3. *Moralitatis Origenes* itaque quod attinet, non male *Grotius actui*, quem naturæ auctor DEUS vetat, aut præcipit, per legem naturalem, *ex ejus convenientia, aut disconvenientia, cum ipſa natura rationali ineſſe* ait *moralem turpitudinem, aut neceſsitatem moralem.* Ex antiquis Stoici, qui inter Gentiles omnium optime de originibus, & natura moralium diſputarunt, quando finem hominis eſſe docuerunt τὸ ἀκολούθως τῇ φύσει ζῆν, *ſecundum naturam vivere*; quotquot ex illis cum *Chryſippo*, à quo *nibil in Stoicis prætermiſ-*
a) 1. *de Fin.* *ſum eſſe Cicero* a) ſcripſit, dicti hujus interpretationem à *communi natura*, de qua *Cleanthes* hoc Porticus effatum intellexit, ad *humanam* extenderunt, & de illa præprimis id ex-
b) 1. *Off.* plicarunt, ſtatuentes, *Cicerone* b) interprete, *ſic eſſe faciendum, ut contra univerſam naturam nibil contendamus, & ea tamen conſervata*
c) *Epiſt.* 66. *propriam*, h. e. *Seneca* c) monente, *rationem, ſequamur*; hi certe quæ naturaliter bona ſunt, cum humana natura convenire, quæ naturaliter mala, ab eadem diſconvenire ſtatuerunt, atque ideo moraliter & naturaliter

etiam

Digitized by Google

etiam bona eſſe, quia cum natura humana per ſe convenientiam habent; turpia autem, & naturaliter mala, quia ei diſconveniunt, ſignificarunt. Nec negabit *Grotius* d) ſuum hic cum Stoa conſenſum, cujus Doctores, quo magis illorum qui ab *Ariſtippo*, cui *μηδὲν εἶναι φύσει δίκαιον, ἢ αἰσχρὸν, ἀλλὰ νόμῳ καὶ ἔθει, nihil eſſe natura juſtum vel bonum, aut turpe, ſed lege ſolum*, credebatur, *Cyrenaici*, atque *Annicerij* dicti ſunt, atque Epicureorum ſomnia detegerent, cum omne bonum in voluptate ponerent hi homines voluptuarij, ob eam rem tantū virtutem laudantes, quod efficiens eſſet voluptatis; cujus Stoæ, inquam, Doctores, eo majori ſtudio naturale diſcrimen honeſtorum atque turpium inculcarunt, ipſam naturam à juſto ſecernere iniquum docentes, cum homini, agenti rationali & ſociali, nec omnia, nec eadem convenire, vel non convenire poſſint. Principiis hiſce, ſine dubio Stoicis, uſus *Grotius*, e) Carneadis deliria, naturale juſtum negantia apud *Lactantium*, f) impugnavit, naturæ hominis ſociali, & rationali, ea repugnare oſtendens. Diſciplina hac ex Chriſtianis etiam doctiſſimum Cyri Epiſcopum, *Theodoretum*, g) legimus uſum, Socratis & Platonis *de juſtitia & injuſtitia doctrinam λογικὴν, καὶ τῇ φύσει τῇ ἀνθρωπίνῃ ξυμβαίνουσαν, rationi conſentaneam, & humanæ naturæ congruentem* vocando. Quod etiam ex addita mox ratione conſtat: Τὰ γὰρ ἠθικὰ μαθήματα παν-

d) *Proleg. de I. B. P.*

e) *Proleg. cit.*

f) 5. *Inſt.* 16.

g) *c. IV. opp. ſerm.* 12. *f.* 669.

πάντας ἀνθρώπους ἡ φύσις ἐπαίδευσε, moralem ſiquidem diſciplinam mortales omnes natura ipſa perdocuit. Quibus reſpondent ea, quæ
h) 1. *de Legg.* alibi à *Cicerone* h) diſputantur. Ipſa denique ſcriptura hoc doctrinæ genus inſinuat, cum
i) *Pſ.* 32. 9. divinus *Pſaltes,* i) quid hominem ob *rationalitatem,* & ſic ex naturæ ſuæ conditione deceat, nobis it inculcatum.

§. 4. *Rationale* itaque, ſeu ſi malis ita loqui, *intellectuale* agens cum ſit homo, monente *Pſalte,* non ſolum ſcire poteſt, ſcitque, quid ſe dignum indignumque ſit ex naturæ, ſtatus in quo vivit, officij, & ſexus ratione; ſed & quæ, qualisque indoles objecti ſit, circa quod agendo occupatur, cognoſcit, an *actio* ſc. ſua ei conveniens ſit, v. c. rei alienæ contrectatio fraudulenta, *lucri faciundi cauſa,*
a) *Noct. Att.* 11. 18. uti *Sabinus* apud *A. Gellium* a) *loquitur*; vel *objectum* hos vel illos actus circa ſe admittere poſſit, mater v. g. à filio conſuetudinem conjugalem: *Finem* denique, ad quem ex deliberata ratione ſuſceptum actum dirigit, intelligit, & circumſtantias conſiderare & dijudicare poteſt, ſub quarum varietate etiam velut ſub diverſa facie actiones apparent, cum
b) *I. B. P.* II. 23. 1. monente *Grotio,* b) *in moralibus circumſtantiæ etiam minimæ varient materiam.* Naturaliter hinc, & proin etiam immutabiliter, diverſa datur ratio actuum humanorum, & actuum brutorum, ob immutabilem naturæ humanæ à brutis diverſitatem. Hinc in actionibus huma-

Digitized by Google

manis aliquid datur, *quod præ alio ſelectione dignum ſit, & æſtimatione,* c) quo actiones brutorum carent. Hinc *non habetur turpe juvencæ,* ut Poëta d) canit, *ferre patrem tergo, & ſit equo ſua filia conjux,* non item homini. Hinc homo ſceleris reus agi poteſt, non item pecus. *Quomodo* enim, quærit B. *Auguſtinus,* e) *ſit reum, cum ſit irrationale, nec ullo modo legis capax.* Accedit in homine libertas in agendo, qua actus ſuos ad rationem objecto, circa quod agens occupatur, convenientem conformare, & ad finem congruum ordinare poteſt, prout id fieri debere cognovit ex ipſarum rerum intuitu; id quod in bruta non cadit.

c) *Cicer.* 3. *de Fin.*

d) 10. *Met.* *F.* 9.

e) *in Levit.* 19. *q.* 74.

§. 5. Non male τὸ *Morale*, vel moralitas, comparatur ſano & pulchro, vel ſanitati & pulchritudini. Ut enim ſanitas & pulchritudo in corpore una forma ſunt, exoriantur licet ex pluribus requiſitis, ita moralitas *conſurgit,* uti B. noſter D. *Schallerus* a) loquitur, *ex concurſu variarum conditionum, & circumſtantiis vel convenientibus, vel diſconvenientibus, quibus ſeſe variantibus, etiam totus actus moralis variatur.* Conditiones iſtæ, iſta requiſita atque principia, quibus conjunctim datis moralitas, ſeu eſſe morale exoritur, ſunt *Objectum* certis, & ad valorem moralem aptis, veſtitum circumſtantiis, res v. c. quæ eſt aliena; *ratio* objectum hoc practice cognoſcens, & *certum agendi conſilium,* ſub quo agens

a) *de Circumſt. Act. hum. Diſſ.* I. §. 10.

agens circa tale objectum occupatur. Hæc quando actui alicui phyſice ſpectato accidunt, & cum illo actu uniuntur, redditur actus ille moralis. & tale agens fit, diciturque agens morale. Unde ſicut antecedenter, ut loquuntur, ad divinam voluntatem verum eſt, quod Oxygonion, ut *Euclides* definit, ſit τὸ τρεῖς ὀξείας ἔχον γωνίας, *quod tres angulos acutos habet*, etſi talis figura in ſe contingens ſit, & contingenter fiat; & uti ex uno, uno, uno & uno conſurgit quaternitas; ita datis in actu aliquo, vel ejus omiſſione, requiſitis iſtis & conditionibus, de quibus facta mentio, b) neceſſario, & immutabiliter is redditur moralis, & quidem *abſolute*, antecedenter ad legem, ubi objecto cum ſuis circumſtantiis ſpectato, iſta aptitudo ad valorem aliquem moralem per ſe ineſt, non ex impoſitione, quale objectum v. g. DEUS eſt, res aliena. Nulla quippe data lege, illi inconveniens blaſphemia, huic vero furtum eſt. Iſta enim requiſita moralitatem conſtituentia, non ſunt conditiones ex ſuperioris ordinatione libera aſſignatæ, ad conſtitutionem τοῦ eſſe *moralis*, ſed iſtis in actu aliquo conjunctim datis, *naturaliter* in eo conſurgit moralibus, uti τὸ ἔχον τρεῖς ἴσας πλευρὰς, *quod tria habet æqualia latera*, uti loquitur *Euclides*, c) neceſſario, ex veritate rei, triangulum dici debet. Quod ſi vero valorem hunc ineſſe demum objecto contingat ex ſuperioris alicujus lege, & hac abrogata

b) *Conf. Diſquiſ. de Orig. Iur. N. art. 7. §. 15. ſqq. §. 25. ſqq.*

c) *Elem. l.*

Digitized by Google

gata rurſus evaneſcere; morale illud tale *poſitive* tantum dici poterit.

§. 6. Quænam autem in ſpecie his actibus humanis objecta, per ſe convenientia, vel inconvenientia ſint; quibus etiã, qualibusve actibus circa hæc vel illa objecta, v. c. DEUM, & proximum, vel hujus res & bona, convenienti aliqua, vel inconvenienti ratione occupemur; à natura noſtra humana, ſive ab ipſo homine cum ſtatu ſuo ſpectato, per hujus rationem poſſe, alibi prolixe a) explicatum eſt. Hominem nimirum quando nominamus, tria indicamus: Naturam 1. rationalem, 2. ſocialem, & 3. creaturam DEO per eſſentiam obligabilem, eique ideo quia creatura eſt ſubjectam. Sic ipſe *Grotius*, b) quid humanæ noſtræ naturæ conveniens, & inconveniens ſit, & ſic origines juris N. explicaturus, oſtendit hominem eſſe animans 1. ſociale, ad vitam ſocialem aptum, præditumque *appetitu ſocietatis excellente*, & ſic *non qualiscunque, ſed tranquilla, & pro ſui intellectus modo ordinata*. 2. Rationale, facultate ſciendi agendique ſecundum generalia præcepta præditum. Hinc cum homo judicio diſcretivo practico polleat, ut honeſta à deterioribus, utilia à noxiis, ſciat aliquo modo diſcernere: *Maximum*, inquit *Seneca*, c) *hoc habemus naturæ meritum, quod virtus in omnium animos lumen ſuum permittit; etiam qui non ſequuntur, eam vident*: prudenti etiam diſ-

a) *De Orig. I. N. art. 6. n. 14 ſqq. 18. ſqq. 26. ſqq. Art. 7.*

b) *Proleg.*

c) 10. *de benef. c.* 17.

 pen-

penſatione, & ordinatione, unicuique ſuum
[d) *Proleg.*] tribuere norit, *quæ* ſc. uti rurſus *Grotius* d) loquitur, *cuiq; homini aut cœtui propria ſunt, nunc ſapientiorem minus ſapienti, nunc propinquum extraneo, nunc pauperem diviti, prout actus cujusque & natura rei fert, præponendo.* 3. DEO ſubjectum, *cui nos ſubjici debere intellectus ipſe noſter irrefragabiliter dictat.*

§. 7. Conformia hæc ſunt non ſolum ex inſito intellectus lumine recti Gentilium, ſed & veterum Chriſtianorum diſciplinæ. Sociale eſſe animal hominem, ex inſtituto proba-
[a) 1. *Polit.* c. 2.] tum ivit *Ariſtoteles,* a) docuitque cum aliis *Ci-*
[b) 1 *Offic.* 4.] *cero,* b) & in originibus honeſti explicandis hujus rei fecit mentionem. Ex noſtris *La-*
[c) *l.* 6. *c.* 10.] *ctantius* c) id ex profeſſo egit, dicens inter alia: *DEUS quoniam pius eſt, animal nos voluit eſſe ſociale.* Et B. *Auguſtinus* cum alibi, tum in præclariſſimo opere de Civitate DEI, hanc Phi-
[d) 19. *de C. D. c.* 5.] loſophiam probavit. *Nam,* inquit, d) *quod illi ſocialem vitam volunt eſſe ſapientis, nos id multo*
[e) *ib. c.* 6.] *amplius approbamus.* Alibi, e) *ſocietatem humanam, quæ nos ad officium pertrahit, deſerere*
[f) *Gen.* 2. 18.] *nefas* judicat. Ipſa DEI vox f) ita habet: *Non eſt bonum eſſe homini ſolitarium, faciam ipſi auxilium pro ipſo.* De rationalitate hominis
[g) *t.* 2. *Opp. de Ei apud Delph. f.*] eleganter *Plutarchus*: g) Cum ὑπάρξεως τῶν πραγμάτων ἔχει καὶ τὰ θηρία γνῶσιν, ἀκολούθου θεωρίας καὶ κρίσιν ἀνθρώπῳ μόνον παρέδωκεν ἡ φύσις, *bruta rerum ſubſtantiæ habeant notitiam, conſiderationem & judicium conſequentiæ ſoli homini*

natura

Digitized by Google

natura dedit. Iterum: *Solus homo antecedentis & conſequentis, & ſignificationis horum atq́; connexionis, mutuiq́; reſpectus & diſcriminis vim percipit, ex qua demonſtrationum principium petitur præcipuum.* Ex noſtris B. *Baſilius* h) ita loquitur: ἔχομεν παρ' ἑαυτοῖς κριτήριον φυσικὸν, δι' οὗ τὰ καλὰ τῶν πονηρῶν διακρίνομεν, *apud nos ipſos judicium quoddam naturale habemus, per quod ab iniquis bona facile diſcernimus.* Rationalitatem denique præ brutis aſſertam, ſupra ex *Pſalte* i) vidimus. Denique quod DEO ſubjecta creatura ſit homo, *Epictetus* k) agnovit: Ὁ καλὸς, καὶ ἀγαθὸς, τὴν αὐτοῦ γνώμην ὑποτέταχε τῷ διοικοῦντι τὰ ὅλα· καθάπερ οἱ ἀγαθοὶ πολῖται τῷ νόμῳ τῆς πόλεως, *vir bonus ſuam ſententiam & voluntatem ſubjicit omnium rerum gubernatori; quemadmodum boni cives legi civitatis.* Chriſtianorum Doctor autem Petrus l) ita monet: Ταπεινώθητε ὑπὸ τὴν κραταιὰν χεῖρα τοῦ Θεοῦ, *humiliemini ſub potenti manu DEI.*

h) *in Prov. c. 1. f. 465.*

i) *Pſal 32. 9.*

k) *Arian. l. 1. c. 12. p. 118.*

l) *1. Ep. 5. 6.*

§. 8. Ex hoc quid humanæ naturæ per ſe conveniat, vel non conveniat, facile inferre licet. Nimirum cum homo per naturam ſit animal ſociale, convenienter ſuæ naturæ acturo non poterit non cuſtodia ſocietatis curæ eſſe; judicabitque intellectus, abſtinendum eſſe à cæde, à furto, alienum reſtituendum, & damnum maleficio & injuria datum reparandum: Verbo: quod tibi non vis fieri, alteri non eſſe faciendum. *Ad cœtum geniti ſumus,* ait *Seneca,* a) *ſalva autem eſſe*

a) *2. de Ira c. 13.*

ſocietas, niſi amore & cuſtodia partium, non po-
b) *de ira Dei c. 14.* *eſt*: Et *Lactantius*, b) *utique*, inquit, *juſtiſſimum eſt amare hominem. qui ſit nobiſcum divini juris ſocietate conjunctus.* Dilectionis hujus quæ officia, & quid ei conveniens ſit, ſecunda tabula Decalogi docet. Intellectuale vero agens cum ſit homo, & ſic facultate gaudeat rem cognoſcendi, prout in ſe eſt, ſive quid, qualisve in ſe & ſua natura ſit, & ſic res æſtimandi, atque à ſe invicem diſcernendi ſecundum ſuam naturam; ratione denique ea quæ ad vitam ſocialem pertinent rite ordinare ſciat, non niſi juſta eligere, nec niſi juſte agere, humanæ naturæ erit conveniens. Recte quippe judicando, honeſta ſe decere, non
c) *l. c.* item turpia, cognoſcit: Cum, uti *Grotius* c) loquitur, *judicium* in agendis recte *conformatum ſequi, neq; metu, aut voluptatis præſentis illecebra corrumpi, aut temerario rapi impetu, conveniens ſit humanæ naturæ.* Ratio recta eſt principium actionum honeſtarum; perverſa malarum. Illa eſt rectitudo in cognoſcendo, ſeu cognitione practica, cui reſpondere debet rectitudo in agendo: Hæc error & lapſus hominis; ergo naturæ ejus, quæ recta eſſe debet, non conveniens. Prolixe & egre-
d) *Diſſ 17. p. m. 365.* gie hæc explicat *Maximus Tyrius*, d) ubi inter alia hoc habet: Τῷ δὲ τῶν ἀνθρώπων βίῳ ἂν ἀφέλῃς λόγον, οἰχήσεται κατὰ κρημνῶν, πτῶν πονηρὰς καὶ ἀσαφεῖς ὁδοὺς καὶ τραχείας, *ſi ex humana vita rationem tollas, de ſemita continuo ſuo per aſpe-*

rum

rus incertaq́, aberrabit ſalebras, donec in præceps feratur. Et cum noſter adhuc eſſet *Tertullianus*, e) *nihil non*, inquit, *ratione tractari, intelligiq́, DEVS voluit.* Et *Ambroſius*: f) *Ita informati ſimus, ut bonarum rerum ſubeat animam cogitatio, appetitus autem rationi obtemperet (ſi vere, ut illud decorum cuſtodiamus, animum volumus intendere) ne rationem excludat rei alicujus effectus, ſed ratio, quid honeſtati conveniat, examinet.* Certe ex hoc quod homo ſit agens intellectuale, illius finem eſſe DEO conformari, qui & ipſe agens intellectuale eſt, tam Gentiles quam Chriſtiani collegerunt doctores, ceu alibi g) oſtendimus. Cujus conformationis noſtræ cum DEO, *ut ſimus ſancti, quemadmodum ipſe ſanctus eſt*, h) neceſſitatem, etiam convenientia obedientiæ, quam ex creaturæ conditione Creatori debemus, à nobis exigit.

13

e) *de Pœnit. c. 1. ſ. 477.*

f) *1. Offic. 22.*

g) *In ſpecim. Antiquit. Moral.*

h) *Levit. 11. 44. c. 20. 7. 26. 1. Petr. 1. 16.*

§. 9. Etſi vero hæc per ſe talia ſint ex natura rei ipſius, ita veritate rei, *moralitatis* ſcilicet, ceu prolixius alibi vindicatum, a) & immutabili humanæ naturæ conditione exigente; aliter tamē de originibus *Legalitatis naturalis*, ſeu ꝟ *legalis*, quod *naturale* dicitur, diſputamus. *Hugo Grotius*, ceu conſtat, notatus hoc nomine à cenſoribus eruditi ejus de belli & pacis jure operis, ſtatuit b) dari jus naturæ, atq; eidem aliquid repugnare, *etſi demus, quod ſine ſummo ſcelere dari nequit, non eſſe DEVM, aut non curari ab eo negotia* hu-

a) *Vindic. Orig. I N. Contr. 2.*

b) *Proleg.*

humana; cum tamen non appareat, qui legem citra legiſlatorem concipere queamus; quam proin ſupra jam improbavimus Philoſophiam.

§. 10. *Legiſlator*, & autor Legis naturalis, *Paulo* Doctore, DEUS eſt, a) à quo & cordi humano inſcripta eſt, & vim juris accepit. Univerſum enim genus humanum obligare non poteſt, niſi qui univerſo mortalium genere eſt ſuperior. *Demonſtrat* Paulus in Ep. ad Rom. ait *Athanaſius*, b) πᾶσιν ἀνθρώποις ἔμφυτον εἶναι, *univerſis hominibus inſitam eſſe legem*. Et *Theodoretus*; c) διαπλάσας, inquit, τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος ὁ ποιητὴς, ἐντέθεικε τῇ φύσει τὴν τῶν ἀγαθῶν, καὶ τὴν τῶν ἐναντίων διάγνωσιν *cum Creator hominum genus formaret, inſeruit naturæ bonorum malorumq; notitiam & diſcretionem*. Expreſſius *Chryſoſtomus*: d) ἐξ ἀρχῆς πλάττων ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον, νόμον αὐτῷ φυσικὸν ἐγκατέθηκε, *ab initio rerum, cum formavit hominem DEUS, ipſi indidit legem naturalem*. Conſociamur nimirum omnes, qui homines ſumus, ad univerſalem aliquam civitatem conſtituendam, cujus rector DEUS eſt, ſub divino imperio. Ὁ κόσμος ὡσπερεὶ πόλις ἐστί, *civitatis inſtar mundus eſt*, ait *Antonin. Imper.* e) quod prolixius Stoicis, & qui hic illos ſequitur, *Ciceroni* paſſim explicatur, annuentibus Chriſtianis doctoribus, ceu alibi docuimus, f) *Tertulliano, Lactantio, Ambroſio, Auguſtino*. Inhabitamus enim ex unius hominis ſanguine ex-

a) *Rom.* 1. 19. c. 2. 15.

b) *Synopſ.* t. 2. *Opp.* f. 140.

c) t. IV. *Opp. ſerm.* 12. f. 669.

d) *Orat.* 12. *ad popul. Antiochen.*

e) *l.* 4. *p.* 24.

f) *de Orig. Iur. Gent. art.* 1.

exorti, quo, uti B. *Auguſtinus* g) loquitur, ***non ſolum naturæ ſimilitudine humanum genus ſociaret, verum etiam quadam cognationis neceſſitudine in unitatem concordem pacis vinculo DEVS colligaret***, mundum hunc conſociati ad commune bonum, cōmunemque felicitatem, eodem vinculo ſub divino imperio, ſicut in particularibus cœtibus cives ſub regimine civili eandem conſtituunt civitatem particularem.

g) *de C. D. l. 14. c. 1.*

§ II. Pro *ratione* I. *fundamentali* itaque *Vniverſali* J. N. habemus SOCIALITATEM, ſed illam quæ *Generalis* eſt, univerſi nimirum generis humani ſub divino imperio; qua ſub DEO rege εὐσεβῶς, σωφρόνως ϗ δικαίως nobis vivendum, ad quæ officia ex naturæ ſuæ indole homo ordinatur. Cum enim ſit creatura, non poteſt non DEO obligari, ad convenientem cultum illi præſtandum; & cum ſi per naturam rationalis, recteque ſciat de rebus judicare, convenienter ſuæ acturus naturæ, non aget niſi honeſte; & cum ſit cum aliis hominibus ſocialis, neminem lædere, ab omni maleficio, damnoque per injuriam dato, abſtinere, & unicuiq; ſuum tribuere debebit. Unde *Lactantius*, a) ***primum***, inquit, ***officium juſtitiæ eſt conjungi cum DEO, ſecundum cum homine.*** Illud ad religionem; hoc ad ***ſocialitatem in ſpecie*** talem, hoc eſt ad ſocialem cum hominibus vitam, ad quam homo conditus eſt, pertinet, quæ ſecundæ

a) *6. Inſt. 10.*

cundæ tantum tabulæ Decalogi officia complectitur. Qua acceptione alibi b) jam negavimus, *Socialitatem* pro univerſo & adæquato J. N. fundamento poni debere.

b) *De Orig. Verit. I N. a. 6. § 16. p. 170. ſqq.*

§. 12 II. Cum DEUS ſuæ ſapientiæ & bonitati convenienter creaturus, hominem animal rationale & ſociale creaverit, ex hoc creationis beneficio, & pleno dominio in homines, tanquam res proprias, ſuumque opus, quod in quantum tale ſui eſt artificis, à quo producitur, liberoque etiam, nec aliunde reſtricto, in eorundem perſonam, voluntatem, & actiones gaudet imperio, conformi tamen reliquis illius attributis, ſapientiæ ſcilicet, cujus τύπος, *Athanaſio* a) monente, ἐγκτίζεται τοῖς ἔργοις, ὥσπερ καὶ τῆς εἰκόνος τὸ κατ' εἰκόνα, *ſimulacrum rebus conditis impreſſum eſt, ut effigiata illa, & imitatitia, cum effigie & exemplo archetypo ſimilitudinem habent*; juſtitiæ, *omnibus* κατ' ἀξίαν, *ut dignum eſt tribuentis, & congruentem modum, & pulchritudinem, & compoſitionem ordinis & diſpoſitionem*, ut loquitur *Dionyſ. Areopagita*; b) & ſanctitati, bonitati item; μηδὲν ἁμαρτεῖν ἐστὶ Θεοῦ, *nil enim peccare* DEI *eſt*, ait *Gregor. Nazian.* c) quæ, ut *Irenæus* monet, d) *ſine juſtitia, ut bonus ſit ad dandum* DEVS *his quibus debet, eſſe non poteſt.* Ἀγαθὸς ἐστὶ ὁ Θεὸς, μᾶλλον δὲ πηγὴ τῆς ἀγαθότητος ὑπάρχει· ἀγαθῷ δὲ περὶ οὐδενὸς ἂν γένοιτο φθόνος· ὅθεν οὐδενὶ τοῦ εἶναι φθονήσας ἐξ οὐκ ὄντων τὰ πάντα πεποίηκε, *bonus eſt* DEVS, *vel potius fons bo-*

a) *c. l. Opp.* Orat. III. *contra Arian. f.* 450.

b) *De Div. nom. c.* 8. *§.* 7.

c) *Orat. de Bapt. f. m.* 279.

d) *l.* 3 *adv. har. c.* 42.

nitatis: *Bonus autem nullius rei invidia tangitur, unde nihil eſſentiam invidens, ex non entibus univerſa creavit*, rurſus ait *Athanaſius*: e) & æquitati: Quarum illa, ceu perfectiſſimum divini intellectus lumen, prælucet; hæ vero normæ, & legis inſtar divinam voluntatem in ſuis dirigunt actionibus, ceu alibi notatum. f) Id quod nec Gentiles latuit, ex quibus *Plato* apud *Sext. Empiricum*, g) ὡς θερμοῦ ἴδιόν ἐστι τὸ θερμαίνειν, καὶ ψυχροῦ ἴδιόν ἐστι τὸ ψύχειν, οὕτω καὶ ἀγαθοῦ ἴδιόν ἐστι τὸ ἀγαθοποιεῖν, *uti calidi proprium eſt calefacere, & frigidi proprium eſt frigeſacere, ita & boni proprium eſt benefacere*. Unde ad mentem diſciplinæ Gentilis, *Seneca*, h) *natura*, inquit, *Diis cauſa eſt benefaciendi. Errat, ſi quis putat illos nocere velle, non poſſunt*. Quæ plenius diſciplina noſtra Chriſtiana exponit.

e) *de Incarn. t. I opp. f. 56*

f) *de Orig. I. N. art. 3. § 9. ſqq.*

g) *l. 10. adv. Mathem. p. 430.*

h) *Epiſt. 95.*

§. 13. Datur hinc III. in DEO Legiſlatore, & Legis naturalis autore, etiam *ratio* aliqua *Legiſlatoria*, quæ provenit à dictaminibus divinæ rationis practicis. Divinum intellectum in hoc opere legiſlatorio dirigit cum illius omniſcientia, qua omnia cognoſcit, tum omniſapientia, qua omnia dijudicat. Illâ cognoſcit, & ſcit, quod homo, ſubditus ſuus, ex naturæ ſuæ humanæ veritate, & debita perfectione, non aliud quam rationale & ſociale animal eſſe poſſit; quod vi rationis ſciat intelligere, & dijudicare, ut alia, ita quoque honeſta & turpia, eademque à ſe in-

vicem diſcernere, libereque vi voluntatis iſta eligere, hæc vero fugere; ex amore vitæ ſocialis autem in cœtu ſui ſimilium libenter vivere velit. Sapientia autem ſua DEUS judicat, tale animal, quale eſt divinus ſubditus homo, non poſſe ſine lege liberum relinqui, cum per naturam legis capax ſit, damnum etiam aliis inferre, & peccare poſſit; ne, ſi beſtiarum inſtar, quæ anima juſti rectiq; capace deſtituuntur, exlex ageret, animal ad atrociſſima quæque committenda ſatis ingenioſum, ipſi etiam DEO impune inſultaret. *Lex*, inquit *Hieronymus*, a) *prohibendo quod non vult fieri, ligat eos vinculis mandatorum: qui prius abſq; lege peccantes, non tenebantur criminibus.* Quemadmodum itaque ἐν τοῖς νόμοις ἐστὶν ἡ σωτηρία τῆς πόλεως, ut loquitur *Ariſtoteles*, b) ita cum communitatem quandam ſub DEO naturaliter conſtituamus omnes, lege quoque communi, ceu vinculo, nos conſociatos eſſe oportet. Placuit ergo divinæ voluntati, vitæ actionumque regulam perpetuam, atque immutabilem, homini præſcribere, qua obligaretur ad facienda quæ per ſe bona, & fugienda quæ per ſe in vita humana mala ſunt, reliquis, quæ prohibenda forent, ipſi homini, humanoque inter mortales imperio, relictis.

§. 14. Præterea IV. divinam voluntatem, ad ferendam talem legem, movet ipſa DEI bonitas, ſeu benignitas, cui repugnat in ne-

a) *t. IV. ad Algaſ. q. 8. f. 74. b.*

b) *1. Rhetor. 1.*

neceſſariis deficere, & anarchiæ Cyclopicæ, univerſalique cum omnibus mortalibus bello, nulla data lege ſociali, hominem objicere. Ἀρχὰ γὰρ, inquit, *Callicratid.* apud *Stobæum*, a) τὸ θεῖον τῆς φύσιος, ὅτι τὸ ἐκείνων συμφέρον σκοπεύμενον, οὔτι μὰν τὸ ἴδιον ἀπολελυμένως, ἀλλὰ τὸ κοινά, *in mundo enim DEVS naturæ præſidet: neque naturalium rerum utilitatem, neq; ſuam abſolute ſpectans, verum communem.* NB Dirigit autem eandem in hoc opere legiſlatorio, cùm quæ ad ferendam etiam legem movit divina bonitas, tum ſanctitas atque juſtitia ſupremi noſtri legiſlatoris. Illa creaturæ rationali nil præcipiendo, quo à fine ſocietatis aberret, vere, ſi hoc contingeret, infelix futura: Bene *Hierocles*, b) DEUS, inquit, ἀγαθὸς φύσει· ἀγαθῷ δὲ οὐδεὶς περὶ οὐδενὸς οὐδέποτε ἐγγίνεται φθόνος, *natura ipſa bonus eſt, neque* in eum qui bonus eſt, ulla unquam rei ullius cadit invidia. Iſta munditiem debitam à creatura, quæ ſancta eſſe poteſt, & debet, exigendo, ne quæ moraliter mala & turpia ſunt, ei præſcribat. *Procul hæc abeat ſcelerata opinionis immanitas*, recte ait *Arnobius*, c) *ut DEVS credatur omnipotens, animas genuiſſe in vitia labiles, in peccatorum genera univerſa declives.* Hæc à creatura rationali, quod rectum & juſtum eſt, poſtulando. *Procul hæc abeat*, rurſus inquit *Arnobius*, d) *tam immanis & ſcelerata perſuaſio, ut ille ſalus rerum DEVS omnium, virtutum caput, benignitatis & columen;*

a) *Serm.* 83. *f.* 486.

b) *in aur. Pythag. p.* 20.

c) 2. *contr. gent. p.* 88.

d) *l. c. p.* 89.

men: atq; ſapientiſſimus, juſtus, perfecta omnia faciens, & integritatis ſuæ conſervantia menſiones, aut aliquid fecerit claudum, & quod eminus eſſet à recto, aut ulli rei fuerit miſeriarum, aut diſcriminum cauſa.

§. 15. Secundum hæc itaque ſuorum attributorum dictamina, quando V. DEUS decernit, quo pacto creaturæ rationales ſuum ſervare ordinem, ſuasque obire functiones debeant, tunc iſtud decretum divinæ voluntatis, cum illo DEUS jam ab æterno conſtituerit, quo pacto homines ſuas actiones obire, ſuum etiam ſervare ordinem, & intra eundem ad ſuum finem dirigi debeant, vim legis acquirit, eſtque illa Chriſtianis non ſolum, ſed & Gentilibus toties deprædicata *lex DEI æterna*, quam ex noſtratibus præ aliis eximie *Auguſtinus*, ex Ethnicis *Cicero* expoſuit, de qua etiam apud *Pythagoricos*, & *Platonicos*, dicta extant illuſtria. Norma nimirum illa eſt, qua DEUS ſecundum ſapientiæ, ſanctitatis, juſtitiæ, & bonitatis ſuæ dictamina, jam ab æterno voluit, quomodo, cum ſimus agentia intellectualia, & ſic in tantum ipſi ſimiles, vitam agere quoque intellectualem debeamus, ut ſimus ſancti, quemadmodum ipſe ſanctus eſt. Divinum hoc ſtatutum, divinaque hæc ordinatio, mortalium genus ad certam agendi rationem obligans, quando ejus expreſſio in nobis datur, id quod ſic in nobis à DEO exprimitur ad illam legem æternam,

in

Digitized by Google

in quantum per illam bene, ſanctè, juſte, & rationali, ſocialique noſtræ naturæ convenienti ratione nos gubernare ſupremus Rector decrevit, eſt, diciturque JUS NATURÆ. Recte proin hoc rivulus eſſe dicitur *ex fonte Legis æternæ*, quæ in DEO eſt, deductus, ac divinæ illius lucis, ſapientiæ, juſtitiæ, ſanctitatis, & bonitatis in DEO, radius quidam in nobis reſplendeſcens, ſignumque divinæ voluntatis bonum præcipientis, malum vero prohibentis. Quod itaque divina ſapientia & ſe decere, hominisque naturæ convenire judicavit; quodque divina voluntas ex omniſapientiæ beneplacito, ſecundum divinæ bonitatis, ſanctitatis & juſtitiæ dictamina, homini, actuum & motuum illius ordinandorum gratia, præſcribere, atque præcipere ab æterno decrevit, hoc ex vi imperij, quod habet mortalium Rex ſupremus, tanquam legem, cum efficaci obligatione ad obſequium imperat per naturam. Habet itaque Jus naturæ originem ſuam à DEO, tam ratione exiſtentiæ, quam ratione obligationis, & quoad vim legis, accurate etiam, ut reliqua ſolet, hoc explicante doctiſſimo Dn. D. *Alberti*. a)

a) *Compend. I.N.Orthod. Theol.conf. P. I. p. 98. ſqq.*

§. 16. Huic divino in hominem imperio, jurique imperandi, cujus effectus eſt lex naturæ noſtræ implantata, ſubordinamus rationem & conſcientiam, in qua jura naturalia ſedem habent, & per cujus dictamina leges

ges naturales, à ſupremo legiſlatore intellectui humano, ceu lumen recti, ſemenque boni, concreatæ, nobis innoteſcunt. *Ciceronis* a) quoque hæc eſt Philoſophia, qui cum juris naturalis originem ipſi DEO ſub *Naturæ*, communis ſcil. nomine aſſignaſſet, rationem dein ſupremo Numini ſubordinavit, ita ut rectæ rationi divini Numinis imperium, præceptum, atque juſſum, incluſum una concipiatur, & concipi debeat, non ratio ſolitarie ſpectata, quod eximie explicatum eſt *Seldeno.* b) Cæterum ineſt huic rationi à natura, h. e. divinitus, quædam inſita boni honeſtique notitia, quæ *ſemina ſcientiæ* dicuntur *Seneca*; c) *lumen virtutum,* d) *igniculi, & ſemina virtutum,* Ciceroni, e) *quæ adoleſcere ſi liceret, nec à pravis opinionibus reſtringuerentur, ipſa nos ad beatam vitam natura produceret*; ſuntque aliud nihil, quam congenita notitia honeſtorum, radius ille legis DEI æternæ, & lumen divinæ rectitudinis in nobis reſplendeſcens. Eleganter loquitur *Sanderſonus*: f) *Indidit DEUS homini legem quandam naturalem, natura ſua, ut rationalis creatura eſt, proportionatam; h. e. ſublimiorem multo, & nobiliorem, & (ſi fas eſt dicere) diviniorem, quam quæ aliis inferioris hujus orbis creaturis data eſt; quæ ipſum ad ea agenda impellat, quæ natura ſua ſunt congrua, quatenus homo eſt, animal nempe ratione præditum; h. e. verbo dicam, ad vivendum ſecundum rationem.*

a) 1. *Off.*

b) *I. N. G. p. m. 91. ſqq.*

c) *Epiſt.* 120.

d) *Senec.* 10. *de Benef.* 17.

e) *Tuſcul. qq.* 3. 1.

f) *de Conſcient. p. m.* 173.

§. 17.

§. 17. Duplicia ſunt hæc *νοήματα* practica: Alia boni maliq; diſcrimen inſinuant, alia tranſgreſſoribus legis Naturalis pœnas denunciant, cum *Paulo* a) monente, Gentiles ex lumine naturali *τὸ δικαίωμα τοῦ Θεοῦ, juſtitiam DEI cognoverint, ὅτι οἱ τὰ τοιαῦτα*, ſcelera nimirum, de quibus v. 24. 29. ſqq. *πράσσοντες ἄξιοι θανάτου εἰσίν*. Exerunt ſe hæ leges divinæ per dictamina rationis practica, vivendique præcepta, quæ intellectus ratiocinando, & lumen ſuum morale, quo divinitus illuminatus eſt per naturam, intuendo, ſuggerit: ſentiturq; vis illarum in Conſcientia. b) Conjunguntur enim, ceu alibi c) diſputavimus, divinum Numen & homo per conſcientiam, in qua DEUS cum homine per jus naturæ agit, in qua etiam divinum in hominem imperium, cum per notitiam congenitam honeſtorum ac turpium, tum per metus cujuſdam ſenſum, qui de divino in hominem imperio, & gloria obligationis nobis relictæ teſtatur, ſe exerit. Hic ſe homines autoritate quadam humana ſuperiore obligatos ſentiunt: Hic ſe ad normam ſuperioris cujuſdam vivendi teneri convincuntur, vi quadam tacita mentem mortalium ad obſequium urgente. Falluntur itaque, qui in originibus J. N. explicandis in ratione tantum, ejusque dictaminibus præciſe, ſubſiſtunt, nec ulterius ad DEUM, ejusque ſapientiam legiſlatoriam, & imperium in genus humanum, eo quo explicavimus modo, aſcen-

a) *Rom. I. 32.*

b) *Rom. 2. 15.*

c) *de Orig. Iur. Nat. art. 3. §. 18.*

aſcendunt, cum ad media & modum cognoſcendi leges naturales illa referri debeat; &, bene *Seldeno* d) monente, *qua talis ſolum & ſimplex, ſuadeat, & demonſtret, non vero jubeat, ad aut officium, niſi ſuperioris eo, qui jubetur, accedat ſimul auctoritas, obliget: Quod legis data proprium eſt.*

d) *De I. N. & G. l. 1. c. 7. p. 91.*

§. 18. Concedimus equidem *Autori* a) *de principiis juſti & decori, non omne quod pudorem incutit peccatum eſſe, & naturalis legis dictamine prohiberi*; attamen quando ſenſus turpidinis, & horror à ſcelere, itemque à ſenſu turpitudinis in Gentilibus etiam exortus pudor, ſe in homine, etiam non renato, nonnunquam exerit ante factum, ex conſcientiæ dictamine turpe aliquid eſſe dictitantis, infamiamque, ſupremi etiam Numinis pœnam, denunciantis, ut Byblis ardens amore fratris flagitioſo, horrore ſceleris à turpi deſiderio revocata, *quo feror*, inquit, b) *obſcura procul hinc diſcedite flamma.* Et rurſus: *Heu mihi, quo labor, quem mens mea concipit ignem.* Myrrhæ etiam, c) thalami paterni ante commiſſum ſcelus limina tenenti,

a) *p. 59.*

b) *Ovid l. 9. Metam.*

c) *Ovid. 10. Metam.*

Poplite ſucciduo genua intremuere, fugitq;
& color & ſanguis: animusq; reliquit euntem.
Quoq; ſuo propior ſceleri eſt magis horret, & auſi
pœnitet, & vellet non cognita poſſe reverti.

Byblis pudore ſuffuſa ita ſcripſit ad fratrem, inceſtuoſo amore abrepta:

Hanc

Hanc tibi mittit amans, pudet, ah pudet edere nomen.

Tali caſu pudorem hunc legis internæ, cui homo obnoxius, & ſic quoque vocis divinæ per naturam legalis, indicem eſſe, non abſurde nobis dici creditur, ſubſcribente poſt *Grotium* a) *Bœclero.* b) Unde *Tertullianus,* c) *omne malum,* inquit, *aut timore aut pudore natura perfudit.* Hinc, uti *Iuſtinus Martyr* d) loquitur, ἐςι πᾶν γένος ἀνθρώπων γνωρίζον, ὅτι μοιχεία κακὸν, ϗ πορνεία, ϗ ἀνδροφονία, ϗ ὅσα ἄλλα τοιαῦτα, *genus omne mortalium novit adulterium eſſe malum, & fornicationem, & homicidium, & quæcunq; alia ſunt hujuſmodi peccata.* Nimirum ſicut alij affectus divinitus homini ſunt conceſſi, ad proſequendum bonum, & fugiendum malum, ita & pudore idem tangitur, affectu homini proprio, metu vel opinione ejus, quo ſuam exiſtimationem minui videt, aut credit. Non male hinc Clar. Autor, *Lambertus* à *Velthuyſen,* e) *pudor,* inquit, *à natura homini tuendæ & conſervandæ dignitatis, & exiſtimationis ſuæ, cuſtos datus eſt: Quemadmodum DEVS homini alias paſſiones largitus eſt ad tutelam: metus enim infamiæ reprimit animum, ne procaciter, inordinate, aut turpiter quid peragat.* Ita Protoplaſti lapſi f) præ pudore ſe occultarunt, vocem DEI audientes. Publicanus, peccator, delictorum conſcientia confuſus, & pudore coram DEO, ob ejus offenſam, ſuffuſus, g) *procul ſtetit, ne* qui-

a) *I. B. P. II. §. 12.*

b) *Comm. Grot. P. II. p. 168.*

c) *Apolog. c. 1.*

d) *Dial. cũ Tryphon. f. 320.*

e) *de pudore Nat. p.m. 2.*

f) *Gen. 3. 8. ſqq.*

g) *Ier. 31. 19. Num. 12. 14. Dan. c. 9. 8.*

h) *Luc.* 18. 13. *quidem oculos in cœlum attolere ſuſtinens.* h) Diverſi licet generis hic pudor ſit, quem lex in nobis operatur, ut nobiſmet ipſis etiam, i) *Rom.* 7. 24. *Pauli* i) exemplo diſpliceamus, cum naturali pudore, qui legis naturalis ſenſu in nobis ſe exerit, non confundendus: Cum illum ſincera pœnitentia, & contritione, quam Sp. S. in nobis efficit, tacti in ſe ſentiant, ortum, ut dictum, ex concione legis. Appellatur à k) *c.* 4. 9. *Iacobo* k) κατήφεια, quæ vox, notante *Dannhavv.* l) l) *Hodoſ. p.* 1284. ſignificat *demiſſionem vultus,* ſeu *ex mœrore,* ſeu *ex pudore,* ſeu *utraq; re ortam.*

§. 19. Quemadmodum itaque in eruendis originibus Juris naturalis, ſine oppoſitione, conjunctim ſpectari debere cenſemus, *Naturam humanam*, qua rationalis ſc. eſt & ſocialis, *quidq; hominem deceat* ex naturæ ſuæ conditione, rationalem & ſocialem ut vivat vitam; *divinam* item *ſapientiam*, cognoſcentem ex infinitudine perfectionis ſuæ, cum, quæ qualesque actiones hominis naturæ reſpondeant, ne agendo à ſe ipſo difformis reddatur tam nobilis creatura, tum, quomodo DEUM, ſupremum creaturarum rationalium Rectorem, hunc ſuum ſubditum ad rationale & ſociale vitæ genus obligare deceat: *divinam* præterea *voluntatem*, quæ cum ſecundum divinæ omniſcientiæ & ſapientiæ, tum ſecundum bonitatis, ſanctitatis, & juſtitiæ divinæ dictamina & normam, agendi regulam, per naturam inſitam, humano generi præſcribere de-

Digitized by Google

decernit; *divinum* denique *imperium*, obligans efficaciſſime homines ad exequendas leges naturæ illorum inſcriptas, & per naturam præſcriptas, quibus *rationem* & *conſcientiam* ſubordinamus, in qua divinæ iſtæ leges à nobis cognoſcuntur: Ita in fundamento LL. naturalium explicando, & in ratione illarum danda, conjunctim quoque cauſas iſtas ſpectari, nec ſibi invicem opponi, certe ſubordinari alteram alteri debere, judicamus. Unde non ſequitur: Socialitas eſt fundamentum juris naturalis, eo nimirum ſenſu, qui modo à nobis explicatur: ergo non aſſimilatio hominis cum DEO; cum per officia vere ſocialia homo in aſſimilationem cum DEO veniat, ipſo *Chriſto* Doctore, a) qui vult ut ſimus *οἰκτίρμονες, καθὼς καὶ ὁ πατὴρ ἡμῶν οἰκτίρμων ἐστίν, ut ſimus miſericordes, ſicut & pater noſter miſericors eſt.* Nota eſt Ethnici hominis, *Platonis*, b) vox: *Ὁμοίωσις Θεῷ δίκαιον καὶ ὅσιον μετὰ φρονήσεως, DEO ſimiles efficit, cum prudentia, juſtitia ſimul & ſanctitas. Theodoreto* c) is, qui ſecundum leges naturales vivit, *αὐτοῦ τοῦ νομοθέτου ζῶσα τις εἰκὼν, καὶ λογικὴ γίγνεται), ipſius quoq; legiſlatoris viva quædam imago, & rationalis efficitur.* Ita recte aliquid juri naturali contrariari probatur, quod ſit contra ſocialitatem; quod ejus divina approbatio repugnet divinæ ſanctitati, puritati, aut juſtitiæ; quod ſit contra ſanæ rationis & conſcientiæ dicta-

a) *Luc.* 6, 36.

b) *Theatet.* *f. m.* 128.

c) *t. IV. opp. f.* 662.

dictamina, quodq; naturali pudore, vel horrore quodam, à facto homo revocetur.

§. 20. *Effectus* LL. naturalium eſt omnium mortalium efficaciſſima obligatio ad obſequium, à qua nullus Cyclopum omni ſua ſe liberabit feritate. Obligamur enim à DEO, ſuperiore noſtro, leges has nobis ad obſervandum proponente, ex vi imperij quod habet in nos, noſtrasque actiones: *Actus*, bene inquit *Grotius*, a) de quibus Juris naturalis extat præceptum, vel interdictum, *à DEO naturæ autore neceſſario præcepti, aut vetiti, intelliguntur*: Non vero, uti *Hobbes* b) notat, *procedit obligatio obedientiæ DEO præſtandæ ab imbecillitate humana*. Negat enim hæc vires reſiſtendi hominis tantũ, non jus, quod per ſe imbecillitas non tollit: id vero cum vera obligatione conſiſtere nequit. Naturam vero noſtram humanam quod attinet, etſi ab illa, ut ſupra dictum, ratio reddi poſſit, quare actus alij per ſe ſint homini convenientes, alij non convenientes, nulla tamen hinc datur obligatio legalis, cum realiter tantum natura noſtra rationalis malas prohibeat actiones, ceu cum tali natura moraliter incompoſſibiles, obligationis legalis, quæ in legibus naturalibus datur, ſolo legiſlatore, qui DEUS eſt, autore. Innoteſcit obligatio hæc divina, & legalis, nobis partim in nobis ipſis, dum intus ſe in conſcientia exerit ejus vis, ante factum per rationis dictamina, præcipientia bonum, & pro-

a) *I.B.P. l.1.* 10.

b) *de Civ. c. 15. §. 7.*

& prohibentia malum, per horrorem à ſcelere; poſt factum per pudorem, per anxietatem, per internas accuſationes, *conſcientia*, uti *Chryſoſtomus* c) loquitur, *carnificis locum obtinente, ac peccatorem lancinante, ab eoq; extremas pœnas exigente, ac plumbo quovis gravius ipſi incumbente*: Partim etiam extra nos per pœnas, quæ feroces harum LL. contemtores certo manent, ſera licet ſupremi Numinis haud raro veniat vindicta, ab ipſis violatoribus agnita. Exemplo ſunt fratres Joſephi, d) ob fratrem impie habitum, divinam vindictam ſe experiri credentes, cum in Ægypto à fratre incognito ſeverius examinarentur. *Profecto*, inquiunt, *rei peragimur nos ſuper fratre noſtro, cujus vidimus anguſtiam animæ, cum deprecaretur nos, nec audiremus, unde venit ſuper nos anguſtia hæc.* Carthaginienſes certe, cum poſt toties violata fœdera, acceptasque DEO publicam perfidiam puniente clades, pacem à Romanis peterent, hique interrogarent, *per quos Deos fœdus icturi eſſent, cum eos per quos ante ictum eſſet, fefelliſſent*, reſponderunt apud *Livium*: e) Per eoſdem, qui tam infeſti fœdera violantibus. Et apud *Appianum* f) Cornelius Lentulus, oratione in ſenatu habita, opinatur, *τὺς θεὺς ἐς τόδε τ̃ Καρχηδόνα περιενεγκεῖν, ἵνα δῶσι ποτὲ δίκην τ̃ ἀσεβείας, ipſos Deos eo redegiſſe Carthaginem*, poſt tot crudelitatis & perfidiæ exempla, *ut tandem pœnas impietatis luant.* Docta extat diſquiſitio

c) *t. 5. opp. Epiſt. 7. Olym.*

d) *Gen. 42. 21.*

e) *l. 30.*

f) *de Bell. Punic. f. 33.*

Ricardi Cumberlandi, g) qua oſtendit, quomodo ſupremo legiſlatori legibus naturalibus pœnas, & præmia, tam arcte annectere placuerit, ut illæ naturaliter neglectas, hæc vero obſervatas ſequerentur; referens, idque recte, *etiam in pœnarum naturalium cenſum, quod legum naturalium violatio peccantis facultates præcipuas lædat, ſtultitiam ac errorem in intellectum ducat, ac perverſam mali ſub ſpecie boni electionem.* Ut proinde Leges hæ proprie & legum ſibi vendicent nomen, & obſequium legibus debitum.

g) *de LL. Nat. c. 5. §. 12. 22 ſqq.*

NB.

SUBSECTIO II.

De

JURE DEI POSITIVO.

§. I.

CUm *Poſitivum jus* dicatur illud, quod Legi divinæ naturali à DEO ſuperadditur, &, ut *Petrus Marchant*, a) *totius Ordinis S. Franciſci, aliquando Diffinitor generalis*, uti vocatur, loquitur, *præter legem naturalem homini ponitur*, non inconvenienter *jus Dei poſitivum* vocabitur, quod actu DEI externo legiſlatorio mortalibus fuit propoſitum, ſive ratione materiæ præcepta ejus naturalia etiam fuerint, ſive mere poſitiva, & in ſe indifferentia, quæ ex voluntate legiſlatoris tantum vim obligandi acceperunt. Dicitur enim

a) *Tribun. Sacram. tom. II. tr. 1. f. 249.*

poſi-

poſitivum à *Poſitione*, notatque actum certum promulgationis externum, illi promulgationi, qua jus DEI naturale *cordibus humanis inſcriptum*, b) & ſic per naturalem inſcri- b) *Rom.* 2. 12. *ſqq.*
ptionem homini, qua rationalis & ſocialis, propoſitum eſt, contradiſtinctum: Ut proin jus poſitivum non tam ratione materiæ, & ob naturam præceptorum, quam ratione actus & modi promulgandi, ita dicatur. Sicut enim præcepta naturalia quando modo civili præcipiuntur, ad civile jus pertinent, & ejuſdem quandam partem conſtituunt, ceu de jure Romano conſtat, in quo multæ, quæ etiam naturales ſunt, continentur LL. ita eadem poſitivo modo ferri, & ſub c) *Loc. t.* 2. *de Leg. c.* 4. *ſ.* 15.
hac forma poſitivi juris partem poſſe conſtituere, dubium non eſt. Monet hinc B. d) *de fug. ſec. c.* 3.
Chemnitius, c) in *forenſibus* etiam *Ebræorum* LL. dari *naturalia, ſeu moralia*. B. *Ambroſio* d) e) *t. I. opp. Comm. in Pſal.* 18. *ſ.* 463.
dicitur *lex ſcripta*. A *Theodoreto* e) lex ἐγγράμμον, *in literis prabita*.

§. 2. Dari tale *DEI jus poſitivum* certum eſt, docetque legislatio Moſaica, quæ ipſum DEUM autorem, Moſen autem non niſi miniſtrum, & internuncium, agnoſcit. Unde *Theophilus Antiochen.* a) τοῦ θείου νόμου, a) *ad Autolyc. l.* 3. *ſ.* 123.
inquit, διάκονος γεγένηται Μωσῆς, *divinæ legis Miniſter Moſes fuit.* De jure hoc agit *Moſes*, b) *cæterum*, inquiens, *hoc eſt præceptum*, b) *Deut.* 6. 1.
ſtatuta & judicia, quæ præcepit Iehovah, DEUS veſter, ut faciatis in terra, in quam vos (eſtis)

 trans-

tranſituri, ad poßidendum eam. Ubi *Lyranus* per vocem מצות, ἐντολαὶ Græcis, *præcepta moralia*, per חקים τὰ δικαιώματα, *ceremonialia*, per משפטים κρίματα, *forenſia* intelligit, non improbante B. *Calovio*, c) cui tamen addendi *Chemnitius*, d) *Seldenus*, e) & *Oſiander*. f) Principatum ducit hæc legumlatio, ſive præceptorum ſanctitatem, ſive rituum pietatem, ſive politicam in illis contentam prudentiam ſpectes; laudata hoc nomine ab *Euſebio*, g) *Ioſepho*, h) *& Philone*. i) Καὶ γὰρ ἐν τῷ Μωϋσέως νόμῳ τὰ φύσει καλὰ, καὶ εὐσεβῆ, καὶ δίκαια νενομοθέτηται πράττειν τοὺς πειθομένους αὐτοῖς, *ſunt enim in Moſis lege ea ſancita, quæ natura pulchra, quæ pia, quæ juſta ſunt, ut ea illi morigeri faciant*, ait *Iuſtinus Martyr*. k) Impie proin *Simon Magus* olim, *Epiphanio* l) memorante, μὴ εἶναι τὸν νόμον Θεοῦ, ἀλλ' ἀριστερᾶς δυνάμεως ἔφασκε, *legem non à DEO eſſe, ſed à ſiniſtra quadam intelligentia profectam eſſe aſſeruit*. Nec multo meliores *Carpocras*, ſeu *Carpocrates*, & *Valentinus*, qui uſq; adeo magnifice de eadem non ſtatuerunt. Aſſociandus his *Cerdo*, qui *legem* & *Prophetas repudiaſſe* dicitur *Tertulliano*, m) quod, notante ex *Irenæo Euſebio*, n) ὁ ὑπὸ τοῦ νόμου καὶ προφητῶν κεκηρυγμένος Θεὸς, non eſſet πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Secutus eſt cum aliis has impietates *Apelles* quidam, eodem *Tertulliano* o) autore: Quorum furorem ſuum etiam in ſec. III. fecerunt *Manichæi*, quorum ſecta ἐξ ἑκάστων αἱ-

ρέσεων

c) *Bibl. illuſtrat. h. l. f.* 562.
d) *Loc. P.* 2. *de Leg. c.* 4. *f.* 12.
e) *de iur. N. & gent. l.* 1. *c.* 10. *p. m.* 119. *ſq.*
f) *Annot. ad Grot. p.* 172.
g) *Præpar. Evang. l.* 8.
h) 2. *contra Apion.*
i) *in Opuſc. paßim.*
k) *Dial. cū Tryph. f. m.* 263.
l) *hæreſ.* 21. *f.* 58.
m) *de præſcript. c.* 51. *f. m.* 116.
n) *Hiſt. Eccleſ.* 4. *c.* 10.
o) *l. c.*

ῥίσιαν ἐκλεξαμένη τὰ χείρισα, οὐδὲν ἀγαθὸν ἔχει, ut loquitur *Leontius Scholaſticus Byzantinus.* p) Hi enim, *Auguſtino* q) ſcriptore, *DEVM qui legem per Moſen dedit, & in Hebræis Prophetis locutus eſt, non eſſe verum DEVM; ſed unum ex Principibus tenebrarum,* delirarunt. Nimirum, quæ *Conſtantini Harmenopuli,* r) eſt relatio, οἱ περὶ Μαρκίωνα καὶ Μάνεντα τὴν παλαιὰν τοῦ πονηροῦ δημιουργοῦ εἶναι νομοθεσίαν, *Marcionitæ & Manichæi legiſlationem teſtamenti veteris mali rerum opificis eſſe* dixerunt. Quid mirum ergo, quod *ſcripturam ignorantes, & virtutem DEI, errarint* tales, Chriſto docente contra Sadducæos. s) Relinquitur contra potius, quod *Paulus* t) concludit, quod ὁ μὲν νόμος ἅγιος, καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία, καὶ δικαία, καὶ ἀγαθή, *lex ipſa ſancta, & præceptum ſanctum, & juſtum & bonum;* ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται, *ſi quis ea legitime utitur,* eodem explicante. u) Diſquirendum ergo, quis in Theologia Morali, & Jurisprudentia Univerſali, uſus genuinus legis divinæ poſitivæ ſit.

p) *de Sect. p. m.* 432.
q) *de Hæreſ. c.* 46.
r) *de Sect. p. m.* 564.
s) *Marc.* 12: 24.
t) *Rom.* 7. 12.
u) 1. *Tim.* 1. 8.

§. 3. Non prolixe autem contra eos prius diſputabimus, qui origines, uti omnis juſtæ legiſlationis, quod & Gentiles *Plato, Cicero, Hierocles* fecerunt, ita & Moſaicæ, divinas eſſe agnoſcentes, partim tamen angelorum creatorum ſermone, ad populum Iſraëliticum facto, legem promulgatam & edictam eſſe fingunt; ceu de Judæis ex *Menaſſe Ben Iſraël,* a) & ex Pontificiis Doctoribus, de

a) *Conciliator. q. c.* 18. *in Exod.*

Becano b) conſtat; vel *legem moralem DEUM* quidem *immediate per ſe* promulgaſſe, *cætera* autem *mandata mediante angelo Moſi dediſſe*, opinantur apud *Suarez*; c) vel, quam *Alphonſi Salmeronis* d) ſententiam fuiſſe *B. Dorſch.* e) docet, Moſen fuiſſe proprie *legis veteris autorem*, & *non tantum promulgatorem*, *quoad præcepta ceremonialia & judicialia*, contendunt, inter illa & Decalogum hanc differentiam conſtituentes, quod *Decalogi DEUS autor fuerit immediatione virtutis & ſuppoſiti*, *cæterorum autem præceptorum tantũ immediatione virtutis*, *Moſes vero immediatione ſuppoſiti*. *Prius* quippe aſſertum contrariatur hiſtoricæ veritati, quæ *Exod.* 19. 3. c. 20. 1. ſqq. ipſum Jehovam, verum & æternum DEUM, αὐτοπροσώπως locutum eſſe teſtatur, ita ut legis Moralis publicatio ipſi Jehovæ, qui unus in eſſentia, & trinus in perſonis, immediate peracta fuerit, quod prolixius à B. D. *Calovio* f) explicatur. Alia fuerunt angelorum miniſteria, v. c. tubis canere, nubes cogere, tonitrua excitare, &c. Appropriatio licet vocis, verba Legis edicentis, ad filij perſonam pertineat. Act. 7. 32. Deut. 33. 2. Idem de *ſecundo*, & *tertio*, dicendum. Etſi enim leges Forenſes, & Ceremoniales, minus ſolenniter latæ quam Decalogus, g) nec à DEO, ſed à Moſe ſcriptæ fuerint, h) ipſa tamen præcepta harum legum, æque immediate à DEO profecta ſunt, eundemque autorem habent, atque Decalogus,

ceu

b) *Theol. Schol. P. II. tom. pri. tract. III. c. 4. q. 2. n. 3.*
c) *de LL. l. 9. f. 638.*
d) *ſuper Matt. Diſp. 61. ſq.*
e) *Theol. Moral. §. 18.*
f) *Bibl. illuſt. t. I. ad Exod. 20. f. 393.*
g) *Deut. 5. 30. 31.*
h) *Deut. 31. 9.*

Digitized by Google

ceu ex *Moſis* Exodo i) cognoſcitur. Eximie i) *Exod. c.*
B. noſter *Chemnitius* k) obſervavit, quomo- *21. 1. c. 25. 1.* k) *t. 2. Locc.*
do I. *Decalogum ipſe DEUS recitaverit.* II. *Mo-* *de Leg. c. 4.*
ſes ſolus juſſus fuerit accedere ad caliginem, in *f. m. 12.*
qua DEUS erat, & ibi acceperit judicia populo proponenda. III. *Solus etiam in montem aſcenderit, ut ibi acciperet Leges ceremoniales.*

§. 4. Fallitur *Spencerus*, a) *Theologus* a) *de LL.*
Cantabrigienſis, contendens *primariam Legis* *Ebr. Ritual*
Moſaicæ rationem Idololatriæ Iſraëliticæ inhibi- *l. 1. c. 1.*
tionem fuiſſe. Quanquam enim à ſuperſtitione Ægyptiorum plane immunes Ebræi non fuerint, Dæmonibus etiam ſacrificarint, ad omnem, fœdiſſimam etiam, idololatriam propenſi; minime tamen cenſendum, legem præcipue in remedium idololatriæ fuiſſe traditam, *eoq; præcipue conſilio ſancitam*, quod
merito à B. *Franzio* b) improbatur, & uſibus b) *Schol. Sa-*
legis à *Chriſto* & *Paulo* explicatis minime re- *crif. d. 3. 28.*
ſpondet. Nimis incaute *Spencerus* Judæos, *p. 48.*
& ex his *Maimonidem* potius, quam Eccleſiæ Doctores, videtur ſecutus eſſe. Hic enim
hanc legis ſuæ conditionem ait c) *eſſe, idolola-* c) *More Ne-*
triam tollere. Quo nomine etiam *Hottinge-* *voch. P. III. c. 29.*
rus d) ait, *præcepta legis Moſaicæ, & affirmati-* d) *Hiſtor.*
va, & negativa cumprimis, antiϑεσιν ſæpiſſime *Orient. l. 1.*
expreſſam continere rituum & ceremoniarum *c. 8. p. 297.*
Zabæorum. Melius *Paulus* e) docet, τῶν παρα- e) *Gal. 3. 9.*
βάσεων χάριν, inquiens, προσετέθη ὁ νόμος, ἄχρις οὗ ἔλθῃ τὸ σπέρμα, *propter transgreſſiones addita fuit lex, donec veniret ſemen,* ut nimi-

rum,

f) *Comm. ad l. c. p. 81.* rum, explicante B. *Seb. Schmidio,* f) *illis manifeſtatis urgeret Chriſtum quærere, & retinere, ab illis unice liberantem.* Pædagogia ergo ad Chriſtum rectius habetur pro fine legis primario, quam Idololatriæ inhibitio. Decalogus hanc exercet maledicendo ob operum

g) *Deut. 27. 26.* imperfectionem: g) Lex ceremonialis Chri-

h) *Ebr. 10. 1.* ſtum futurum in ceremoniis adumbrando: h)

i) *l. c. Diſp. 12. §. 97.* Quo nomine etiam B. D. *Franzius* i) *ſacrificia,* ratione uſus ſc. & finis, *ad Evangelium pertinere* ait; *cum quicquid in ſacrificiis principaliter, & primario occurrit, non niſi ad Evangelium referri queat, videlicet adumbratio mortis Chriſti, pro aliis ſubeundæ.* Ex Eccleſiæ Docto-

k) *t. 3. Opp. ad 1. Tim. 1. 8.* ribus *Theodoretus* k) hæc habet: Σκοπὸς τῷ νόμῳ προσαγαγεῖν ἡμᾶς τῷ δεσπότῃ χριστῷ. Μετὰ τὴν ἐκείνου παρουσίαν, μηκέτι κρατεῖν, *legis ſcopus eſt, ut nos ad Chriſtum Dominum adducat: poſt illius autem adventum non amplius dominatum obtineat.* Diſquirens etiam B. *Hieronymus,*

l) *tom. IV. Opp. Ep. ad Algaſ. q. 8. f. m. 75. ad. Comm. ad Gal. 3.* l) quot *genera legis in ſcripturis S. eſſe memorentur,* aliis enarratis, altum de *Spenceri* fine tenet ſilentium. Aliud eſt, ſi de fine acceſſorio, minus principali, & uſu Legis ſecundario, quem conſequenter tantum cum aliis intendiſſe DEUM dici poſſit, velimus loqui, de quo PP. à *Spencero* producti intelligendi ſunt: Quod & *Feu-ardentius* m) obſervavit.

m) *Not. ad Iren. l. 4. c. 29. f. 349.* Diſtinctius vero de legis Moſaicæ uſu inſequentibus diſquiremus.

De

De DECALOGO.

§. I.

DIviditur *Corpus Divini Iuris Moſaicum* in tres partes, in legem moralem, ceremonialem, & forenſem. Ita *jus divinum poſitivum* tripartitum faciunt ex noſtris *Dorſcheus,* a) *Oſiander,* b) *Dannhavverus*; c) ex Moralium vero Doctoribus, qui *Thomam* d) ſequuntur, *Becanus,* e) *Reginaldus,* f) *Trullench,* g) *à Mauden,* h) & plures alij. Videtur equidem id nonnullis diſplicere, legem DEI moralem juris poſitivi loco haberi, ejuſdemque ſpeciem dici, cum Præcepta moralia Decalogi ſint juris naturalis, qui proinde in partibus juris divini enumerandis aliter progrediuntur. Sic enim *Eſcobar,* i) *lex divina,* inquit, *ſubdividitur in divinam naturalem,* (*qua idem præcipitur quod naturali lege*) *ut ſunt decalogi præcepta*; *& in divinam poſitivam, qua præcipitur aliquid, quod lege naturali non eſt ſancitum.* Verum ſatis patet, præcepta legis moralis pro poſitivis non haberi, facta hac legis partitione, ſed jus morale dici poſitivum, & dici ſic poſſe, cum ratione promulgationis externæ, quia eo modo à DEO per Moſen populo Iſraëlitico propoſita fuit, quemadmodum lex ceremonialis, & Forenſis fuit lata, & ſolenni inſuper actu legiſlatorio, ad

a) *Theol. Mor.* §. 10. *ſq.*

b) *Theol. Mor. P. Gen. c.* 13.

c) *Hodoſ. p.* 464.

d) *l.* 2. *q.* 99.

e) *Theol. Schol. P. II. Tom. pr. tr. III. c.* 4. *q.* 4.

f) *Prax. For. Pænit. l.* 13. *c.* 14. *n.* 134.

g) *Expoſit. Decal. t. I. Opp Mor. Pralud.* 2. *n.* 7. *f.* 7.

h) *Diſcurſ. in Decal. l.* 2.

i) *Sum. Theol Mor. tr. I. Ex.* 1. *c.* 1. 3. *p.* 35.

ad modum legis poſitivæ promulgata; tum etiam ratione additionis præcepti decimi, *de non concupiſcendo*, quod inter rudera juris naturalis poſt lapſum hodie non comparet, Rom. 7. cum lex naturalis humanæ naturæ in Adamo implantata, quoad reliquias ſuas hodie per naturam inſit, & naturaliter cum anima propagetur, lege morali digito DEI in duabus tabulis præſcripta, uti alias leges poſitivæ ſcribi in charta, proponique ſolent. Ne de circumſtantialibus quid dicam, quæ ſunt juris poſitivi, quale quid eſt circumſtantia diei ſeptimi, in præcepto Decalogi tertio, doctiſſimis monentibus Theologis; & quod Decalogus peculiari ratione ad Ebræos directus, ceu ex præcepto primo, & quarto conſtat; & proin etiam ſingulari quodam modo per Moſen, vigore peculiaris iſtius muneris, quo in gente hac fuit functus, ad regimen populi Iſraëlitici reſtricte propoſitus fuerit. Unde quoniam præcepta Decalogi, ſi ſubſtantiam illorum ſpectemus, juris naturalis, & hactenus perpetuæ ſint obſervantiæ, poſitivo tamen modo, & cum poſitivis circumſtantiis, à Moſe Ebræorum legiſlatore ſint propoſita, quin partem juris divini poſitivi Moſaici ſic conſtituant, & conſtituere dici queant, non eſt cur dubitemus.

§. 2. Continetur lex Moralis decem iſtis præceptis hujus Decalogi, quæ ad duo

re-

reduci poſſunt, diligendi ſc. DEVM, & *proximũ*, tanquã *ſeipſum.* a) Cardinalis hic numerus a) *Deut.* 6. 5.
uti certus eſt, quicquid ſit de *ſententiis ſecun-* *Levit.* 19. 18.
dariis, & appendicibus, de quibus *Gerhard. Ioh.* *Matth.* 22. 37. 39.
Voß. b) ita ordinalis non eodem modo à ſcri- b) *Diſp. Hi-*
pturis obſervatur. In N. ſane T. præceptum *ſtor. Theol.*
de non mœchando, ponitur ante præce- 24. *ß.* 1.
ptum de non occidendo, c) aliter atque in c) *Rom.* 13. 9.
V. T. præcepta hæc legi conſtat. d) Eadem *Iac.* 2. 10.
præcepta cum continent, quid homo DEO, *ſibi*, d) *Exod.* 20. 14.
& *proximo* debeat, ſummatim ad *juſtitiam* re- *Deut.* 5. 18.
duci poſſunt, non abnuente *Lactantio*, e) cum e) *l.* 6. *Inſtit.*
primum, inquit, *officium juſtitiæ eſt, conjungi* *c.* 10.
cum DEO, ſecundum cum homine. Annuit *Iu-*
ſtinus Martyr. f) Aſt *Dilectionem* ſum̃am legis f) *Dial. cũ*
Moralis Chriſtus fecit, g) *diliges*, inquiens, *Tryph. f.* 321.
Dominum DEVM tuum ex toto corde tuo &c. & g) *Math.* 22. 37. 39.
diliges proximum tuum, perinde atq; teipſum.
Unde *Paulus* h) πλήρωμα νόμου, ait, ἡ ἀγάπη, h) *Rom.* 13. 10.
conſummatio legis eſt dilectio, interprete *Eraſmo*, rectius vertente B. *Seb. Schmidio*: *Plenitudo legis eſt dilectio*: Quanquam & ipſam ἀγάπην, *dilectionem*, eorum numero habet Apoſtolus, i) quæ proximo debemus: Μηδενὶ i) *Rom.* 13. 8.
inquit, μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾷν ἀλλήλους, *nemini quicquam debete, niſi ut ametis vos invicem.* Quo nomine B. *Auguſtinus*: k) *Sem-* k) *Epiſt.* 62. *ad Cœleſt.*
per debeo charitatem, quæ ſola etiam reddita detinet debitorem. Bene alias, & ad rem, *Oecumenius*: l) Οἱ γὰρ τέλειον ἀγαπῶν τὸν πλησίον, οὔτος οὐδὲ l) *ad Iac.* II. *l.* 6.
μοιχεύσει, οὐδὲ φονεύσει· ἐχθρεύει γὰρ ταῦτα, γ᾽ ὅτω

δ/g-

ἀγαπήσας τὸν πλησίον, *qui enim perfecte diligit proximum, hic neq; mœchabitur, neq; occidet. Hæc enim ejus ſunt, qui animo inimico affectus eſt erga proximum.* Eadem habet *Iuſtinus Mar-*
m) *Dial. cũ Tryph. f. 321.* *tyr.* m) Hoc nomine etiam alibi maluimus n)
n) *Vindic. Orig. l. N. Controv. 5. §. 6.* loco *ſocialitatis*, pro fundamento legis Naturalis, ſubſtituere *Charitatem*, utramque Tabulam Decalogi æqualiter complectentem, quæ illa magis adæquata eſt; coincidat licet cum *ſocialitate* in ſenſu *generaliori*, de qua ſupra, quatenus hæc inter DEUM & mortales, inter ſe ſub divino imperio conſociatos, & in orbe conſociandos, intercedit, quæ ſine charitate recte & ſincere non dabitur. Summa itaque, & ἀνακεφαλαίωσις præceptorum Decalogi uti continetur Charitatis præcepto, ita eadem, virtutesq; iſtis præceptis contentas, inter ſe connecti, dum ſint in Charitate, & ex ea proveniant, recte infertur, ut recte dixerit
o) *Ep. 2. 10.* *Iacobus*: o) ὅστις ὅλον τὸν νόμον τηρήσει, πταίσει δὲ ἐν ἑνὶ, γέγονε πάντων ἔνοχος, *quisquis totam legem ſervaverit, offenderit autem in uno, reus factus eſt omnium.* Habemus ergo, cum omnes labimur, unde cognoſcamus noſtram imperfectionem, ſi, cum omnia fecerimus, vel in unico, etiam per infirmitatem, fuerit delictum, tantum abeſt, ſi προαίρεσις acceſſerit, ut de perfectione gloriari poſſimus. *Grandem vim obtinet vera dilectio,* ait *Hierony-*
p) *ep. 1. ad Celant.* *mus,* p) & *qui perfecte amatur, totam ſibi amantis vendicat voluntatem. Nihil eſt impe-*
rioſius

Digitized by Google

rioſius charitate. Decalogi vero *diviſionem* quod attinet, de ea in præſenti non ſumus multum ſoliciti. Quid apud Veteres de hac quæſtione diſputatum fuerit, exhibet *Voſſius*: q) Cui tamen addendus *Dannhavv*. r)

q) *l. c.*
r) *Colleg. Decal. p. 21.*

§. 3. Cæterum ex hoc, quod præcepta legis moralis, ratione materiæ, & ſi ſubſtantiam præceptorum ſpectamus, ſint juris naturalis leges, id quidem facile colligitur, quod eadem etiam Gentiles obligant, quæ ſunt leges naturales, & omnium hominum cordibus inſita. Cum enim eædem ratione rei præceptæ leges ſint; quicquid ſit de modo præcipiendi, qui rem non variat; eandem etiam vim obligandi habent, & habebunt ubique. Et cum legum moralium tranſgreſſio etiam apud Gentiles male audiverit, a) & à DEO punita fuerit, b) leges morales, quæ ſunt naturales, & cum iiſdem coincidunt, nec mere poſitive tales, eoſdem quoq; obligaſſe certũ eſt. Obligationis enim ad obſervantiam legis non certius eſt indicium, quam obligatio ad pœnam, quæ legis tranſgreſſionem ſequitur. Unde & ob leges naturales violatas, Gentiles etiam, qui de Chriſto nihil audiverunt, coram DEO ſunt inexcuſabiles. c)

a) *1 Cor. 5. 1.*
b) *Levit. 18. 22.*
c) *Rom. 2. 15.*

§. 4. Hoc vero plus difficultatis habet, an, quæ in Decalogo pure moralia ſunt, omnes homines etiam obligent, obligaverintque in V. T. Gentiles, in N. Teſt. autem Chriſtianos, vigore promulgationis factæ in

a) *l. 4. de Iuſtif. c. 6. §. addunt.*

monte Sinai. Satis conſtat ex *Bellarmino*, a) id negaſſe *Dominicum à Soto*, contendentem, *Chriſtianos liberatos eſſe etiam à tota lege ſcripta in libris Moſis, non quod non teneamur ſervare legem illam Moſis, ut eſt naturalis, & quatenus in Evangelio, & Epiſtolis Apoſtolorum renovatur, ſed ut eſt ab ipſo Moſe ſcripta, quod Chriſtiani ſumus, non Iudæi.* Ante *Dominicum* hunc

b) *l. 2. q. 98. art. 5. Reſp.*

jam *Thomas Aquinas* b) ita docuerat: *Quantum ad illa quæ lex Vetus continebat de lege naturæ, omnes tenebantur ad obſervantiam veteris legis; non quia erant de veteri lege, ſed quia erant de lege naturæ.* Provocat ad *Thomam*, ſecutus eundem *Becanus*. c) Et ut complures alios mittamus, *Rada*, d) *ceſſavit*, inquit, *vetus lex per legem Evangelicam, & antiquata eſt, etiam quantum ad præcepta moralia, ſic quod nulla iſtorum præceptorum tenemur ſervare ex vi illius legis, quia tota ejus vis fuit evacuata.* Ex Reformatis *Rivetus* e) ambiguus incedit, jam *exiſtimans, illos qui negarunt lege nos obligari, quatenus eſt à Moſe tradita, multum à vero non aberrare*; jam negans, *ſe videre poſſe in reipſa eſſe aliquod diſcrimen, ſed tantum in modo loquendi*, & tamen aſſerens, *præcepta, quæ data à Moſe, non obligaſſe gentiles, vel ſi qui in orbe terrarum erant, qui verum DEUM colerent*, quod ſane *Bellarminus* non concedet.

c) *Theol. Schol. P. II. tom. I tr. 3. c. 4. q. 3. n. 3.*

d) *Controv. inter Thom. & Scot. P. II. Contr. 20. p. 530.*

e) *Explic. Decal. q. 3. p. m. 9. ſqq.*

§. 5. Rectius vero à noſtratibus probari cenſemus *Bellarmini* ſententiam, etiam Legem moralem, Decalogo comprehenſam,

ut à

ut à Moſe promulgata fuit, olim Gentiles, hodie etiam cum Gentiles, & alios infideles, tum Chriſtianos in N. T. obligaſſe, & obligare, ſtatuentis. Moſes nimirum dupliciter ſpectari poteſt, vel ut Doctor legis, & Miniſter DEI ſimpliciter, qui voluntatem ejuſdem ſcribendo notam facit omnibus, quorum illam cognoſcere intereſt; vel ut miniſter DEI, atque internuncius, ſpeciali aliqua, atque ſingulari ratione ad Ebræos miſſus, quos ex mandato DEI peculiari ratione informavit, quibusque talia propoſuit, quæ ad illos ſolos, non ad cæteras gentes ſpectabant, eximie diverſos hos Moſis reſpectus, & munera, explicante Dn. *Oſiandro*. a) Speciale hoc miniſterium Moſis, quo tanquam cauſa miniſterialis V. T. circa œconomiam religionis, & Politiæ Judaicæ, conſideratur, quatenus ſic ea curavit quæ Iſraëlitis erant propria, ad Ebræos etiam reſtrictum fuit, ita ut legis Moralis promulgatio, qua fuit muneris Moſaici, ad ſolos Iſraëlitas reſtricti, functio, ad omnes gentes non pertinuerit, explicatum *B. Dannhavv.* b) & *D. Oſiandro.* c) Cæterum uti DEUS per Prophetas, & Oracula Prophetarum de Chriſto, non Ebræos tantum informare intendit, ſed etiam Gentiles, ad quos illæ promiſſiones Evangelicæ ſpectabant, & de quorum vocatione ad regnum Meſſiæ viri hi [illegible] egerant; ita quoq. per Moſen, ceu Doctorem communem, univerſum genus

a) *Theol. Moral. P. I. c. 12. §. 5.*

b) *Colleg. Decal. p. 17.*

c) *l. c.*

humanum, uti de Evangelio, ita quoque de lege docere voluit. Etſi ergo, notante D. Calovio, d) *miniſterium Moſis reſtrictum fuit ad Iſraëlitas, leges tamen morales à DEO ἀμέσως promulgatæ, à Moſe literis conſignatæ, ad omnes pertinent*, ratione nimirum muneris hujus univerſalis, quo ad omnes homines Moſes fuit functus, ita ut legis moralis uſus, quatenus à Moſe hoc reſpectu fuit propoſita, & proponitur, non tantum hodie in foro, ſed & in Eccleſia ſit. Lex ergo moralis, cum pars doctrinæ divinæ ſit, quæ in *Legem* & *Evangelium* diſpeſcitur, quam *ut ſolveret Chriſtus, non venit*, e) uti à Chriſto fuit inculcata; ita per eandem nos docet Moſes, quid DEO legaliter, per ſe, debeamus, & ut ad agnitionem noſtrorum peccatorum adducamur, voluntatemque DEI ſancte vivendi agnoſcamus. Hos fines cum DEUS per legem non apud Ebræos tantum, ſed etiam apud omnes homines intendit, ſequitur promulgationem hujus in monte Sina, factam licet Iſraëlitis, non tamen propter ſolos Iſraëlitas, ſed immediate illis, ſecundario autem, & mediate, etiam gentibus eſſe factam ex divina intentione, cum ad Gentiles etiam tota doctrina cœleſtis pertinet. Si ergo doctrina Evangelij in Moſe contenta ad nos pertinet, etiam quatenus à Moſe docetur; cur non ad nos pertinebit lex, quatenus & hæc à DEO per Moſen, ceu miniſtrum ad univerſum genus huma-

d) *Bibl. Ill. t.1 ad Exod. f.* 396.

e) *Matth.* 5. 17.

manum, eſt promulgata, cum *omnibus os per legem debet obſtrui.* f) Præter *obligationem* f) *Rom.* 3. 9. ergo, & *directionem communem gentilibus & Chriſtianis,* quæ *ſcil. legis naturæ eſt,* etiam debemus, monente B. *Calovio,* g) *admittere peculiarem obligationem legis Moſaicæ, ex vi divinæ promulgationis legis, voce viva, & litera ſcripta in ſacris literis factæ, Chriſtianos obſtringentem.* g) *l. c. f.* 397. Contraria ſententia favet erroneæ *Socinianorum,* & aliorum diſciplinæ, de *Chriſto novo legislatore,* & errori *Antinomorum.* Imo B. D. *Dorſcheus* h) ſententiam, qua Chriſtiani liberati ſtatuuntur à lege etiam Morali, ut eſt ſcripta in libris etiam Moſaicis, *veteribus hæreſibus conformem eſſe, & Anabaptiſtarum furori patrocinari* affirmat, *quam proinde recte Bellarminus refutaverit.* h) *Pentad. diſp. I.* §. 38. *p. m.* 60. Eximie ex Patribus *Theophilus* ad Autolyc. i) cum præcepta Decalogi, i) *l.* 3. *f.* 123. & alia præcepta moralia, in Moſe contenta, enarraſſet, τούτου, inquit, τοῦ θείου νόμου διάκονος γέγονε Μωσῆς, ὁ καὶ θεράπων τοῦ Θεοῦ, παντὶ μὲν τῷ κόσμῳ, παντελῶς δὲ τοῖς Ἑβραίοις, τοῖς καὶ Ἰουδαίοις, *hujus divinæ legis miniſter fuit Moſes, famulus DEI, cujus miniſterio & opera univerſus mundus, præcipue tamen Iudæi legem acceperunt.*

§. 6. Eſſe vero præcepta Decalogi quoad ſubſtantiam ſuam, & ſic legem Moralem ratione materiæ, juris naturalis, facile oſtenditur, partim ſi conſideremus illorum convenientiam cum natura agentis, cui præcipi-

cipiuntur, partim ſi ſpectemus, quomodo actus præcepti objecto ſuo, tam reali, quam perſonali, congruant. Præcipiuntur, uti modo vidimus, univerſo mundo, omni homini, & ſoli, nullo gentis habito reſpectu, vel in *ordine ad* DEVM, cui tanquam creatori, & Domino ſuo honorem, timorem, amorem, omnemque cultum, tam internum, quam externum, neceſſario & immutabiliter, tanquam creatura rationalis, vigore eſſentialis ſubordinationis, homo debet: vel in *ordine ad proximum*, quem tanquam nos ipſos debemus diligere. Invehitur in Gentiles *Paulus*, a) quod in naturale *γνωστὸν τοῦ Θεοῦ* irreligioſi, *DEVM non ὡς Θεὸν, ut DEVM, glorificaverint*. Fruſtra vero excipias, hebetiores eſſe barbaros, quam ut notiones iſtas naturales, atque ſubjectionem naturalem, apprehendere poſſint, ſopitis nimia barbarie ejuſmodi igniculis naturalibus, etiam *Ethnico* b) monente, *naturam nobis parvos dediſſe igniculos, quos celeriter malis moribus, opinionibusq; depravati, ſic reſtinguimus, ut nuſquam naturæ lumen appareat*. Cum enim in rebus vitæ civilis, & ſocialis, ingenio in ſua barbarie tantum adhuc valeant, ſi ejus nervos intendere velint, ut juſtum ab injuſto diſcernant, uti craſſiſſimorum Barbarorum exemplo, quibus ex Batavorum impoſitione *Hottentotiorum* nomen hodie eſt, quique *Goringhaici* alias dicuntur, exemplo patet, apud *Dapperum*; c) quî non

a) *Rom. I. 21.*

b) *Cicer. qq. Tuſc. III.*

c) *Afric. deſcr. f. 605. 619.*

Digitized by Google

non lumen recti, & ſemen boni, quoad id, quod de DEO per naturam notum, tantum pervincere poſſit, ut notio divini cujuſdam Numinis exiſtentis ſe in iſta hebetudine intellectus exerat, cui ſe aliquem, vage ſc. cultum debere cogitarent, modo ingenij nervos intenderent. Germani certe, in applicatione licet τοῦ γνωςοῦ τοῦ Θεοῦ aberraverint, cum *ſolem, Vulcanum. & Lunam Deorum numero ducerent*, memorante *Iul. Caſare*, d) naturaliter tamen ſe ad colendum Numen obligatos ſenſerunt. Deorum etiam numero eos ſolos ducentes, quorum *opibus aperte juvabantur*. hoc ipſo confeſſi ſunt, naturâ duce, quod DEUS ſe non ἀμάρτυρον reliquerit. e)

d) *Bell. Gallic. l.6.c.21.*

e) *Act.13.17.*

§. 7. *Sui amorem* & cuſtodiam naturalis Lex homini præcipit, quatenus nimirum non naturalis tantum, ſed & rationalis, & recta illa philautia eſt. *Nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit.* a) Hominis quippe perdendi qui jus non habet, nec ſeipſum perdere poteſt, vel debet. Et quibus rationibus proximum honeſte, & juſte, tractare debemus, iiſdem à fortiori evincitur rationibus, ſeipſum nec inhoneſte habere, nec negligere, nec lædere homini licere. Ipſam ſocietatem humani generis it, quantum in ſe, deſtructum, qui ſeipſum lædit. Qui enim proximum diliget ſicut ſeipſum, qui ſeipſum hoſtili, & maligno proſequitur odio? Eximie *Iuſtinus Martyr*: b) Ὁ τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν ἀγαπῶν, ἅπερ

a) *Eph.5.29.*

b) *Dial. cũ Tryph. f. m. 321.*

αὐτῷ βούλεται ἀγαθὰ, καὶ ὅσα βούλεται· οὐδεὶς δὲ ἑαυτῷ κακὰ βούλεται· Ταῦτ' οὖν τῷ πλησίον καὶ εὔξαιτ' ἂν, καὶ ἐργάσαιτο γνησίως, ἅπερ καὶ ἑαυτῷ ὁ τὸν πλησίον ἀγαπῶν· πλησίον δὲ ἀνθρώπου οὐδὲν ἄλλο ἐστὶν, ἢ τὸ ὁμοιοπαθὲς, καὶ λογικὸν ζῶον ὁ ἄνθρωπος, *cui proximus perinde atq; ipſe ſibi charus eſt, is quæ ſibi ipſi obvenire vult, eadem illi optarit commoda. Nemo certè quidem ſibi ipſi male vult, proinde proximo precabitur & præſtabit, quæcunq; ſibi ipſi expetet, proximum diligens. Homini autem propinquius eſt nihil, quam iiſdem perpeſſionibus obnoxium, & ratione præditum animal, homo.*

§. 8. Denique ut agens, cui Decalogi leges præſcriptæ ſunt, ex naturæ ſuæ conditione, agens ſociale eſt, & ex Creatoris deſtinatione, atque hinc orta naturæ ſuæ, impellente affectu ſociali, inclinatione, in cœtu ſui ſimilium vivere geſtit, convenienter homo victurus divino huic inſtituto, & naturæ ſuæ indoli, atteſtante conſcientia, ſe obligatum ſentit ad nil committendum, quod ſincero erga proximum amori, & juſto eidem debito, repugnet. Ex his enim fontibus etiam emanant, quæ præceptis Tabulæ ſecundæ continentur. Præclare *Lactantius*: a) *Conſervanda*, inquit, *eſt igitur humanitas, ſi homines recte dici velimus. Id autem ipſum conſervare humanitatem, quid aliud eſt, quam diligere hominem quia homo ſit, & idem quod nos ſumus &c. verumq; eſt illud Ciceronis, quod ait, homi-*

a) *Inſt.* 6. 11.

hominem naturæ obedientem, homini nocere non poſſe:

§. 9. Præterea actus Decalogo & lege Morali præcepti, immutabiliter, per ſe, & naturaliter, atque neceſſario, objecto ſingulorum præceptorum, tam perſonali, quam reali ſunt convenientes. Oſtendemus id breviter. DEUS, ut de præceptis *Tabulæ primæ* agamus, unus eſt; unde alienos coram Jehova habere Deos, eosque adorare, eſt actus ex natura rei incongruus huic objecto. Et qui cum Epicuro, & Epicureorum grege, *divinam* negant *providentiam*, aut DEUM peccati autorem faciunt, iniqui ſunt in ejus *bonitatem* & *ſanctitatem*. Pari ratione, cum DEUS ſit *ſpiritus*, in ſe repugnat huic objecto, ſub humana forma DEUM adorandum proponere, uti fecerunt Anthropomorphitæ, notati ab *Epiphanio*, a) atque Gentiles, *gloriam inviſibilis* DEI, ut ſtolidiſſimis mortalium *Paulus* b) objicit, *mutantes* ἐν ὁμοιώματι εἰκόνος φθαρτοῦ ἀνθρώπου, καὶ πετεινῶν, καὶ τετραπόδων, καὶ ἑρπετῶν, *in ſimilitudine imaginis corruptibilis hominis, & volatilium, & quadrupedum & reptilium*; merito à *Theodoreto* c) caſtigatum, ceu ἀβελτηρία, καὶ παραπληξία ἐσχάτη, *extrema ſtultitia & ſtupor. Summus* eſt DEUS, & *Dominus* totius univerſi, ideo quia DEUS: Ergo tanquam ſupremum Numen à nobis quoque colendus intuitu hujus eminentiæ, ita ut blaſphemia ei per ſe, & naturaliter, ſit inconveniens. Qui eſt *in ſecula*

a) *hæreſ.* 70.

b) *Rom.* 1.23.

c) *t.* 3. *Opp. Com. h. l. f.* 18. *ſq.*

d) *Rom. 9.* *cula DEUS benedictus*, d) ejus nomen non eſt profanandum ab ullo. Qui eſt ipſa *infinita bonitas*, & ſuæ bonitatis communicativus per ſumma beneficia, is diligendus eſt ex ſe, & per ſe, & ſic naturaliter ſuper omnia. *Iuſtum* e) *Serm. de Baptiſ. f. 434.* *eſt*, inquit *Cyprianus*, e) *Domine, ut diligamus TE, quia & ipſe nos diligis, & iniquum omnino eſt, ut TE in aliquo dilecti tui offendant.* Ob *præſentiam, omniſcientiam, juſtitiam, potentiam*, & *ſeveritatem* in *puniendis* ſceleribus ſacrilegorum, & adverſus DEUM impiorum hominum, proſequendum quoque eſt ſupremum Numen *timore.* Φιλεῖν δεῖ καὶ φοβεῖσθαι τὸ e) *5. ſtrom. f. 561.* θεῖον, inquit *Clemens Alexandrinus*, e) *ἀγαπᾶν μὲν, ὡς προσηνὲς καὶ εὐμενὲς τοῖς ὁσίοις, δεδιέναι δὲ, ὡς ἀπαραιτήτως δίκαιον τοῖς ἀνοσίοις, oportet DEUM amare & timere. Amare quidem, ut ſanctis benignum & propitium: timere autem, ut qui ſit impiis juſtus inexorabiliter.* Hinc, f) *Rom. I. 32.* *Paulo* f) etiam moneinte, metum Numinis, ſcelerum conſcientia exortum, & eadem accuſante, ſenſerunt feroces. Qui eſſentialiter eſt *veritas*, is *juramento* non eſt religioſe invocandus, ut mendacio veritatis teſtimonium perhibeat, ſed *metuendus* potius *majeſtate judicis*, ut *Cyprianus* g) rurſus loquitur. g) *Serm. 5. de lapſ. f. m. 228.* Quin & cum *omnipotens, omniſcius, omnipræſens*, & *juſtus* ſit DEUS ſolus, ſi quid juramentum, & finis juramenti quis ſit, conſideremus, per verum DEUM ſolum, non per creaturas, ſanctos, & ſanctorum lipſana juran-

randum patet. Nulla enim creatura ut teſtis infallibilis, vindex, & judex implorari poteſt. Hunc ſolum fallere nemo poteſt. *Numinis immutabilitas* tollit duplicem illam *Houtuyni* a) religionem, *internam* ſcil. ſeu internum cordis, & privatum de DEO ſenſum, & externam, ſeu *publicam*, & priori quidem contrariam, quam Princeps publice in civitate obtinere vult, quamque etiam *publicam* facere eundem poſſe, nugatur. Reſpondet enim cultus naturæ. Hæc, uti à ſeipſa difformis eſſe non poteſt, ita nec duplicem, & à ſeipſo difformem cultum admittit. Enormiter etiam hinc peccavit Theologia Gentilis, quam omnis generis flagitia ſuis Diis, etiam Jovi tribuiſſe, notum eſt. Qui enim per eſſentiam ſanctus eſt, ei flagitia tribuere nullo pacto licet. Ut proin merito impuræ hujus Gentilis impietatis Patronos interrogatum iverit *Arnobius*: b) *Vultis veſtri juvenes ſciant, audiant, diſcant, Iupiter ipſe qualis in unam extiterit, atq; alteram matrem. Vultis adultæ virgines, robuſtiq; adhuc patres, idem ipſe in Filiam qua luſerit arte cognoſcant. Vultis germani jam fervidi, atq; ex iiſdem ſeminibus fratres, eundem rurſus accipiant concubitus lectulos non eſſe aſpernatum ſororis.* Deniq; cum actiones hominis non internæ tantum, ſed & externæ ſint, proin cultui DEI interno, etiam externus, in vita exteriori neceſſario reſpondere debet. Urget hunc non minus,

ceu

a) *Polit. Contr. §.64.*

b) *adverſ. Gent. l.1.*

ceu neceſſarium, atque illum, *creatoris eminentia,* noſtra ſubjectio, atque divinorum beneficiorum, quibus affecti, DEOque obligati ſumus, tam potentiæ, quam gratiæ, dignitas. Quam neceſſarium itaque eſt, idque immutabiliter, ut cultus exterior rite & recte inſtituatur, idque propter ſummi Numinis dignitatem, atque eminentiam, tam neceſſarium eſt propter *τάξιν, καὶ εὐσχημοσύνην,* quam DEI cultus, exterior etiam, amat, ne is vitæ exterioris variis negotiis turbetur, ut *certus dies determinetur*; qui uti *indefinite* ſpectatus legis Moralis eſt, ita poſitiva ejus eſt determinatio ad certum ſeptimanæ diem: Recte interim monente *Dorſcheo,* c) quod, *licet certus* lege morali, naturali ſc. *non requiratur dies, ſufficiens tamen poſtuletur,* ne cultus divinus externus, jure naturali præceptus, *protrahatur, qui frequentari potius debet.*

c) *Theol. Mor.* §. 201.

§. 10. Ita quod attinet *ſecundam tabulam Decalogi, Parentes,* ideo quia parentes ſunt, à liberis hónorari debent. Superioribus enim, divino ſuperioritatis charactere præditis, jubendi item, præcipiendi, imperandique poteſtate inſtructis, non poteſt non alius actus, à liberis circa parentes qua tales exercendus, eſſe conveniens, quam actus obſequij, & reverentiæ. Imperij enim, ceu facultatis agendi moralis, proprius hic eſt effectus in perſona, erga quam ſe congrue & valide exerit, ut obſequium illi extorqueat,

& in

Digitized by Google

in ea excitet, cunctaq; quæ cum obſequio per ſe ſunt conjuncta, honorē nimirum, amorem, & reverentialem timorem. Unde DEUS apud Prophetam: d) *Filius honorabit patrem, & ſervus Dominum ſuum: quod ſi Pater ego, ubi* (eſt) *honor meus: & ſi Dominus ego, ubi timor mei.* Ita naturalis, & ex vi objecti immutabiliter ſe habentis, convenientia datur quoad officia parentum & liberorum, in præcepto quarto contenta. Egregie rationem officiorum, parentibus debitorum, à pietatis hujus objecto petit *Ignatius*: e) *Τὰ τέκνα, πειθαρχεῖτε τοῖς γονεῦσιν ὑμῶν, καὶ στέργετε αὐτοὺς, ὡς συνεργοὺς Θεοῦ εἰς τὴν ὑμετέραν γέννησιν, filij ſubditi eſtote parentibus veſtris, & diligite eos, tanquam cooperarios DEI ad veſtram generationem.* Et nonnullis interjectis, *οἱ ἄνδρες,* inquit, *ἀγαπᾶτε τὰς γυναῖκας ὑμῶν, ὡς ὁμοδούλους Θεοῦ, ὡς οἰκεῖον σῶμα, ὡς κοινωνοὺς βίου, καὶ συνεργοὺς τεκνογονίας, viri diligite uxores veſtras, ſicut conſervas in DEO, ut proprium corpus; ſicut ſocias vitæ, & cooperatrices ad filiorum procreationem.* Domini quoque jubentur *εὐμενῶς,* benigne, placide ſe gerere erga ſervos, & domeſticos ſuos, apud eundem, f) addita ratione ab objecto petita, *μία γὰρ φύσις, καὶ ἓν τὸ γένος τῆς ἀνθρωπότητος, una enim eſt natura, & unum genus hominum.* A *cæde proximi,* & pravis, malignisque affectibus erga eundem eſſe abſtinendum, cum naturalis libertatis, æqualitatis, & paritatis ſtatus, quo per ſe,

d) *Malach. I, 6.*

e) *Epiſt. ad Philadelph. p. m. 177.*

f) *l. c. p. 178.*

ſe, ante factum inſtitutum humanum, ſe invicem mutuo reſpiciunt homines, præcipit; tum communis naturæ humanæ dignitas poſtulat, qua quilibet tenet alterum æſtimare, & tractare ut hominem, atque naturaliter ſibi æqualem, adverſus quem, quod attinet ejus corpus, vitam, membra, pudicitiam, & bona, famam denique, id ſtatuere non debet, quod in ſe nulli licere credit, injuſtumque eſſe judicat. g) *Iohannes* proximum non eſſe *odio* proſequendum perſuaſurus, ab immutabili ejus conditione petit rationem, quia nimirum *ἀδελφὸς, frater* eſt. Ira immodica quam parum cum hominis natura, ejusque ſtatu rationali & ſociali congruat, B. *Baſilius* h) docet: *Vbi ſenſuum rationem ſemel exturbavit furibundus ille iracundia affectus, atq; animi principatum invaſit, hominem prorſus efferat, atq; in belluas degenerare cogit, adeo ut eum hominem amplius eſſe non ſinat.* Homo hominem ideo, quia homo eſt, animal rationale, ad imaginem DEI creatus, etiam *honeſte tractare*, nec *libidine* ſua, ſi vel maxime alter dignitatis ſuæ immemor, ita pollui velit, polluere furore irrationabili, & impetu belluino, debet, pudori naturali, cum ſuo, tum alterius, vim faciendo. *Res aliena* uxor eſt alterius, *Ambroſio* i) monente, uſusque ejus corporis ad ſolum iſtius maritum pertinet. Huic ſoli ſpecialem, matrimonio proprium affectum, & amorem, illa debet: Ergo in

g) 1. *Epiſt.* 3. 15.

h) *t.* 3. *Opp. f.* 141.

i) 1. *de Abrah. c.* 7.

in alterius viri amplexus, ceu incongruos, & cum re aliena, aliunde non ſic contrectanda, incompoſſibiles, cedere uti non poteſt, ita nec debet. Ab *objecto* etiam rationes it derivatum *Philo*, k) explicans, quam incongruæ ſint nuptiæ inter parentes & liberos Ἀνοσιούργημα, *nefandam impietatem* eſſe affirmat, πατρὸς εὐνὴν τετελευτηκότος, ἣν ἄψαυστον, ὡς ἱερὸν ἐχρῆν φυλάττεσθαι, καταισχύνειν· γήρως δὲ καὶ μητρὸς αἰδῶ, μὴ λαμβάνειν, τὸν αὐτὸν δὲ αὐτῆς υἱὸν καὶ ἄνδρα γίνεσθαι, καὶ πάλιν τὴν αὐτὴν τοῦ μητέρα καὶ γυναῖκα, καὶ τοὺς ἀμφοῖν παῖδας, τοὺς μὲν πατρὸς ἀδελφοὺς, υἱωνοὺς δὲ τῆς μητρὸς, καὶ τὴν μὲν ὧν ἔτεκε μητέρα τε καὶ μάμμην· Τὸν δὲ ὧν ἐγέννησεν, ἐν ταυτῷ πατέρα δὲ καὶ ὁμομήτριον ἀδελφὸν, *conſpurcare defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri nullam exhibere reverentiam, filium eundem, & maritum fieri, matrem viciſſim uxoris nomen aſſumere, communes liberos patris quidem fratres, matris vero nepotes cenſeri. Hanc prolis ſuæ matrem ſimul eſſe ac aviam, illum filiarum patrem, & germanum uterinum.* Ipſe DEUS etiam prohibitionis rationem, quare *nuditas matris revelari non* debeat, ab *objecto* petit, *quia* nimirum *mater* eſt. l) Furti prohibiti rationem etiam ab *objecto* tam *reali*, quod eſt res aliena, quam *perſonali*, quod eſt proximus non lædendus in bonis, petimus. Definit enim res talis eſſe, quando ei fit alterius contrectatio, ut ab illo licite teneatur, & poſſideatur, congrua, &

k) *de LL. ſpec. f.* 600.

l) *Levit.* 18. 17 *ad. de Orig. Iur N. a.* 8 *§.* 17. *de Orig. I. G. a.* 1. *§.* 17.

actus

& actus conveniens. Quamdiu enim aliena eſt, manetque, invito domino ab alio contrectanda non eſt. Ἆρον τὸ σὸν, *tolle quod TVVM*
m) *Matth.* 20, 14. eſt, ait *Chriſtus*, m) nec oculo nequam aſpice, quæ alterius ſunt, & alteri dare conſtitui, ad te non pertinentia. Incomoda alteri, qui pari nobiſcum jure frui debet, non ſunt creanda: Ergo *nec*, uti fit furto, *alienis incommodis noſtra lucra quærenda* eſſe, recte cenſuit *Am-*
n) 3. *Offic.* 4. *broſius*. n) Non minus mendacia, convicia, calumniæ, detractiones, & injuſtæ cenſuræ, naturæ & fini ſermonis repugnant. Conceſſus enim hic eſt ad uſus vitæ ſocialis, ad conciliandos hominum animos invicem, ad conceptus patefaciendos, & illa cognoſcenda, quæ hominem ex homine cognoſcendi jus habet.
o) *de Regn.* *f.* 9. *Lingua* enim, ut *Syneſius* o) bene loquitur, ἄδολος γνώμης ἑρμηνεὺς, *fida mentis Interpres eſſe* debet. Sermo ergo noſter ναὶ ναὶ, οὒ οὒ, *ſincere*, ſine fraude, eſſe debet. Elegan-
p) *l.* 1. *Offic.* *c.* 19. ter *Ambroſius*: p) *Affabilitatem ſermonis diximus ad conciliandam gratiam valere plurimum. Sed hanc volumus eſſe ſinceram ac ſobriam, ſine ulla adulatione, nec ſimplicitatem ac puritatem alloquij dedeceat ſermonis adulatio.* Cumque pravitatum harum, legi repugnantium, principium ſeminale ſint *Concupiſcentia*, pari modo, homini & illas incongruas eſſe, facile docetur. Δεινὸν ἀεὶ, inquit *Clemens Alexan-*
q) *Pædag. l.* 2. *c.* 6 *f.* 169. *drinus*, q) τὰς ῥίζας τῶν ἁμαρτημάτων ἐκκόπτειν τὸ, οὐ μοιχεύσεις, διὰ τὸ, οὐκ ἐπιθυμήσεις, καρπὸς

γὰρ

ἀπὸ τῆς ἐπιθυμίας ἡ μοιχεία, τῆς ῥίζης τῆς κακῆς, *præclare, & mira arte, ſolet vitiorum radices exſcindere illud*, non mœchaberis, *per illud*, non concupiſces. *Adulterium enim fructus concupiſcentiæ, quæ quidem eſt mala radix.*

§. II. Conſtat ex his, quo pacto Moralia Decalogi, cum notitiis naturalibus practicis, omnium hominum mentibus inſitis, conveniant, & proin ad univerſum genus humanum pertineant. *Burmannus* a) equidem, in origines præceptorum Decalogi inquirens, negat *omnia DEI præcepta eſſe ejuſdem generis*, cum *quædam ſimpliciter ex natura DEI fluant, quædam autem ex conſtitutione rerum jam facta.* Coincidunt hæc cum diſciplina *Eſſenii*, b) diſtinguentis inter *jus divinum naturale, quod ex natura DEI neceſſario fluit, eſtq; jus ipſi DEO naturale*, & *jus nobis naturale*; negantisque, *omnia & ſingula præcepta Decalogi, quæq; iis comprehenſa ſunt, eſſe juris ipſi DEO naturalis*; affirmet licet, *totam legem Moralem eſſe juris nobis naturalis*, ita nimirum, *ut ſaltem etiam implicite, & virtualiter, tota contineatur in communibus illis notionibus practicis, quæ homini initio concreatæ fuerunt, & cum natura pariter propagandæ.* Eadem repetit in diſſert: de *perpetua moralitate Decalogi*, c) affirmans, *omnia & ſingula Decalogi præcepta eſſe moralia, & juris nobis naturalis*, hoc eſt *poſitivi*. Verum enimvero, licet inter præcepta Decalogi, quæ ſunt juris naturalis, ratione objecti, & in-

a) *Synopſ. Theol. t. I. l. 4. c. 3.*

b) *Comp. Dogm. c. 9. §. 9. ſq.*

c) *Cap. 1. & 2.*

& inde ortæ moralitatis, ejuſdemque fundamenti, diverſitas aliqua detur; iſta tamen diſtinctio incongrue adfertur, ad duplex jus naturæ conſtituendum, quorum alterum ſit DEO, alterum nobis naturale, morale, atque poſitivum, quod, uti rurſus *Eſſenius* d) loquitur, *omnes homines communiter obligat, quia DEVS univerſam naturam humanam ab origine in Protoplaſtis ea obligatam voluit.* Sanctio enim omnium præceptorum Decalogi, ſi circumſtantialia ſeponimus, ex natura DEI fluit, licet non ubique objective ſimul, ut in præceptis Tabulæ primæ. Patet hoc de præceptis Tabulæ ſecundæ manifeſte. Cum enim ſanctus ſit DEUS, non fœdas poteſt præcipere libidines. Cum ſit ſupremus, non jubebit, ut inferiores, qua tales, debito honore privent ſuperiores. Cum ſit juſtus, ex natura ejus neceſſario hoc fluit, ut non aliter præcipiat, quam ut unicuique ſuum tribuatur. Cum ſit verax, repugnabit eſſentiali ejus veritati, præcipere, ut falſum dicatur contra proximum teſtimonium. Moralia hæc ſunt, eaque non poſitiva. Confundit etiam *Eſſenius* originem legalitatis, quæ à DEI voluntate jubente, & imperante, naſcitur, & moralitatis naturalis, quæ à rei natura, & aliis petitur principiis. Totius Antiquitatis Philoſophicæ *ἀξίωμα*, quod *finis hominis ſit ejuſdem cum Creatore aſſimilatio*, refellit hanc diſtinctionem, ea mente, qua allata eſt, productam; cum & ſecun-

d) *de Moralit. Decal. c.2. p. m. 35.*

Digitized by Google

cundum alteram Tabulam viventes Deo aſſimilemur, cujus præcepta non minus in ſe ſunt Juris naturalis, & moralia naturalia, non poſitiva; poſitivè licet modo ſint data, atque ea, quæ in Tabula prima Decalogi præcipiuntur. Nec omiſerunt hoc Patres notare. Ex quibus *Gregor. Nyſſeno*, c) χριστιανισμὸς dicitur eſſe τ͂ θείας φύσεως μίμησις, *divinæ naturæ imitatio*; quæ in ſequentibus eleganter explicat. Subſcribunt Gentiles, *Plato*, f) *Plutarchus*, g)

§. 12. Cadunt ergo, quæ de *immutabilitate* præceptorum Decalogi, & quatenus *diſpenſationi* divinæ in illis relictus locus, ſuperius modo nominati viri judicarunt. Nimirum *quæ ſimpliciter ex natura DEI fluunt; illa abſolute indiſpenſabilia eſſe* cenſuit *Burmannus* a) *quia DEVS ſeipſum abnegare non poteſt*, 2. Tim. 2.13. Quæ autem *fluunt ex conſtitutione rerum jam facta*: cum illa *à voluntate DEI dependeat*; non *tanta ea neceſſitatis* eſſe, *non ſimpliciter immutabilia*; *quanquam ex hypotheſi*; *quatenus DEVS tales eſſe rerum naturas* juſſit, *illumq; mundi ordinem inſtituit*, *ea pariter apud homines ſint immutabilia*. Cui ſubſcribens *Eſſenius*, b) negat, *omnia & ſingula Decalogi præcepta*, *queq; iis comprehenſa ſunt*; *eſſe juris abſolute immutabilis*; *& indiſpenſabilis ipſi DEO*. Annuunt *Rhetorfortis*, c) *Szydlovius*, d) alibi jam à nobis notati. e) Ex Moralium etiam Doctoribus ita ſtatuit, poſt alios, *Ioh. Caramuel*. f) Hæc vero, uti dixi, cadunt; cum

c) *de Prof. Chriſt. t. III. f.* 271.
f) *f.* 46.
g) *t.* 2. *opp. f.* 550.
a) *l. c.*
b) *l. c. p.* 249.
c) *Exerc. apol. pro grat. p.* 345.
d) *Vind. qq. diff. c.* 8.
e) *Orig. I. N. art.* 8. *& art* 10. *§* 23.
f) *Theol. Intent. l.* 2. *diſſ.* 7 *§.* 1183. *ſq.*

præcepta Tabulæ ſecundæ Decalogi, non minus ex natura DEI neceſſario fluant, ſi quoad ſubſtantiam ſuam ſpectantur, quam præcepta Tabulæ primæ; hæc licet peculiari quadam ratione, immediate, DEUM pro objecto etiam habeant. Non minus itaque ſe DEUS abnegaret, ſi præcepta tabulæ ſecundæ vel abrogaret, vel quoad ſubſtantiam ſub iiſdem circumſtantiis mutaret, aut contra ea diſpenſaret, quam ſi id faceret circa præcepta, quæ pro objecto immediate ipſum DEUM habent, quatenus ex ipſa DEI natura neceſſario fluunt. Inſtitutum vero mundi ordinem quod attinet, factamque jam rerum conſtitutionem, dependet illa quidem quoad exiſtentiam, atque actualem conſtitutionem, à libera DEI voluntate, & actus præceptus hactenus etiam in ſe eſt mutabilis; attamen cum natura, & eſſentiæ rerum, ratione veritatis formalis ſint æternæ, ſeipſum, ut dictum, abnegaturus DEUS foret, ſi illa quæ injuſta, inhoneſta, turpia ſunt, homini eſſet præcepturus, eundemque ſuæ naturæ inconvenienter, & incongrue eſſet directurus, ad fines divinæ ſanctitati, juſtitiæ & rectitudini, hominis autem naturæ contrarios. Denique quanquam, ut ſupremus rerum Dominus, objectum præceptorum Decalogi, aut adjacentes circumſtantias, immutare poſſit, quod ex *Geneſ.* 22. 2. *Exod.* 11. 2. probant, g) ipſa tamen lex, manente eodem ſubjecto, eſſentialiter ſpectato, diſpen-

g) *Dorſch. Theol. Mor.* ſ. 1.

penſationem non admittet, quicquid ſit de circumſtantialibus, quæ tali ſubjecto accidunt, & ſimul præcepto decalogi ſubjiciuntur, ut eſt circumſtantia diei ſeptimi in præcepto tertio. Recte hinc, poſt noſtrates, ex Romano Catholicis *Trullench.* h) *præcepta*, inquit, *Decalogi, ſunt omnino indiſpenſabilia, ita ut nec ab ipſo DEO diſpenſari poßint*; provocans ad ſuos, *Thomam*, *Covarruviam*, *Suarezium*, & alios.

h) *Explicat. Decal. Prælud. V. t. I. opp. f. 14.*

§. 13. Patet hinc, multo minus humanæ poteſtati conceſſam eſſe *diſpenſationem, quoad Moralia Decalogi.* Bene *Chemnitius*, a) cum involucra in Decalogo Moſaica, & quæ populum Ebræorum tantum reſpiciunt, horum Politiæ etiam relinquenda, & ab illis, quæ in eadem lege ad omnes pertinent gentes, ſeparanda eſſe monuiſſet, ad cognoſcenda, quæ in Decalogo omnes obligent homines, has ponit regulas: I. *Quæ cum notitiis naturalibus, in prima creatione mentibus hominum inſitis, conveniunt.* II. *In Novo Teſtamento, quod ad omnes gentes pertineant, repetuntur, & præcipiuntur,* uti *v. c.* ex Lev. 18. 8. 1. Cor. 5. 1. repetitur, & in gentibus etiam in Vet. T. punita eſt *blaſphemia nominis divini*, Eſ. 37. 23. in N. T. Act. 19. 37. III. *Ab ipſo Moſe, & Prophetis, oſtenduntur pertinere etiam ad gentes,* uti leges *de reverentia ſanguinis in conjugiis*, Levit. 18. Recte, inquam, quæ talia ſunt, dicitur pertinere etiam ad nos in N. T.

a) *P. II. Loc. de Leg. c. 7. f. 28.*

ita ut ne humanæ ſint obnoxia diſpenſationi. Nam non ſolum ante imperium humanum talia, qualia ſint moraliter, jam definita ſunt, honeſta nimirum, & proin neceſſaria, vel turpia, & proin impoſſibilia, ita, ut in puncto conſiſtere cenſeri debeant, in quæ proinde, ceu ſe ſuperiora, ſibi etiam ad cuſtodiendum præſcripta, imperium humanum nil contra diſpenſando, & ordinando, audere poſſit; ſic ut, ſi vel maxime DEUS, ex circumſtantiis, ipſius ſapientiæ ſoli notis, nobis autem non manifeſtatis, diſpenſare noverit, judici tamen humano proinde diſpenſare non conceſſum ſit, cui cuſtodia illarum legum potius mandata, non diſpenſandi facultas conceſſa cenſeri debet, ceu quem iſtas circumſtantias, quibus datis diſpenſatio divino judicio dari poſſit, DEUS latere voluit, quas ſibi ſoli reſervavit, ità ut in talibus diſpenſationem inter *divina reſervata* referendam eſſe, judicaverim. Recte doctiſſimus JCtus, *Nicol. Rittershuſius*, b) *naturalis*, inquit, *prohibitio aut divini juris, relaxari, vel tolli, indulgentia principis non poteſt; cum naturalia per civilem rationem tolli aut mutari nequeant*. Et nonnullis interjectis addit: *Si Pontifex contra jus diſpenſet, is cum quo diſpenſat, in conſcientia tutus non erit*. Nec neceſſe eſt, nos noſſe rationes divinæ diſpenſationis, cum genere humano multiplicato, & nuptiarum majori libertate conceſſa, fœminarum copia non deſit.

b) *Comm. de grad. cognat. p. 144.*

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. Diſquirunt inter ſe *Becmannus*, a) & *Heiddeggerus*, b) an *morale ſit, quod habeat rationem moralem?* negante Cl. *Heideggero*, c) viro doctiſſimo, cum & præcepta ceremonialia ſuas rationes morales habuerint; quod & a *Spencero*, d) & *Hottingero* e) oſtenditur; ex noſtratibus à B. *Brentio*, f) idem docente *Paulo*, g) ne de Patribus quid dicam. Nos diſtinguimus inter *rationem moralem*, cum præcepto, cujus ratio moralis eſſe dicitur, neceſſario, naturaliter, immutabiliterque, ex ſe, & per ſe, conjunctam, ex qua vel tale præceptum neceſſario fluat, vel quæ illud naturaliter ſequatur; & quæ cum præcepto aliquo libere connectitur, nec ex natura rei, ſed libera præcipientis voluntate, ad illud pertinet. Ibi *Becmanni* Philoſophia locum obtinet, cum ait: *Morale eſt, quod moralem habet rationem*, naturaliter ſcil. neceſſario, & immutabiliter cum præcepto connexam, cui, ceu rationi à priori primæ, neceſſariæ, & naturali, illud innitatur, ſeu ex ea, ceu principio neceſſario, & per ſe tali, tanquam concluſio moralis, neceſſario ſequatur: Non vero ſi per accidens, & libere, illa ratio apponitur, nec ratio moralis naturalis, ſed poſitiva tantum audit, ex libera præcipientis impoſitione, & additione talis. Ut enim non repugnat legem Moralem præcipi ex ratione ceremoniali, ceu ex præceptis Decalogi Moſaici conſtat; ita nec legi ceremoniali addi rationem moralem.

a) *Exercit.* 26.
b) *de ſang. & ſuffoc.*
c) *c.* 5. § 4. *ſqq. p.* 62. *ſq*
d) *de LL. Ebr. ritual. l.* 1. & 2.
e) *Hiſt. Orient. l.* 1. *c.* 8.
f) *Comm. in Levit.*
g) 1. *Cor.* 5. 7. 8.

§. 15. Sequitur hinc rurſus, quod, cum ratio legibus matrimonialibus, Levit. 18. in nuptiis ſanguinis reverentiam præcipientibus, divinitus addita, moralis, eaque neceſſaria, immutabilis, & inſeparabilis ſit, ab objecto deſumta, quod iſtæ leges pro moralibus, ad ſextum præceptum Decalogi pertinentibus, ceu ejus appendices, uti præceptum de imaginibus appendix, & explicatio eſt præcepti primi, haberi debeant. Bene *Ludovicus Molina*: a) *Obligatio juris naturalis oritur à natura objecti, & ſeſe diffundit in præceptum; ſicut è contrario obligatio juris poſitivi oritur à præcepto, & ſeſe diffundit in objectum*: quæ prolixius alibi diſcuſſimus. b) Licet, quæ B. D. *Calovii* c) diſciplina eſt, *non opus eſſe cenſeamus*, (quod *ſedulo notandum* monet vir doctiſſimus) *ut* ἀποτόμως *hoc evincatur, gradus omnes illos prohibitos, Levit. c. 18. lege naturæ, quæ mere naturalis, omniumq; mentibus naturæ impreſſa ſit, eſſe vetitos, dummodo obtineatur, lege divina, non ſpeciali, & Iudæorum propria, ſed communi, & omnes homines adſtringente, quam nemo præter unum DEVM relaxare, aut diſpenſare poſſit, interdictos.* Certum eſt, quod indolem legum naturalium imitentur, & ratio eadem detur, quæ in Legibus naturalibus indubitato talibus. Optime conſcientiæ hic conſulitur, ſi eligitur TUTIUS.

a) *de I. & I. t. I. tr. 2. diſp. 4 n. 2.*

b) *Orig. I. N. c. 6. §. 14. c. 8. §. 16. ſqq. §. 25. ſqq.*

c) *Bibl. Ill. t. I. ad Lev. 18 f. 496.*

§. 16. Perfectiſſima ſumma, & Epitome totius Theologiæ, & Doctrinæ Moralis,

Digitized by Google

in qua quid juſtum, honeſtum, & rectum ſit contineatur, recte Decalogus eſſe ſtatuitur contra *Taylor.* a) negantem, *omnibus LL. naturæ a Decalogo proviſum eſſe*: Ex cujus inſtantiis, memorante *Becmanno*, b) potiores ſunt, 1. *quod legi de vitando inceſtu a Decalogo proviſum non ſit. Etſi enim fornicatio prohibeatur, neutiquam tamen inceſtum fieri, niſi omnis fornicatio pro inceſtu habenda ſit.* 2. *quod Decalogus quidem prohibeat, ne faciamus mala, non tamen jubeat, ut faciamus bona.* Sed neutra ſtringit, ceu mox explicabitur. Aliter perfectionem Decalogi impugnant *Sociniani, perfectiora* partim *multa in N. T.* Chriſtum *reddidiſſe*, partim *etiam peculiariter addidiſſe*, fingentes in *Catechesi Racovienſi*: c) Quem nos neque defectu unquam laboraſſe, neque complemento, & additione externa indiguiſſe ſtatuimus, cum in lege ſufficienter contineatur, quid agendum, vel omittendum ſit, modo quis illa invenire, & inde eruere ſciat. Quin & aliis etiam diſplicet, quod perfectionem legis moralis Moſaicæ tantopere urgemus. Ita namque *Reginaldus*, d) etſi *præcepta moralia novæ legis eadem eſſe* concedat, addit tamen, quia *referuntur ad ordinationem ſtatus perfectioris, facta eſſe auctiora*; *creviſſeq; legem divinam, ut quoad credenda, ita etiam quoad agenda.* Verum ſtatus ille N. T. non perfectior, ſed *melior*, dicitur à *Paulo*; e) nec conſiſtit in majori numero, & perfectione legum, quam

a) *Duct. Dub. l. 2. c. 2. Reg. 4.*

b) *Polit. Paral. c. 2. §. 7. p. 433.*

c) *de Proph. I. C. mun. c. 1. q. 1.*

d) *Prax. For. Pan. l. 13. c. 15. n. 145.*

e) *Ebr. 8. 6.*

erant præcepta moralia in V. Teſtamento; Sed quod, cum lex habuerit promiſſiones de bonis, etiam vita æterna, prômerendis, quod tamen impoſſibile nobis fuerat, Evangelium fidei omnia donet propter Chriſtum gratis, ita ut N. T. promiſſiones habeat, quas omnis credens obtinet, cum, qui ſub V. T. vixerunt, per ejus promiſſiones ſalvati non fuerint, f) de quo prolixius egit B. D. *Sebaſt. Schmidius*, g) Verbo: Melius eſt teſtamentum N. præ V. quia habet meliores promiſſiones: Id quod contra Socinianos etiam urget B. *Scherzerus*. h) De cætero lex Moſaica in V. T. non minus ſpiritualis fuit, interiorem requirens obedientiam, atq; in N. T. eadem à *Paulo* i) eſſe dicitur, poſtulans dilectionem DEI ex toto corde, tota anima, omnibusque viribus; & proximi, ſicut nos ipſos diligimus, k) atque in N. T. eadem nobis imperatur, l) *quo nihil perfectius eſſe poteſt*, recte monente D. *Calovio*. m) Nec hactenus diſſentientes præceptum novum de agendis nominare potuerunt, de quo, quod Decalogo contineatur, illis non fuerit oſtenſum; divinæ hujus Summæ legitima modo inſtituatur evolutio, atque explicatio. Egregie B. *Chemnitius*, n) *DEVS*, inquit, *in decem verba, univerſam ſapientiam legis moralis contulit, non ut cuivis liberum eſſet, quamcunq; vellet interpretationem affingere, ſed ipſe ſua voce certis terminis in explicationibus* Pro-

f) *Act.* 15. 10. 11.
g) *Comment in Epiſt. ad Ebr. l. c. p.* 485. *ſq.*
h) *Colleg. AntiSocin. diſp.* 44. *p. m.* 361.
i) *Rom.* 7. 7.
k) *Deut.* 6. 5. *Levit.* 19. 18.
l) *Matth.* 22. 27. *Luc.* 10. 27.
m) *Socin Proflig. de Leg. diſ. p.* 263. *Bibl. Illuſtr. t. I. f.* 394.
n) *P. II. Loc. de Leg. Dei. c.* 7. *f.* 24.

Propheticis & Apoſtolicis, ſynecdochen Decalogi incluſit.

§. 17. Ac explicandam hanc *ſynecdochen*, & contenta in eadem eruenda, dimiſſa explicatione promiſſionum & comminationum legalium, qua ratione ad Decalogum omnes virtutes & vitia reduci debeant, notamus, regulas huic inſtituto inſervientes eſſe vel *generales*, vel *ſpeciales*. *Generales*, quæ ad omnia pertinent Decalogi præcepta, ſunt vel *Biblicæ*, vel *Ethicæ*, vel *Logicæ*. Univerſalis illa ſcripturas explicandi regula, quod non ſit *ἰδίας ἐπιλύσεως*, a) etiam hic in explicatione Decalogi locum habet; unde I. *Regula Biblica*, huc pertinens, hæc eſt: *Decalogus non eſt propriæ explicationis*, ſed prout explicatio in ſcriptis Propheticis, & Apoſtolicis, continetur, & à Chriſto potiſſimum tradita, Matth. 5. 17. ſqq. Videndum itaque (*α*) quid phraſi, & uſu ſcripturæ; & proin Chriſti etiam doctrina, atque Sp. S. explicatione, & Commentario, Synecdochica iſta locutione, atque legis formula, contineatur: Prophetæ item, atque Apoſtoli, quo pacto Decalogum allegare, applicare, & ex legibus ejuſdem, verba mutuari ſoleant, v. c. Math. 5. 27. 1. Joh. 3. 15. Eximie, more ſuo, rurſus *Chemnitius*: b) *Quibus perſonis & ordinibus ſcriptura tribuit appellationem parentum, & filiorum, illos ſcriptura quaſi digito monſtrat pertinere ad quartum præceptum. Item quibus peccatis tribuit appellationem idololatriæ,*

a) 2. *Petr.* 1. 20.

b) *P. II. Loc. Com. de Leg. f.* 27.

latriæ, illa certum eſt pertinere, ad primum præceptum. Deinde (β) ſcripturam ſcrutantes ex illa colligere debent Catalogum virtutum, & vitiorum; quæ ad ſingula Decalogi præcepta etiam referantur, cognito ex ſcripturis, quam late cujuslibet præcepti ambitus ſe extendat. II Regula Biblica eſt, *quod lex ſit*
c) *Rom.* 7. 14. *ſpiritualis,* c) non externam tantum, ſed & internam requirens obedientiam d) ipſius cor-
d) *Ierem.* 17. 9. dis, ne concupiſcat, e) & concupiſcentes nos
e) *Rom.* 7. 7. *Deut.* 5. 21. *al.* 18. faciat. Fundamentum regulæ habetur 1. Sam. 16. 7. Matth. 5. 20. Et ſic differt à Legibus civilibus lex divina moralis, quod illæ, cum actus mere interni, & humanæ naturæ inevitabiles, punibiles licet in ſe, puniri tamen ab hominibus non commode poſſunt, ad interiora
f) *I. B. P. II.* 20. 18. iſta conſcientiæ non pertingunt, *Grotio* f) etiam obſervatum. Unde, quod *cogitationis pœnam neminem mereri* dictent *leges Romanæ*, id coram hominibus, non in foro divino, ſe ſic habere cenſendum. Annuunt priſci Eccleſiæ
g) *l.* 1. *Ep.* 2. Doctores: *Nos*, inquit B. *Cyprianus*, g) glorioſus Martyr, *in quantum nobis & videre & judicare conceditur, faciem ſingulorum videmus, cor ſcrutari, & mentem perſpicere non poſſumus. De his judicat oculorum ſcrutator, & cognitor cito venturus, & de arcanis cordis, atq; abditis judicaturus.* Et magnus Hipponenſium Præ-
h) *t. VIII. opp. f.* 41. ſul, B *Auguſtinus* h) *in conſcientia*, ait, *ſolus DEVS homines probat.* Unde in enarrandis bene & male, juſte & injuſte factis, præceptisque

Digitized by Google

que Decalogi explicandis, reſpiciendum (α) ad exteriora; (β) ad interiora, quæ etiam aliquo modo ratio, qualia ſint, videre poteſt; (γ) ad interiora, quæ non niſi ex verbo DEI cognoſcuntur. i)

i) *Chemnit. l. c. f. 24.*

§. 18. Regulas *Ethicas* explicandi Decalogi has damus. I. *Etſi principia practica, nobis inſita, legi Decalogi, quæ ſpiritualis eſt, explicandæ non ſufficiant, cujus perfectionem ignorant,* a) *quicquid tamen per bonam conſequentiam ex illis deducitur, ad Decalogi præcepta pertinet, & illis contineri,* doceri poteſt, ad eadem explicanda. Ratio eſt manifeſta, & patet ex ſupra datis: Quia Decalogus eſt repetitio legis naturalis, & ejus præcepta, ſi quoad morale perpetuum, non quoad involucra Moſaica, ſpectantur, ſunt præcepta juris N. II. Cum omnia reſpiciant *fidem* & *charitatem*, recte hinc infert B. *Lutherus*, b) quæcunq; *fidei in DEUM, & charitati erga proximum repugnant,* ea à lege quoque non præcipi, ſed eidem repugnare. III. Non negamus, inſignem *uſum hic eſſe diſciplinæ juris naturalis,* ad explicanda, & evolvenda præcepta Decalogi, inprimis quando ad ſpecialia deſcendendum, quod attinet rerum definitiones. Nam explicatio præceptorum J. N. & Decalogi, pari modo inſtitui poteſt, & in ſcripturis inſuper ea continentur, licet non ſub his terminis, quorum in Philoſophia juris uſus eſt. & quæ in Jure naturali docentur, ſi vel maxime rerum defini-

a) *Rom. 7. 7.*

b) *Præfat. in V. T.*

tiones

tiones aliunde petantur, fruſtra hoc nomine *Niceta Spilio* c) negante; *Decalogo contineri totum jus naturæ.*

c) *Epiſt. Curioſ. quæſt. III. n. 2 p. 57.*

§. 19. Regulæ *Logicæ*, quas Dialectica, ceu habitus inſtrumentalis communis, ſuppeditat, & quæ tanquam organa hermeneutica adhiberi poſſunt, potiores ita habent. I. Uti omnis bonæ interpretationis clavis eſt *ſcopi conſideratio*, ita ante omnia conſiderandum, *quis in ſingulis Decalogi præceptis finis* ille ſit; eruendus ex collatione aliarum ſcripturarum; quæque cum illo *conjungantur*, ad illum ceu *media*, quibus obtineatur, pertineant, eidemque *repugnent*. Hæc enim prohiberi, illa omnia præcipi, cenſendum. Sic Chriſtus a) diſcipulos ſuos, ſabbatho ſpicas avellentes, & comedentes, defendit contra Phariſæos, ex fine, & ſcopo præcepti tertij, qui non eſt prohibere opera neceſſitatis, ſeu extremæ, ſeu indigentiæ, ſabbatho, ſic ferente caſu, peragenda, de quo prolixe B. D. *Seb. Schmidius*; b) quos proin Sabbathi quietem violaſſe negat Chriſtus, cum non contra intentionem, & ſcopum præcepti de ſanctificando Sabbatho, aliquid commiſerint. Pertinet huc ex Topicis Locus de *Fine*: *de ſubjecto & adjuncto*, & ſimiles. II. Regula: Uti *in genere comprehenditur ſpecies*, ſic ut ſublato genere tollantur omnes ſpecies, ita prohibito genere, ſeu communi, omnes etiam ſpecies ejuſdem prohibentur. Unde cum prohi-

a) *Matt. 12.*

b) *de Sabb. Deut. 5. 51.*

Digitized by Google

hibentur Dij alieni, omnis generis idololatria prohiberi credi debet. Contra, quicquid de genere, ſeu magis communi, qua tali, in genere morum affirmatur, quod ſit v. c. juſtum & injuſtum, bonum vel malum, id de ſpecie quoque ſubjecta, ſeu minus communi, dicitur: v. c. Parentes ſunt honorandi, E. & omnes illi, quibus ſcriptura ſacra parentum nomen tribuit. Ita cum Præcepto V. prohibetur homicidium in genere, ceu per ſe malum, etiam odium, quod eſt affectus ad nocendum, & occidendum tendens, tanquam ſpecies homicidij, prohibetur à Johanne. c) III. *Prohibita ſpecie, totum genus, cum omnibus ſpeciebus, prohibetur,* quatenus ſcil. eadem turpitudo omnibus ineſt. Ita prohibita præcepto ſexto inſigni illa illiciti concubitus ſpecie, adulterio ſcilicet, omne genus turpitudinis venereæ, affectu, dicto, facto, maxime omnium monſtroſe etiam commiſſæ, cenſeri debet eſſe prohibitum. Quod enim verum eſt in uno ſimilium, id in altero etiam verum eſt, quatenus nimirum ſimilia ſunt. Ita è *ratione legis, & rationis paritate, Chemnit.* d) regulas de gradibus prohibitis colligit. Pertinent huc ex Topicis loci *à ſimili & diſſimili*; item à *comparatis paribus, & imparibus.* IV. *Probibito effectu,* etiam *omnis cauſa, occaſio,* prohibetur. Patet ex collatione præcepti ſexti cum Matth. 5. 28. Prohibetur iſta lege Decalogi adulterium: Cauſa & occaſio hujus

c) 1. *Ep.* 3. 15.

d) *P. III. Loc. f.* 124.

mœ-

mœchiæ, cum inter alias ſit aſpectus mulieris libidinoſus, talis à Chriſto, ceu modus adulterij committendi, prohibitus eſt, & lege hac prohibitus eſſe, ab eodem docetur. V. *Notato relato, ſimul intelligitur correlatum.* Mentione facta parentum, ſtatim, & ſimul, innuuntur liberi; uti mentione ſervorum ſimul connotantur officia herorum, ceu Epheſ. 6. 1. 4. ſqq. cognoſcere licet. VI. Denique regula concernit modum moralitatis cognoſcendæ, an aliquid lege aliqua, præceptum vel prohibitum ſit? Nimirum omnium circumſtantiarum etiam eſt habenda ratio, ita ut aliquid, cujus genus, vel ſpecies, in Decalogo continetur, lege aliqua præceptum cenſeri debeat, cum omnes circumſtantiæ convenienti modo ſe habent; prohibitum autem ſit eadem lege, cum unica non recte ſe habet, ſecundum canonem: *Bonum eſt tale ex integra cauſa, malum ex quovis defectu:* Ita Sodomia cognoſcitur prohiberi præcepto ſexto, ut & inceſtus, de quo ſupra *Taylorus* dubitavit, quia tales concubitus etiam inordinati ſunt ratione objecti, cui convenire alias debere, virtus præcepto ſexto imperata præcipit.

§. 20. *Speciales* Decalogi explicandi regulæ petuntur I. ab *Ordine Præceptorum*: Ordo hic ratio eſt etiam ordinis, quoad obſervantiam eorundem, ſic ut præcepta Tab. II. cedant præceptis Tabulæ primæ. Patet hoc

ex

Digitized by Google

ex verbis Chriſti, a) qui præceptum *de diligendo DEO primum*, & præ omnibus *magnum mandatum* eſſe contendit. *Hoc eſt primum & magnum mandatum*, ait *Theophylactus*, b) *ad pietatem nos exercens, ſecundum autem eſt ſimile illi, quod nos excitat ad faciendum, quæ ſunt juſta homini.* Simile tantum, non æquale, de quo poſt *Hunn.* c) *Gerhardus.* d) Exemplum habent verba Chriſti: e) *Qui non odit præ me patrem ſuum, & matrem, & uxorem & filios, fratres & ſorores, imo vel etiam animam ſuam, non poteſt eſſe meus diſcipulus.* Hoc caſu deſinit à Tabula ſecunda præcipi, quod extra eundem ab eadem pro virtute habetur. II. à *forma præceptorum externa*, qua alia affirmativa ſunt, alia negativa. Fallit *Pufendorfij* f) diſciplina de præceptis Decalogi, cum *præcepta negativa naturam hominis corruptam manifeſte præſupponere* contendit. Sed non ſemper id contingit; nec ſemper ita, uti putat diſſentiens, neceſſarium eſt. Conſtat enim, *præceptum* Protoplaſtis datum, *de non comedendo fructu arboris ſcientiæ boni & mali*, fuiſſe negativum, g) in natura integra datum. Sufficit, quod aliquis peccare poſſit, ſi vel maxime nunquam peccaverit; monitum etiam Dn. D. *Alberti.* h) A legis itaque uſu forma hæc præceptorum petitur, qui eſt oſtendere peccata vitanda, & bona oppoſita facienda. Unde affirmativis, & præcipientibus, ſemper addenda ſunt negativa & prohibentia, partim

a) *Matt.* 22. 36 *ſqq.*

b) *Com. in Matth. l. c.*

c) *Comm. in Matth.* 22. *ſ m* 501.

d) *de Leg. Dei ſ.* 7. §. 53.

e) *Luc.* 14. 26.

f) *de Offic. hom. & civ. in Præfat.*

g) *Gen* 3. 3.

h) *Comp. l. N. Orthod. Theol. conf. P. I. p.* 49.

quod contrariorum contraria ſit conſequentia, partim quod virtus ſit poſita in medio inter duo contraria extrema. Ad hunc modum inferendi pertinet ex Topicis Loc. *ab oppoſitis*. Exempla vero illationis exhibet *Chemnitius*. i) III. A *diverſitate materiæ*, & ejus qualitate. Continentur nimirum in legibus Decalogi partim *Moralia*, partim *Ceremonialia*. Illa omnibus vel prohibentur hominibus, vel præcipiuntur; hæc Ebræis tantum, & hodie ceſſarunt. Diligenter proin ſeparanda hæc ſunt ab illis, ut purum habeamus Decalogum, qua ad N T. pertinet, ne ceu virtutem, vel ad eam pertinens, nobis præcipi cenſeamus, quod ad nos non ſpectat. Morale derogare ceremoniali, ita ut hoc & legi charitatis, & caſui neceſſitatis, ſemper cedat, ex 1. Sam. 21. 6. patet, probante Chriſto, k) eximie explicatum B. D. *Sebaſt. Schmidio*. l) IV. A *diverſitate finis, & reſpectus*, quem virtus aliqua, vel vitium aliquod, aut actus habet, ita ut qua talis, & ſub tali formali, ad diverſa Decalogi præcepta pertineat, & ab iiſdem ſimul prohibeatur, vel præcipiatur. Obſervamus hoc contra *Taylorum*, de quo ſupra, negantem, Decalogo prohiberi inceſtum, qua talem: Cum tamen non ſolum Levitici cap. 18. ſit explicatio, & appendix Præcepti VI. ſed & ipſe v. c. inceſtus cum matre, præter hoc, quod Præcepto VI. adverſetur, etiam in Præceptum IV. impingere à DEO doceatur. m)

i) *P. II. Loc. de Leg. f. 47.* 24.

k) *Matt.* 12. 4.

l) *Exercit. de Sabbath. Deut.* 4 *ad Luc.* 6. 1. 5. 10. *ſqq.*

m) *Levit.* 18. 7.

Digitized by Google

§. 21. Caput *Levitici* decimum octavum cum Theologis *appendicem*, & explicationem præcepti ſexti Decalogi, eſſe dicimus, ita ut in hoc capite contenta prohibitarum nuptiarum exempla, ad omnes homines pertinere cenſeri debeant, habenda pro exemplis moralis prohibitionis. Ad illam itaque *appendicem* intelligendam, notamus I. Quod in celebrandis matrimoniis, noluerit DEUS Ebræos imitari *turpes mores, & fœdas leges Ægyptiorum, & Cananæorum.* a) Legis hujus illuſtrandæ gratia, cum ejuſmodi prohibitarum nuptiarum exempla expoſuiſſet, idem, quod ante allata iſta exempla prohibendo edixerat Jehova, repetit ſerio: *Ne*, inquiens, *polluite vos omnibus his, quia OMNIBVS his pollutæ ſunt gentes: quas ego ſum ejiciens coram vobis.* b) *Vnde polluta eſt, viſitavitq; iniquitatem ejus ſuper eam, evomuitq; terra habitatores ſuos.* Cum ergo iſta prohibitorum matrimoniorum exempla, divino ad Ebræos directo interdicto, ceu in Gentilibus improbata, & graviſſime in iiſdem punita, contineantur; & legantur, inter iſtud interdictum divinum, ad Ebræos directum, & ſubjectam illorum enarrationi graviſſimam divinam comminationem; cujus ſeveritatem etiam Gentiles, fœdera talia nuptialia contrahentes, ſenſerunt; manifeſtum eſt, *omnia* illa eſſe moraliter mala, & prohibita, juxta regulam Theologorum: *Quicquid à Moſe & Prophetis ad omnes gentes* per-

a) *Lev.* 18. 3.

b) *Lev. c.* 18. *v.* 23.

c) *Chemnit. P. III. Loc. de Conjug. c. 3. ſ. 223.*

d) *Comm. in Leſit. c. 18. p. 224. ſqq.*

e) *Leſit. 18. 6.*

pertinere oſtenditur, eſt morale. c) Ne dicam, rationes interdictarum iſtarum nuptiarum, ab objecto petitas, non poſitivas, ſed naturales, & immutabiles, & proin perpetuæ obligationis moralis eſſe. Quod præclare oſtendit D. *Franzius* d) noſter. II. *Alloquitur DEVS Viros*, non mulieres, *quia viri habent jus quærendi uxores*, fœminarum autem eſt, honeſte à procis quæri, & de nuptiis compellari. Interim quod interdicitur viris, etiam interdicitur fœminis. Unde III. dicimus: *Gradus his legibus* Moralibus *prohiberi, non perſonas præciſe nominatas.* Deſumitur enim illarum ratio à ſanguinis propinquitate, & carnis reliquiis, quæ non tantum in perſonis nominatis, ſed in gradibus ipſis, prohibitionem naturalem evincunt, ita ut non ad enumeratas tantum, ſed ad perſonas in eodem gradu æquidiſtantes extendi debeat, ob rationis paritatem: Quia omnes perſonæ carnis meæ mihi ſunt prohibitæ, quod in gradum conſanguinitatis ipſum cadit. Sequitur hinc IV. *Sexus differentiam* nihil hic efficere, quaſi fœminæ ejuſdem gradus conceſſæ eſſent nuptiæ, quæ Levit. 18. viro ſunt prohibitæ. Non enim à ſexu, qua tali, ſed à ſanguinis propinquitate, & quia ad reliquias carnis ſuæ non appropinquandum, e) quæ ipſum gradum prohibitum facit, ratio prohibitionis petenda eſt. Ne dicam V. ipſum *DEVM oſtendere*, ſe non perſonas tantum à ſe nominatas, ſed prohi-

Digitized by Google

hibitione ſua *ipſum gradum* intelligere, cum *uti filio matris*, ita *filiæ Patris nuditatem revelare* prohibuerit. f) Quod etiam quoad cæteras perſonas nominatas accipiendum, juxta regulam: Quod de uno parium affirmatur, & negatur, id de altero quoque affirmari debet. VI. Cum *maritus & uxor ſint una caro*; uti ille ſuæ carnis reliquias etiam modo morali invenit in proximis uxoris conſanguineis, in quibus hujus carnis reliquiæ dantur; hæc vero itidem ſuæ carnis reliquias habet in cognatis mariti; ſic in iiſdem gradibus affinitatis prohibitæ ſunt nuptiæ, quibus eaſdem conſanguinitas reſpicit. VII. Adhibito itaque *reciproco*, ſeu mutuo *inter conſanguineas perſonas reſpectu*, & *analogica viciſſitudine*, quæ perſonæ ſecundum leges divinas matrimoniales conjungi poſſint, vel non poſſint, perſpicue cognoſcetur, docente incomparabili Theologorum pari, *Chemnit.* g) & *Franzio.* h)

f) *Levit.18.*

g) *l. c.*

h) *l. c.*

§. 22. Quanquam vero Decalogus ratione materiæ, dici poſſit repetitio juris naturæ, ab eodem tamen, qua talis eſt formaliter hodie, recte dicitur differre. Inſufficiens enim eſt lex naturæ, prout hodie in nobis datur, ad perfectionem internam, quam ignorat. a) Non etiam docet, an ratione principij operativi, & finis, virtutes Chriſtianæ ſe recte habeant; ex Decalogo rectius, quæ virtutes Chriſtianæ ſint, diſcendum. Lex na-

a) Rom.7.7.

naturæ per ſe hominem carnalem adhuc relinquit, *Pauli* b) exemplo: Et cadit in hominem irregenitum adhuc, Unde *Theodoretus* c) Σαρκικὸν καλεῖ τὸν μηδέπω τῆς πνευματικῆς ἐπικουρίας τετυχηκότα, *carnalem vocat eum* Apoſtolus, *qui nondum ſpiritualem gratiam eſt aſſecutus.* Lex Moralis autem eſt *ſpiritualis*, h. e. explicante B. D. *Wellero*, d) *requirit non exteriorem ſaltem, ſed interiorem; non membrorum, ſed etiam cordis & ſpiritus obedientiam, ſeu talem perfectionem & mentis puritatem, quæ omnimodo dependet à Sp. S. & non admixtam habet carnis imperfectionem.* Hæc lex naturæ neſcit, quæ civilem bonitatem potius, quam vere Theologicam docet. Explicavit hæc etiam *Oſiander.* e).

b) *Rom.* 7. 14.

c) *Comm. h. l. c.*

d) *Comm. h. l.*

e) *Theol. Mor. p.* 394. *§.* 26. 21. *p.* 279. *§.* 14. *ad Grot. de I. B. P. Proleg. Obſ.* 17. *p.* 105.

§. 23. Ex his itaque inferre nunc licet, quis ſit *uſus Decalogi*, tam in *juriſprudentia Univerſali*, quam in *Theologia Morali*. Illam quod attinet, cum jus naturæ, prout in nobis hodie ſupereſt, ad reliquias divinæ imaginis pertinet, & magna laborat imperfectione, ex Decalogo cognoſcere licet, quomodo lex hæc divina ſe habuerit, cum in prima rerum creatione Adamo fuerit concreata: Et quomodo ſe habere debeat etiam hodie. Sanctitas enim illa, univerſalis illa rectitudo, atque juſtitia, quæ in Protoplaſtis pleno jubare fulſerat, & juſtitiæ originalis nomine venit, exactiſſime reſpondebat, & reſponderat juſtitiæ, quam lex Moralis exigit, ita ut non

male

Digitized by Google

male dici poſſit, quod Decalogus contineat leges naturales, & proin ſit repetitio juris naturalis, prout hoc primo homini à DEO Creatore fuit implantatum, cum illum ad imaginem ſuam condidiſſet. Patet hinc ulterius, cum quæritur de cognitione præceptorum J. N. & *ratione leges naturales cognoſcendi*, unde hæc cognitio petenda ſit? nimirum ex Decalogo etiam, ex ſcripturis explicando eo modo, quo hactenus oſtendimus. Inſerviat enim licet Diſciplina Juris naturalis Decalogo, ut explicetur, definitiones & diviſiones ſuppeditando; principia tamen ipſa tam perſpicue; & clare in Decalogo poſita ſunt, ut ea, quæ ex jure naturali, prout hodie, natura noſtra corruptâ, ejus ſtatus admittit, non ſatis cognoſci poſſunt, perſpicue inde petantur. Unde enim, cum infirmitas rationis humanæ, & impedimenta recte de difficilioribus vitæ ſocialis negotiis judicandi, ubique obviam ſint, ipſis Gentilibus, *Senecæ*, *Ciceroni*, *Tacito*, agnita; unde, inquam, melius de jure naturæ cognoſci poterit, quam ex peculiari revelatione ſummi legiſlatoris, qui juris hujus autor eſt? Ex inſtituto in hoc illuſtrando occupatus eſt *Lactantius*, a) ut oſtendat, quam imperfecta ſit gentilium Philoſophorum doctrina *de virtute*, præ diſciplina Chriſtianorum. Tituli etiam hujus juris tam diſtincte hic exhibentur, ut nullus actus, nullum negotium vitæ humanæ occur-

a) *Inſt. l. 6. c. 3. ſqq.*

rere poſſit, quod non in Decalogo caput, ad quod revocetur, principium ſecundum quod feliciſſime examinetur, fontem denique, ex quo fluat, inveniat. Imo ne neceſſe quidem eſt ſimpliciter, ut varias iſtas definitiones, & diviſiones, interpres Decalogi ex jure naturali petat, prout illud ſyſtematice hodie explicatur, diſſentiat licet *Nicetas Spilius*; b) cum non ſolum Theologus Moralis ſua ſana ratione, ſecundum ſcripturæ ſacræ ductum, uti poſſit, imo melius quam Philoſophus, principiorum ſuorum practicorum ſenſui, & exinde formato judicio, & ratiocinio practico, indulgens. Quæ enim in *Decalogo noſtro continentur, non tantum*, recte obſervante *Hugone de Roy*, c) JC. *generaliter in ſacris traduntur, verum etiam ſingulatim, & ſpecialiter explicantur, propoſitis caſibus ad captum, & ratiocinium humanum accommodatis*; ut proin beneficio Logicæ, ab artis hujus, ejuſque uſus perito artifice, iſtæ definitiones, & diviſiones, ex ſcripturis feliciſſime poſſint confici. Specimen eximium dedit B. D. *Dannhavveri* Collegium Decalogicum. Denique cum præcepta Decalogi exprimant, quid ſit *honeſte vivere, neminem lædere, & unicuiq; ſuum tribuere*, actusque his univerſalibus juris regulis contrarios prohibeant, illuſtriſſimum diſciplinæ juris naturalis explicandæ præſidium eſſe Decalogum recte infertur; ſufficienti modo, qui hoc

b) *Epiſtol. Curioſ. q.* 1. *n.* 2. *p.* 57.

c) *de eo quod juſt. l.* 1. *tit.* 3 §. 7. *p. m.* 41.

Digitized by Google

hoc ſubſidio utitur, eruditione adjuvetur, monente B. *Beclero*. d)

d) *Com. in Grot. de I. B. P. P. I. p.164.*

§. 24. Quod vero *Theologiam* attinet *Moralem*, cum ejus *objectum perſonale* ſit homo converſus, & regenitus, atque juſtificatus, a) qua fructus fidei, B. O. nimirum ferre, & actiones ſuas legibus, & voluntati divinæ conformare debet; b) non ſolum hic Decalogum, ceu perfectam virtutum normam, in vitæ & morum directionem, intuebitur, ut quæ ſit voluntas Domini, cognoſcat; c) ſed & qui Theologiam Moralem docet, homini regenito non alias virtutes, & B. O. commendabit, ceu fructus fidei, quam quæ à DEO in Lege Morali præſcribuntur. Imo cum Theologiæ Moralis ſit Decalogum explicare, hujus vero uſus ſit, explicante *Form. Concord.* d) per *ſpiritum DEI renatos, & ad Dominum converſos docere, ut in vera pietate vivant & ambulent,* recte hinc infertur, Renatum, & converſum hominem, objectum Theologiæ Moralis dici debere.

a) *Rom.12.1. ſqq. Matth. 7. 8. Eph.2. 10.*

b) *1.Theſſ.4. 3. Eph.5.7.*

c) *Deut. 4. 1.2. Ezech. 20. 19. Matth. 5. 16. ſqq.*

d) *Art. 6. p. 717.*

§. 25. Cum vero lex ſpiritualis ſit, & proin internam etiam cordis puritatem, non externam tantum præcipiat, *Objectum* Theologiæ Moralis *reale* non *externæ* tantum, ſed *internæ* etiam, conſtituent actiones hominis Chriſtiani. Debemus enim DEUM diligere ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, ϗ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ, *& proximum, ut nos ipſos,* a) æque nimirum ſincera mente. Ipſum hinc figmentum

a) *Matt.22. 37.*

 cor-

cordis humani, motus primo primi, à DEO accuſantur, b) & à Chriſto c) impuritatis, atque malitiæ moralis, convincuntur. Delectationem moroſam impurarum, & malarum cogitationum, turpem eſſe, ratio dictat, primos autem concupiſcentiæ, nos concupiſcere facientis, motus tales etiam, & lege divina prohibitos eſſe, Decalogus docet ſolus. Unde cum B. *Auguſtinus*, d) *de talibus quoq; cogitationibus, cum mens tantum oblectatur illicitis, etſi nil faciendum eſſe decernat, teneat tamen & volvat libenter, veniam petendam eſſe, pectusq; percutiendum, atq; dicendum: Dimitte nobis debita noſtra*, merito monuerit; B. *Hieronymus* e) explicans, quid ſit *Concupiſcentia*, de qua *Paulus* Rom. 7. 7. *Nos*, inquit, *per concupiſcentiam omnes perturbationes animæ ſignificatas putamus, quibus mœremus & gaudemus, timemus & CONCVPISCIMVS.* Uſus proin Decalogi in Theologia Morali eſt, docere, quod bonitas & malitia moralis non conſiſtant tantum in actibus externis, vel internis, in noſtra poteſtate poſitis, & quibus aliquis, imperfectus licet, conſenſus accedit; ſed etiam in motibus primis, in ſola ſuggeſtione, mali ab intra proveniente, ſubſiſtentibus, uti loquitur B. D. *Carpzovius*. f)

b) Gen. 6. 5.
c) Matth. 15. 19.
d) *l.* 12. *de Trin. c.* 12.
e) *t. IV. opp. ad Algaſ. q.* 8. *f. m.* 75.
f) *Iſag. p.* 163.

§. 26. *Subjectum* Theologiæ Moralis *Perſonale*, hominem renatum & juſtificatum eſſe diximus. Juſtificationem enim ſequitur renovatio, cujus ſubjectum eſt homo, ut eſt

Digitized by Google

per ſtudium B.O. & virtutum Chriſtianarum, ad imaginem DEI in hac vita reducendus; imperfecta licet iſta maneat. In *hoc homine renato duo contraria principia concurrunt*, ut loquitur B. D. *Meiſnerus*, a) *caro & ſpiritus*, ita ut renati hoc nomine dicantur *ſpirituales*, & *carnales*. *Spirituales*, quoad novitatem inchoatam, ratione ſpiritus; *Carnales* autem, quoad vetuſtatem reſiduam, & ratione carnis, tam quoad animam, quam quoad corpus: Id quod in *Theologia Moralis ſubjecto* explicando diligenter inculcandum eſt, quo & de principiis virtutum, actionum Chriſtianarum, de earum item perfectione, vel imperfectione, recte loqui poſſimus. Hinc cum in Theologia Morali, quando de virtutibus & B. O. agitur, tum etiam, ut *Form. Concord.* b) rurſus loquitur, *in exercitio bonorum operum*, qui eſt finis Theologiæ Moralis internus, *doctrina legis eſt neceſſaria credentibus. Facile enim homo imaginari, & perſuadere ſibi poteſt, vitam & opera ſua omnino pura & perfecta eſſe. At lex* DEI *credentibus* B.O. & *eum modum præſcribit, ut ſimul tanquam in ſpeculo nobis commonſtret, ea omnia in nobis in hac vita imperfecta & impura eſſe*; ita ut quæ adhæret caro, quæ opera imperfecta & immunda reddit ex lege, quæ *ſpiritualis* eſt, cognoſci debeat. Rom. 7. 7. Qui uſus legis contra Pelagianos, Semipelagianos, *Borborianos, concupiſcentiam pravam eſſe* negantes, apud *Philaſtr.* c) Socinianos

a) *Anthropol. Dec. I. Diſp. 8. q. 1. p. 279.*

b) *l. c. p. 7??.*

c) *Hæreſ. 26.*

nos, Arminianos, & alios, in Theolog. Mora
li non negligendus, eximie etiam à Paulo ho
d) Rom. 7. 7. ſqq. nomine explicatus. d) Subjecto enim Theo
logiæ Moralis perverſe explicato, per præci
puas hujus doctrinæ partes errabitur. Qua
le autem hoc ſit, ex lege etiam cognoſcitur

§. 27. Præterea etiam ſciendum eſt
doctrinam Moralem Theologicam nullam
aliam *Summam*, & *normam* virtutum, atque B
O. & Chriſtianarum actionum, debere agno
ſcere præter Decalogum, eo modo, quo ſu
pra notavimus, exponendum ex ſcripturis
Summa Decalogus eſt omnis illius doctrina
& Theologiæ Moralis, quæ in ſcripturis V. &
N. T. continetur, ex quibus ejus petenda ge
nuina explicatio. Hæ itaque cum perfect
morum norma ſint, divinitus inſpiratæ πρὸς
ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα
ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀ
γαθὸν ἐξηρτισμένος, *ad correctionem, ad diſcipli
nam quæ ſit in juſtitia, ut integer ſit hom
DEI, ad omne bonum opus probe inſtructus*, i
Decalogo quoque omnes præcipi virtutes, &
B. O. neceſſe eſt, ita ut nihil pro virtute Chri
ſtiana, & opere vere bono, haberi debeat, n
ſi in decem iſtis præceptis ſit præceptum
Non ergo pro virtutibus vere Chriſtianis, &
operibus vere bonis, quæ ſint fructus fide
juſtificantis, nobis obtrudi patimur illa, qu
a) *l. 2. de doctr. Chriſt. c. 9.* in Decalogo, prout ex Scriptura S. in qu
Auguſtino a) monente, *illa omnia inveniuntur*

qu

Digitized by Google

quæ continent fidem, moresq́, vivendi, juxta Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum interpretationem, ejus inſtituenda eſt explicatio, à DEO præcepta non ſunt, uti *Thomam* ſecutus *Hieronymus Platus*, b) cum aliis, *religionem* ſtatuit *ſignificare virtutem quandam, quæ juſtitiæ pars ſit*: Etſi de hac virtute in Decalogo, etiam quoad genus, altum ſit ſilentium, ut & de aliis cultibus electitiis, præter legem, & ſine verbo DEI inſtitutis, operibus etiam ſupererogationis, quæ ſic vocantur, conſiliis item, quæ præceptis contradiſtinguuntur. Bene *Chemnitius*: c) *Mandata ſua DEUS proponit normam B. O. & quidem ita, ut affirmet, normam illam eſſe perfectiſſimam*; quam in ſequentibus DEI *legem, ſeu Decalogum*, eſſe docet. Unde *Formul. Concord*. d) *Quin etiam*, inquit, *legis doctrina hoc nomine credentibus eſt neceſſaria, ne propria quadam ſanctimonia religioſum vitæ genus de ſuo ingenio excogitent, & ſub prætextu ſpiritus DEI electitios cultus, ſine verbo & mandato DEI inſtituant*: quod in V. e) & N. T. f) prohiberi conſtat, uberius explicante *Gerhardo*. g)

b) *de bono Stat. relig. l.1.c.2.p.29.*

c) *t.III. Loc. de B. O. c.2. ſ.15.*

d) *art 6. de Tert. uſu L. p. 722.*

e) *Deut.12. 8. c. 13. 1. Num 15 39. Ezech. 20. 18.*

f) *Matth. 15. 9. Coloſ. 2. 23.*

g) *t. IV. Loc. de B. O. ſ. 16. ſq.*

§. 28. Cum itaque illa tantum opera vera B. O. ſint, quæ DEUS in Decalogo præcepit, nullas etiam alias virtutes Chriſtianas agnoſcamus, quam quæ in utraque Tabula ejuſdem continentur, prout nimirum hæc norma, & *Summa* omnis diſciplinæ Moralis, à Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis explicata,

cata,

cata legitur. Neque *Monachorum*, & *Monialium regulas*, ad perfectionem contendendi; neq; *Canones Conciliorum*, a) neque alias *leges Eccleſiaſticas*, vel etiam *traditiones*, de quibus etiam *Auguſtana Confeſſio* b) queſta eſt, quod *obſcuraverint præcepta* DEI, ceu virtutum directrices, audiendas eſſe patet, niſi, & quatenus divinis mandatis reſpondent, libertatem Chriſtianam non imminuunt, bonis item, & & honeſtis circumſtantiis, ea quæ præcipiunt, cohoneſtantur, ratione generis denique in Lege divina continentur. Manent, quæ ſunt indifferentia, quia lege non præcepta, talia in ſe, ita ut ſi vel maxime unius & alterius circumſtantiæ, illa cohoneſtantis, intuitu, ceu adminicula bonorum operum, & virtutum Chriſtianarum, bona dici poſſunt, B. O. tamen *abſolute & ſimpliciter* dici nequeant. Ex quo relinquitur, nullas alias in Theologia Morali explicandas eſſe virtutes, aliasq; actiones, ceu opera renatorum & juſtificatorum non urgendas, quam quæ in Decalogo, illarum norma perfectiſſima, præcipiuntur. Uti enim DEUS *per Evangelium* bonos in nobis motus *efficit*, ita *dirigit* eoſdem, & B. O. *per Legem*, explicante B. *Carpzov*. c) Minus ergo accurate *Spencerus*: d) *Lex Moralis rudimenta quædam exhibuit, earum virtutum, quas Evangelium clare poſtulat*; cum non niſi per illam virtutes Chriſtianæ dirigantur.

a) *Luther.* t. 7. *Alt.* f. 276.

b) *art.* 26. p. 29.

c) *Iſag.* p. 267.

d) *de LL. Ebr. Rit.* l. 1. c. 11. p. 163.

§. 29.

Digitized by Google

§. 29. Uſus etiam Legis in Theologia Morali hic eſt, ut, quia lex divina urget non *extenſive*, & *protenſive* tantum, ſed & *intenſive*, talem perfectionem, & proin *perfectionem concreatam*, aut, uti *Dorſch.* a) loquitur, *concreatæ analogam*, doceatur, homini renato in exercitio pietatis, & ſtudio pietatis, eo contendendum eſſe, ut crebro illius exercitio habitum virtutum Chriſtianarum acquirat, & ex habitu etiam agat. Paſſim id *Paulus* b) urget. *Chryſoſtomus* c) ad verba Apoſtoli, *ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, ut abundetis magis*, notat: *Hoc eſt, ut ex majore, & abundantiore cautione præceptis noſtris contenti non ſitis, ſed tranſcendatis etiam.* Rurſus: *Hoc enim illos profeciſſe fuerit, ſi præcepta & mandata apoſtolica ſuperaverint. Tum enim jam non ex præceptoria coactione, ſed ex propria ſpontaneaque animi promtitudine cuncta fiunt.* Virtutis hæc eſt deſcriptio, ceu ex definitione ejuſdem apud *Ariſtotel.* d) patet.

a) *Theol. Moral.* §. 36.
b) *Eph* 4. 24. 1. *Theſſ* 4. 1.
c) *Homil. V. in* 1. *Theſſ.* 4. 1.
d) 2. *Ethic.* 6.

§. 30. In civili denique vita Decalogi hic eſt uſus, ut Legiſlatori, cui in Legibus ferendis honeſtum curæ cordique eſt, inſerviat, ut, quid juſtum, rectumq; ſit, ex lege hac diſcat, legibus illud ſuis inſerat, & ad Legem hanc Moralem, ceu, juſtitiæ univerſalis ſummam, & omnium LL. fontem, ubique reſpiciat. Etſi non cum *Antinomis* ſtatuendum, *in curia* tantum Legis hujus Moſaicæ uſum eſſe, quos B. *Lutherus* in ordinem redegit. a) *Antino-*

a) *t. IV. Alt. f.* 46 b.

tinomorum in Anglia, quæ noſtro tempore fuerint deliria, ex *Honorio Reggio* b) explicat *Hoornbeck.* c) Etſi vero ex Gentilibus *Tacitus,* d) ſecundum ſuum genium judicans de aliis, de νομοθεσίᾳ Moſaica, non uſque adeo magnifice ſtatuat, quum, *quo ſibi gentem in in poſterum firmaret, novos ritus, contrarioſque cæteris mortalibus,* Moſen indidiſſe refert, Dominationis ſcil. ſuæ firmandæ, & quærendæ cauſa; celebrantur tamen à *Strabone* e) Judæi, quod ex Moſis legibus *juſtitiæ morum, & pietati dediti fuerint.* An vero, quod *Ioſepho* f) videtur, *nulla civitas aut gens fuerit, ad quam ſeptimi diei conſuetudo non pervenerit*, alibi diſquiritur. Nonnulla huc pertinentia habet *Eſſenius.* g) Innotuiſſe autem Gentilibus Moſis leges, eo minus dubitandum, cum & ejus exemplo Legiſlatores Græci legibus ſuis auctoritatem adſtructum iverint, explicante *Clemente Alexandrino.* h)

b) *de Stat. Eccleſ. in Angl.*
c) *Sum. Controv. l.* 10. *ſ.* 812.
d) 5. *Hiſt.* 4. 1.
e) *Gregor. l.* 16. *Geogr.*
f) *II. contra Apion.*
g) *de Mor. Decal. c.* 14. *p.* 543.
h) 1. *Strom. f.* 356.

De
LEGE CEREMONIALI.

§. I.

FUit hæc appendix Præceptorum primæ Tabulæ Decalogi, cultus externi rationem Ebræis præſcribens; veniente autem Chriſto, oportuit cultum hunc ceſſare, cum eundem cum beneficiis adumbraret, & præfigu-

Digitized by Google

figuraret. a) *Spencerus*, a) legum harum corpus, correctionem rituum & conſuetudinum, quas in Ægypto Ebræi imbiberant, in ſacrum uſum ſub certa ratione à DEO conceſſarum, continere, & idololatriæ in gente hac abolendæ, & ne introduceretur impediendæ, præcipuum finem habuiſſe, exiſtimans, fallitur, confutatus ab Epiſtola ad Ebræos, quæ iſta V. Teſt. involucra aliter explicavit, ceu figuras perſonæ, officij, & beneficiorum Chriſti. Melius *Spencero* Leges Ceremoniales & rituales explicavit B. D. *Franzius* noſter, cum in *Schola Sacrificiorum*, tum in *Commentario in Levit.* licet iſto apparatu literarum ſecularium non turgeat, quod etiam non eſt neceſſe. *Legem*, inquit, *Gregor. Nazianzenus*, c) *tantummodo futurorum ac intelligendorum umbram eſſe. ante nos divinus oſtendit Apoſtolus.* Et nonnullis interjectis, καὶ πείθομαι, inquit, μηδὲν εἰκῆ, μηδὲ ἀλόγιστως, μηδὲ χαμερπῶς τούτων διατετάχθαι, μηδὲ ἀναξίως τῆς τοῦ Θεοῦ νομοθεσίας, καὶ τῆς Μωυσέως ὑπουργίας, εἰ καὶ χαλεπὸν ἑκάστη τῶν σκιῶν, ἐνδῆσαι ἐχέφρων θεωρίαν εἰς λεπτὸν καταβαίνοντα, *credo ſane nihil ex his* (ceremonialibus & Leviticis) *temere, aut citra rationem, terreſtreve eſſe inſtitutum, neq; quod DEI legiſlatione, vel Moyſis indignum miniſterio exiſtat: Quamvis admodum ſit difficile, ſi quis ad tenuiora deſcendere velit, ex ſingulis umbris, ſingulas invenire ſpeculationes.*

a) *Col* 2. 16. *Ebr.* 8. 4.
b) *l. c. l.* 3. *Præfat.*
c) *In Paſch. Orat.* 4. *f.* 315. *Græc. f.* 254. *ſq.*

§. 2. Sequitur hinc, quod non ſatis apte, ceu juſti & recti cognoſcendi regula, leges Ceremoniales abrogatæ uſurpari poſſint, præprimis ſi ad ſingularia fit deſcenſus. B. Chemnitius a) obſervat, Apoſtolos LL. has, ex quo abrogatæ ſunt, ſic allegare ſolere, *ut genus ipſum, quod in ceremonialibus naturale, & morale eſt, ad doctrinam proponant; ceremonias etiam Moſaicas allegorice interpretentur.* Et Patribus etiam *Tertullianus*, b) ad diſciplinam moralem ſic eaſdem accommodavit: *Ad hæc innocentiæ, pudicitiæ, & juſtitiæ,* & pietatis *principalia conſulta,* (in Decalogo) *accedunt etiam humanitatis præſcripta, cum ſeptimo quoq; anno ſervitia libertate ſolvuntur: quum eodem tempore agro parcitur egenis cedendo locum: bovi etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præſentis laboris, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Rurſus, nonnullis interjectis, c) pergit: *Si lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronunciat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt, conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frenos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ cum panem ederet angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul, & comitibus gulæ, libidini ſcil. atq; luxuriæ, proſpectum, quæ fere ventris caſtigatione frigeſcunt.* Complura etiam hujus generis *Philo* habet; item R. *Levi Barcelonita*, & ex illo *Hottingerus* in Jur. Ebræorum,

a) *t. II. Loc. de Leg. c. 5. f. 18.*

b) *adverſ. Marcion. l. 2. f. 13. f. m.* 182.

c) *l. c. f.* 24.

Digitized by Google

rum. Verum enimvero, ſi quod morale in LL. ceremonialibus datur, quod vim obligandi habeat, non tamen ex abrogatis iſtius legibus, ſed ex Lege Morali illa fuerit derivanda. Allegoricas etiam legum ceremonialium interpretationes, ceremoniarumque V. T. morales explicationes quod attinet, ſi illas, quæ ab ipſis ſcripturis, & ſic à Spiritu ſancto factæ ſunt hujuſmodi accommodationes excipimus, reliquæ quæ humano fiunt judicio, de congruo ſunt, nec apodicticæ, & illuſtrandi potius, quam probandi gratia, adferri poſſunt. Non male *Spencerus*: d) *In quos fumos abitura eſt lex tota, ſi quævis allegoria, ſpecioſa licet, pro legis ratione, vel myſterio ſacratiore, ſub illius verbis latitante, habeatur? Quot ſenſus legibus Moſis affingemus, ſi quaslibet allegorias, modo ſpecie aliqua blandientes, tanquam ipſiſſimas legum earum rationes, amplectamur.* Licet ſibi ipſi id dictum putet *Spencerus*, cujus rationes LL. iſtarum ſæpe plus ingenii, & multiplicis profanæ, & Eccleſiaſticæ eruditionis, quam certitudinis habent, quam ſufficienter *Maimonides* ſane præſtare non poteſt.

d) *de LL. Ebr. ritual. l. 1. c. 5. ſ. 3. p. 87.*

De
LEGE FORENSI.

§. I.

JUs Ebræorum Forenſe ſatis conſtat fuiſſe,

 ut

cordis humani, motus primo primi, à DEO
b) Gen. 6. 5. accuſantur, b) & à Chriſto c) impuritatis, at-
c) Matth. 15. 19. que malitiæ moralis, convincuntur. Delecta-
tionem moroſam impurarum, & malarum
cogitationum, turpem eſſe, ratio dictat, pri-
mos autem concupiſcentiæ, nos concupiſcere
facientis, motus tales etiam, & lege divina
prohibitos eſſe, Decalogus docet ſolus. Un-
d) l. 12. de Trin. c. 12. de cum B. *Auguſtinus*, d) *de talibus quoq; cogi-
tationibus, cum mens tantum oblectatur illicitis,
etſi nil faciendum eſſe decernat, teneat tamen
& volvat libenter, veniam petendam eſſe, pe-
ctusq; percutiendum, atq; dicendum: Dimitte no-
bis debita noſtra,* merito monuerit; B. *Hiero-*
e) t. IV. opp. ad Algaſ. q. 8. f. m. 75. *nymus* e) explicans, quid ſit *Concupiſcentia*, de
qua *Paulus* Rom. 7. 7. *Nos*, inquit, *per concu-
piſcentiam omnes perturbationes animæ ſignifi-
catas putamus, quibus mœremus & gaudemus,
timemus & CONCVPISCIMVS.* Uſus proin
Decalogi in Theologia Morali eſt, docere,
quod bonitas & malitia moralis non conſi-
ſtant tantum in actibus externis, vel internis,
in noſtra poteſtate poſitis, & quibus aliquis,
imperfectus licet, conſenſus accedit; ſed et-
iam in motibus primis, in ſola ſuggeſtione,
f) Iſag. p. 163. mali ab intra proveniente, ſubſiſtentibus, uti
loquitur B. D. *Carpzovius*. f)

§. 26. *Subjectum* Theologiæ Moralis
Perſonale, hominem renatum & juſtificatum
eſſe diximus. Juſtificationem enim ſequitur
renovatio, cujus ſubjectum eſt homo, ut eſt

pe-

per ſtudium B. O. & virtutum Chriſtianarum, ad imaginem DEI in hac vita reducendus; imperfecta licet iſta maneat. In *hoc homine renato duo contraria principia concurrunt*, ut loquitur B. D. *Meiſnerus*, a) *caro & ſpiritus*, ita ut renati hoc nomine dicantur *ſpirituales*, & *carnales*: *Spirituales*, quoad novitatem inchoatam, ratione ſpiritus; *Carnales* autem, quoad vetuſtatem reſiduam, & ratione carnis, tam quoad animam, quam quoad corpus: Id quod in *Theologiæ Moralis ſubjecto* explicando diligenter inculcandum eſt, quo & de principiis virtutum, actionum Chriſtianarum, de earum item perfectione, vel imperfectione, recte loqui poſſimus. Hinc cum in Theologia Morali, quando de virtutibus & B. O. agitur, tum etiam, ut *Form. Concord.* b) rurſus loquitur, *in exercitio bonorum operum*, qui eſt finis Theologiæ Moralis internus, *doctrina legis eſt neceſſaria credentibus. Facile enim homo imaginari, & perſuadere ſibi poteſt, vitam & opera ſua omnino pura & perfecta eſſe. At lex DEI credentibus* B. O. & *eum modum præſcribit, ut ſimul tanquam in ſpeculo nobis commonſtret, ea omnia in nobis in hac vita imperfecta & impura eſſe*; ita ut quæ adhæret caro, quæ opera imperfecta & immunda reddit ex lege, quæ *ſpiritualis* eſt, cognoſci debeat. Rom. 7. 7. Qui uſus legis contra Pelagianos, Semipelagianos, *Borborianos*, *concupiſcentiam pravam eſſe* negantes, apud *Philaſtr.* c) Socinia-

a) *Anthropol. Dec. I. Diſp.* 8. *q.* 1. *p.* 279.

b) *l. c. p.* 72[illegible].

c) *Hæreſ.* 26.

nos

nos, Arminianos, & alios, in Theolog. Morali non negligendus, eximie etiam à Paulo hoc
d) Rom. 7. 7. ſqq. nomine explicatus. d) Subjecto enim Theologiæ Moralis perverſe explicato, per præcipuas hujus doctrinæ partes errabitur. Quale autem hoc ſit, ex lege etiam cognoſcitur.

§. 27. Præterea etiam ſciendum eſt, doctrinam Moralem Theologicam nullam aliam *Summam*, & *normam* virtutum, atque B. O. & Chriſtianarum actionum, debere agnoſcere præter Decalogum, eo modo, quo ſupra notavimus, exponendum ex ſcripturis. Summa Decalogus eſt omnis illius doctrinæ, & Theologiæ Moralis, quæ in ſcripturis V. & N. T. continetur, ex quibus ejus petenda genuina explicatio. Hæ itaque cum perfecta morum norma ſint, divinitus inſpiratæ *πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος*, *ad correctionem, ad diſciplinam quæ ſit in juſtitia, ut integer ſit homo* DEI, *ad omne bonum opus probe inſtructus*, in Decalogo quoque omnes præcipi virtutes, & B. O. neceſſe eſt, ita ut nihil pro virtute Chriſtiana, & opere vere bono, haberi debeat, niſi in decem iſtis præceptis ſit præceptum. Non ergo pro virtutibus vere Chriſtianis, & operibus vere bonis, quæ ſint fructus fidei juſtificantis, nobis obtrudi patimur illa, quæ in Decalogo, prout ex Scriptura S. in qua *Auguſtino* a) monente, *illa omnia inveniuntur, quæ*

a) *l. 2. de doctr. Chriſt. c. 9.*

quæ continent fidem , moresq; vivendi, juxta Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum interpretationem, ejus inſtituenda eſt explicatio, à DEO præcepta non ſunt, uti *Thomam* ſecutus *Hieronymus Platus*, b) cum aliis, *religionem* ſtatuit *ſignificare virtutem quandam, quæ juſtitiæ pars ſit*: Etſi de hac virtute in Decalogo, etiam quoad genus, altum ſit ſilentium, ut & de aliis cultibus electitiis, præter legem, & ſine verbo DEI inſtitutis, operibus etiam ſupererogationis, quæ ſic vocantur, conſiliis item, quæ præceptis contradiſtinguuntur. Bene *Chemnitius*: c) *Mandata ſua DEUS proponit normam B. O. & quidem ita, ut affirmet, normam illam eſſe perfectiſſimam*; quam in ſequentibus *DEI legem, ſeu Decalogum*, eſſe docet. Unde *Formul. Concord.* d) *Quin etiam*, inquit, *legis doctrina hoc nomine credentibus eſt neceſſaria, ne propria quadam ſanctimonia religioſum vitæ genus de ſuo ingenio excogitent, & ſub prætextu ſpiritus DEI electitios cultus, ſine verbo & mandato DEI inſtituant*: quod in V. e) & N. T. f) prohiberi conſtat, uberius explicante *Gerhardo*. g)

b) *de bono Stat. relig. l.1.c.2.p.29.*

c) *t.III. Loc. de B. O. c.2. ſ. 15.*

d) *art 6. de Tert. uſu L. p. 722.*

e) *Deut.* 12. 8. c. 13. 1. *Num* 15. 39. *Ezech.* 20. 18.

f) *Matth.* 15. 9. *Coloſ.* 2. 23.

g) *t. IV. Loc. de B. O. ſ. 16. ſq.*

§. 28. Cum itaque illa tantum opera vera B. O. ſint, quæ DEUS in Decalogo præcepit, nullas etiam alias virtutes Chriſtianas agnoſcamus, quam quæ in utraque Tabula ejuſdem continentur, prout nimirum hæc norma, & *Summa* omnis diſciplinæ Moralis, à Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis explicata,

cata legitur. Neque *Monachorum*, & *Monia*-*lium regulas*, ad perfectionem contendendi neq; *Canones Conciliorum*, a) neque alias *leg*-*Eccleſiaſticas*, vel etiam *traditiones*, de quibu etiam *Auguſtana Confeſſio* b) queſta eſt, quo *obſcuraverint præcepta DEI*, ceu virtutum dire-ctrices, audiendas eſſe patet, niſi, & quate-nus divinis mandatis reſpondent, libertatem Chriſtianam non imminuunt, bonis item, & & honeſtis circumſtantiis, ea quæ præcipi-unt, cohoneſtantur, ratione generis deniqu in Lege divina continentur. Manent, qua ſunt indifferentia, quia lege non præcepta, talia in ſe, ita ut ſi vel maxime unius & al-terius circumſtantiæ, illa cohoneſtantis, in-tuitu, ceu adminicula bonorum operum, & virtutum Chriſtianarum, bona dici poſſunt, B. O. tamen *abſolute & ſimpliciter* dici neque-ant. Ex quo relinquitur, nullas alias in Theo-logia Morali explicandas eſſe virtutes, aliasq; actiones, ceu opera renatorum & juſtifica-torum non urgendas, quam quæ in Decalogo, illarum norma perfectiſſima, præcipiuntur. Uti enim DEUS *per Evangelium* bonos in no-bis motus *efficit*, ita *dirigit* eoſdem, & B. O. *per Legem*, explicante B. *Carpzov*. c) Minus ergo accurate *Spencerus*: d) *Lex Moralis rudi-menta quædam exhibuit, earum virtutum, quas Evangelium clare poſtulat*; cum non niſi per illam virtutes Chriſtianæ dirigantur.

a) *Luther*. t. 7. *Alt*. f. 276.

b) *art*. 26. p. 29.

c) *Iſag*. p. 267.

d) *de LL. Ebr. Rit*. l. 1. c. 11. p. 163.

§. 29.

Digitized by Google

§. 29. Uſus etiam Legis in Theologia Morali hic eſt, ut, quia lex divina urget non *extenſive*, & *protenſive* tantum, ſed & *intenſive*, talem perfectionem, & proin *perfectionem concreatam*, aut, uti *Dorſch.* a) loquitur, *concreatæ analogam*, doceatur, homini renato in exercitio pietatis, & ſtudio pietatis, eo contendendum eſſe, ut crebro illius exercitio habitum virtutum Chriſtianarum acquirat, & ex habitu etiam agat. Paſſim id *Paulus* b) urget. *Chryſoſtomus* c) ad verba Apoſtoli, ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, *ut abundetis magis*, notat: *Hoc eſt, ut ex majore, & abundantiore cautione præceptis noſtris contenti non ſitis, ſed tranſcendatis etiam.* Rurſus: *Hoc enim illos profeciſſe fuerit, ſi præcepta & mandata apoſtolica ſuperaverint. Tum enim jam non ex præceptoria coactione, ſed ex propria ſpontaneaque animi promtitudine cuncta fiunt.* Virtutis hæc eſt deſcriptio, ceu ex definitione ejuſdem apud *Ariſtotel.* d) patet.

a) *Theol. Moral.* §. 36.
b) *Eph* 4:24. 1. *Theſſ* 4. 1.
c) *Homil. V. in* 1. *Theſſ.* 4. 1.
d) 2. *Ethic.* 6.

§. 30. In civili denique vita Decalogi hic eſt uſus, ut Legiſlatori, cui in Legibus ferendis honeſtum curæ cordique eſt, inſerviat, ut, quid juſtum, rectumq; ſit, ex lege hac diſcat, legibus illud ſuis inſerat, & ad Legem hanc Moralem, ceu, juſtitiæ univerſalis ſummam, & omnium LL. fontem, ubique reſpiciat. Etſi non cum *Antinomis* ſtatuendum, *in curia* tantum Legis hujus Moſaicæ uſum eſſe, quos B. *Lutherus* in ordinem redegit. a) *Antino-*

a) *t. IV. Alt. f.* 461.

tinomorum in Anglia, quæ noſtro tempore fuerint deliria, ex *Honorio Reggio* b) explicat *Hoornbeck*. c) Etſi vero ex Gentilibus *Tacitus*, d) ſecundum ſuum genium judicans de aliis, de νομοθεσία Moſaica, non uſque adeo magnifice ſtatuat, quum, *quo ſibi gentem in in poſterum firmaret, novos ritus, contrarioſque cæteris mortalibus*, Moſen indidiſſe refert, Dominationis ſcil. ſuæ firmandæ, & quærendæ cauſa; celebrantur tamen à *Strabone* e) Judæi, quod ex Moſis legibus *juſtitiæ morum, & pietati dediti fuerint*. An vero, quod *Ioſepho* f) videtur, *nulla civitas aut gens fuerit, ad quam ſeptimi diei conſuetudo non pervenerit*, alibi diſquiritur. Nonnulla huc pertinentia habet *Eſſenius*. g) Innotuiſſe autem Gentilibus Moſis leges, eo minus dubitandum, cum & ejus exemplo Legiſlatores Græci legibus ſuis auctoritatem adſtructum iverint, explicante *Clemente Alexandrino*. h)

b) *de Stat. Eccleſ. in Angl.*
c) *Sum. Controv. l.* 10. *ſ.* 812.
d) 5. *Hiſt.* 4. 1.
e) *Gregor. l.* 16. *Geogr.*
f) *II. contra Apion.*
g) *de Mor. Decal. c.* 14. *p.* 543.
h) 1. *ſtrom. f.* 356.

DE LEGE CEREMONIALI.

§. I.

FUit hæc appendix Præceptorum primæ Tabulæ Decalogi, cultus externi rationem Ebræis præſcribens; veniente autem Chriſto, oportuit cultum hunc ceſſare, cum eundem cum beneficiis adumbraret, & præfigu-

figuraret. a) *Spencerus*, a) legum harum corpus, correctionem rituum & conſuetudinum, quas in Ægypto Ebræi imbiberant, in ſacrum uſum ſub certa ratione à DEO conceſſarum, continere, & idololatriæ in gente hac abolendæ, & ne introduceretur impediendæ, præcipuum finem habuiſſe, exiſtimans, fallitur, confutatus ab Epiſtola ad Ebræos, quæ iſta V. Teſt. involucra aliter explicavit, ceu figuras perſonæ, officij, & beneficiorum Chriſti. Melius *Spencero* Leges Ceremoniales & rituales explicavit B. D. *Franzius* noſter, cum in *Schola Sacrificiorum*, tum in *Commentario in Levit.* licet iſto apparatu literarum ſecularium non turgeat, quod etiam non eſt neceſſe. *Legem*, inquit, *Gregor. Nazianzenus*, c) *tantummodo futurorum ac intelligendorum umbram eſſe, ante nos divinus oſtendit Apoſtolus.* Et nonnullis interjectis, *καὶ πείθομαι*, inquit, *μηδὲν εἰκῆ, μηδὲ ἀλογίστως, μηδὲ χαμερπῶς τούτων διατετάχθαι, μηδὲ ἀναξίως τῆς τοῦ Θεοῦ νομοθεσίας, καὶ τῆς Μωυσέως ὑπουργίας, εἰ καὶ χαλεπὸν ἑκάστη τῶν σκιῶν, ἑκάστου ἐφευρεῖν θεωρίαν εἰς λεπτὸν καταβαίνοντα, credo ſane nihil ex his* (ceremonialibus & Leviticis) *temere, aut citra rationem, terreſtreve eſſe inſtitutum, neq; quod DEI legiſlatione, vel Moyſis indignum miniſterio exiſtat: Quamvis admodum ſit difficile, ſi quis ad tenuiora deſcendere velit, ex ſingulis umbris, ſingulas invenire ſpeculationes.*

a) *Col.* 2. 16. *Ebr.* 8. 4.
b) *l. c. l.* 3. *Præfat.*
c) *In Paſch. Orat.* 4. *f.* 315. *Græc. f.* 254. *ſq.*

§. 2. Sequitur hinc, quod non ſatis apte, ceu juſti & recti cognoſcendi regula, leges Ceremoniales abrogatæ uſurpari poſſint, præprimis ſi ad ſingularia ſit deſcenſus. B. *Chemnitius* a) obſervat, Apoſtolos LL. has, ex quo abrogatæ ſunt, ſic allegare ſolere, *ut genus ipſum, quod in ceremonialibus naturale, & morale eſt, ad doctrinam proponant; ceremonias etiam Moſaicas allegorice interpretentur.* Et Patribus etiam *Tertullianus*, b) ad diſciplinam moralem ſic eaſdem accommodavit: *Ad hæc innocentiæ, pudicitiæ, & juſtitiæ,* & pietatis *principalia conſulta,* (in Decalogo) *accedunt etiam humanitatis præſcripta, cum ſeptimo quoq; anno ſervitia libertate ſolvuntur: quum eodem tempore agro parcitur egenis cedendo locum: bovi etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præſentis laboris, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Rurſus, nonnullis interjectis, c) pergit: *Si lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronunciat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt, conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frenos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ cum panem ederet angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul, & comitibus gulæ, libidini ſcil. atq; luxuriæ, proſpectum, quæ fere ventris caſtigatione frigeſcunt.* Complura etiam hujus generis *Philo* habet; item R. *Levi Barcelonita*, & ex illo *Hottingerus* in Jur. Ebræorum,

a) *t. II. Loc. de Leg. c. 5. f. 18.*

b) *adverſ. Marcion. l. 2. f. 13. f. m. 182.*

c) *l. c. f. 24.*

Digitized by Google

rum. Verum enimvero, ſi quod morale in LL. ceremonialibus datur, quod vim obligandi habeat, non tamen ex abrogatis iſtius legibus, ſed ex Lege Morali illa fuerit derivanda. Allegoricas etiam legum ceremonialium interpretationes, ceremoniarumque V. T. morales explicationes quod attinet, ſi illas, quæ ab ipſis ſcripturis, & ſic à Spiritu ſancto factæ ſunt hujuſmodi accommodationes excipimus, reliquæ quæ humano fiunt judicio, de congruo ſunt, nec apodicticæ, & illuſtrandi potius, quam probandi gratia, adferri poſſunt. Non male *Spencerus*: d) *In quos fumos abitura eſt lex tota, ſi quævis allegoria, ſpecioſa licet, pro legis ratione, vel myſterio ſacratiore, ſub illius verbis latitante, habeatur? Quot ſenſus legibus Moſis affingemus, ſi quaslibet allegorias, modo ſpecie aliqua blandientes, tanquam ipſiſſimas legum earum rationes, amplectamur.* Licet ſibi ipſi id dictum putet *Spencerus*, cujus rationes LL. iſtarum ſæpe plus ingenij, & multiplicis profanæ, & Eccleſiaſticæ eruditionis, quam certitudinis habent, quam ſufficienter *Maimonides* ſane præſtare non poteſt.

d) *de LL. Ebr. ritual. l. 1. c. 5. ſ. 3. p. 87.*

De LEGE FORENSI.

§. I.

JUs Ebræorum Forenſe ſatis conſtat fuiſſe, ut

cordis humani, motus primo primi, à DEO accuſantur, b) & à Chriſto c) impuritatis, atque malitiæ moralis, convincuntur. Delectationem moroſam impurarum, & malarum cogitationum, turpem eſſe, ratio dictat, primos autem concupiſcentiæ, nos concupiſcere facientis, motus tales etiam, & lege divina prohibitos eſſe, Decalogus docet ſolus. Unde cum B. *Auguſtinus*, d) *de talibus quoq; cogitationibus, cum mens tantum oblectatur illicitis, etſi nil faciendum eſſe decernat, teneat tamen & volvat libenter, veniam petendam eſſe, pectusq; percutiendum, atq; dicendum: Dimitte nobis debita noſtra*, merito monuerit; B. *Hieronymus* e) explicans, quid ſit *Concupiſcentia*, de qua *Paulus* Rom. 7. 7. *Nos*, inquit, *per concupiſcentiam omnes perturbationes animæ ſignificatas putamus, quibus mœremus & gaudemus, timemus & CONCVPISCIMVS*. Uſus proin Decalogi in Theologia Morali eſt, docere, quod bonitas & malitia moralis non conſiſtant tantum in actibus externis, vel internis, in noſtra poteſtate poſitis, & quibus aliquis, imperfectus licet, conſenſus accedit; ſed etiam in motibus primis, in ſola ſuggeſtione, mali ab intra proveniente, ſubſiſtentibus, uti loquitur B. D. *Carpzovius*. f)

b) Gen. 6. 5.
c) Matth. 15. 19.
d) *l. 12. de Trin. c. 12.*
e) *t. IV. opp. ad Algaſ. q. 8. f. m. 75.*
f) *Iſag. p. 163.*

§. 26. *Subjectum* Theologiæ Moralis *Perſonale*, hominem renatum & juſtificatum eſſe diximus. Juſtificationem enim ſequitur renovatio, cujus ſubjectum eſt homo, ut eſt

per

Digitized by Google

per ſtudium B. O. & virtutum Chriſtianarum, ad imaginem DEI in hac vita reducendus; imperfecta licet iſta maneat. In *hoc homine renato duo contraria principia concurrunt*, ut loquitur B. D. *Meiſnerus*, a) *caro & ſpiritus*, ita ut renati hoc nomine dicantur *ſpirituales*, & *carnales*. *Spirituales*, quoad novitatem inchoatam, ratione ſpiritus; *Carnales* autem, quoad vetuſtatem reſiduam, & ratione carnis, tam quoad animam, quam quoad corpus: Id quod in *Theologiæ Moralis ſubjecto* explicando diligenter inculcandum eſt, quo & de principiis virtutum, actionum Chriſtianarum, de earum item perfectione, vel imperfectione, recte loqui poſſimus. Hinc cum in Theologia Morali, quando de virtutibus & B. O. agitur, tum etiam, ut *Form. Concord.* b) rurſus loquitur, *in exercitio bonorum operum*, qui eſt finis Theologiæ Moralis internus, *doctrina legis eſt neceſſaria credentibus. Facile enim homo imaginari, & perſuadere ſibi poteſt, vitam & opera ſua omnino pura & perfecta eſſe. At lex* DEI *credentibus* B. O. & *eum modum præſcribit, ut ſimul tanquam in ſpeculo nobis commonſtret, ea omnia in nobis in hac vita imperfecta & impura eſſe*; ita ut quæ adhæret caro, quæ opera imperfecta & immunda reddit ex lege, quæ *ſpiritualis* eſt, cognoſci debeat. Rom. 7. 7. Qui uſus legis contra Pelagianos, Semipelagianos, *Borborianos*, *concupiſcentiam pravam eſſe* negantes, apud *Philaſtr.* c) Socinianos

a) *Anthrop. Dec. I. Diſp. 8. q. 1. p. 279.*

b) *l. c. p. 7..*

c) *Hæreſ. 26.*

nos, Arminianos, & alios, in Theolog. Morali non negligendus, eximie etiam à Paulo hoc
d) *Rom. 7. 7. ſqq.* nomine explicatus. d) Subjecto enim Theologæ Moralis perverſe explicato, per præcipuas hujus doctrinæ partes errabitur. Quale autem hoc ſit, ex lege etiam cognoſcitur.

§. 27. Præterea etiam ſciendum eſt, doctrinam Moralem Theologicam nullam aliam *Summam*, & *normam* virtutum, atque B. O. & Chriſtianarum actionum, debere agnoſcere præter Decalogum, eo modo, quo ſupra notavimus, exponendum ex ſcripturis. Summa Decalogus eſt omnis illius doctrinæ, & Theologiæ Moralis, quæ in ſcripturis V. & N. T. continetur, ex quibus ejus petenda genuina explicatio. Hæ itaque cum perfecta morum norma ſint, divinitus inſpiratæ *πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ· ἵνα ἄρτιος ᾖ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος, πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρτισμένος, ad correctionem, ad diſciplinam quæ ſit in juſtitia, ut integer ſit homo* DEI, *ad omne bonum opus probe inſtructus*, in Decalogo quoque omnes præcipi virtutes, & B. O. neceſſe eſt, ita ut nihil pro virtute Chriſtiana, & opere vere bono, haberi debeat, niſi in decem iſtis præceptis ſit præceptum. Non ergo pro virtutibus vere Chriſtianis, & operibus vere bonis, quæ ſint fructus fidei
a) *l. 2. de* juſtificantis, nobis obtrudi patimur illa, quæ
doctr. in Decalogo, prout ex Scriptura S. in qua
Chriſt. c. 9. *Auguſtino* a) monente, *illa omnia inveniuntur*,

quæ

quæ continent fidem, moresq; vivendi, juxta Chriſti, Prophetarum, & Apoſtolorum interpretationem, ejus inſtituenda eſt explicatio, à DEO præcepta non ſunt, uti *Thomam* ſecutus *Hieronymus Platus*, b) cum aliis, *religionem* ſtatuit *ſignificare virtutem quandam, quæ juſtitiæ pars ſit*: Etſi de hac virtute in Decalogo, etiam quoad genus, altum ſit ſilentium, ut & de aliis cultibus electitiis, præter legem, & ſine verbo DEI inſtitutis, operibus etiam ſupererogationis, quæ ſic vocantur, conſiliis item, quæ præceptis contradiſtinguuntur. Bene *Chemnitius*: c) *Mandata ſua DEUS proponit normam B. O. & quidem ita, ut affirmet, normam illam eſſe perfectiſſimam*; quam in ſequentibus DEI *legem, ſeu Decalogum*, eſſe docet. Unde *Formul. Concord.* d) *Quin etiam*, inquit, *legis doctrina hoc nomine credentibus eſt neceſſaria, ne propria quadam ſanctimonia religioſum vitæ genus de ſuo ingenio excogitent, & ſub prætextu ſpiritus* DEI *electitios cultus, ſine verbo & mandato* DEI *inſtituant*: quod in V. e) & N. T. f) prohiberi conſtat, uberius explicante *Gerhardo*. g)

b) *de bono Stat. relig. l.1.c.2.p.29.*

c) *t. III. Loc. de B. O. c.2. ſ.* 15.

d) *art 6. de Tert. uſu L. p.* 722.

e) *Deut.* 12. 8. *c.* 13. 1. *Num* 15.39. *Ezech.* 20. 18.

f) *Matth.* 15. 9. *Coloſ.* 2. 23.

g) *t. IV. Loc. de B. O. ſ.* 16. *ſq.*

§. 28. Cum itaque illa tantum opera vera B. O. ſint, quæ DEUS in Decalogo præcepit, nullas etiam alias virtutes Chriſtianas agnoſcamus, quam quæ in utraque Tabula ejuſdem continentur, prout nimirum hæc norma, & *Summa* omnis diſciplinæ Moralis, à Prophetis, Chriſto, & Apoſtolis expli-

cata,

cata legitur. Neque *Monachorum*, & *Monialium regulas*, ad perfectionem contendendi; neq; *Canones Conciliorum*, a) neque alias *leges Eccleſiaſticas*, vel etiam *traditiones*, de quibus etiam *Auguſtana Confeſſio* b) queſta eſt, quod *obſcuraverint præcepta* DEI, ceu virtutum directrices, audiendas eſſe patet, niſi, & quatenus divinis mandatis reſpondent, libertatem Chriſtianam non imminuunt, bonis item, & & honeſtis circumſtantiis, ea quæ præcipiunt, cohoneſtantur, ratione generis denique in Lege divina continentur. Manent, quæ ſunt indifferentia, quia lege non præcepta, talia in ſe, ita ut ſi vel maxime unius & alterius circumſtantiæ, illa cohoneſtantis, intuitu, ceu adminicula bonorum operum, & virtutum Chriſtianarum, bona dici poſſunt, B. O. tamen *abſolute & ſimpliciter* dici nequeant. Ex quo relinquitur, nullas alias in Theologia Morali explicandas eſſe virtutes, aliasq; actiones, ceu opera renatorum & juſtificatorum non urgendas, quam quæ in Decalogo, illarum norma perfectiſſima, præcipiuntur. Uti enim DEUS *per Evangelium* bonos in nobis motus *efficit*, ita *dirigit* eoſdem, & B. O. *per Legem*, explicante B. *Carpzov*. c) Minus ergo accurate *Spencerus*: d) *Lex Moralis rudimenta quædam exhibuit, earum virtutum, quas Evangelium clare poſtulat*; cum non niſi per illam virtutes Chriſtianæ dirigantur.

a) *Luther*. *t*. 7. *Alt*. *f*. 276.

b) *art*. 26. *p*. 29.

c) *Iſag*. *p*. 267.

d) *de LL. Ebr. Rit*. *l*. 1. *c*. 11. *p*. 163.

§. 29.

§. 29. Uſus etiam Legis in Theologia Morali hic eſt, ut, quia lex divina urget non *extenſive*, & *protenſive* tantum, ſed & *intenſive*, talem perfectionem, & proin *perfectionem concreatam*, aut, uti *Dorſch.* a) loquitur, *concreatæ analogam*, doceatur, homini renato in exercitio pietatis, & ſtudio pietatis, eo contendendum eſſe, ut crebro illius exercitio habitum virtutum Chriſtianarum acquirat, & ex habitu etiam agat. Paſſim id *Paulus* b) urget. *Chryſoſtomus* c) ad verba Apoſtoli, *ἵνα περισσεύητε μᾶλλον, ut abundetis magis*, notat: *Hoc eſt, ut ex majore, & abundantiore cautione præceptis noſtris contenti non ſitis, ſed tranſcendatis etiam.* Rurſus: *Hoc enim illos profeciſſe fuerit, ſi præcepta & mandata apoſtolica ſuperaverint. Tum enim jam non ex præceptoria coactione, ſed ex propria ſpontaneaque animi promtitudine cuncta fiunt.* Virtutis hæc eſt deſcriptio, ceu ex definitione ejuſdem apud *Ariſtotel.* d) patet.

a) *Theol. Moral. §. 36.*

b) *Eph* 4:24. 1. *Theſſ* 4. 1.

c) *Homil. V. in* 1. *Theſſ.* 4. 1.

d) 2. *Ethic.* 6.

§. 30. In civili denique vita Decalogi hic eſt uſus, ut Legiſlatori, cui in Legibus ferendis honeſtum curæ cordique eſt, inſerviat, ut, quid juſtum, rectumq; ſit, ex lege hac diſcat, legibus illud ſuis inſerat, & ad Legem hanc Moralem, ceu, juſtitiæ univerſalis ſummam, & omnium LL. fontem, ubique reſpiciat. Etſi non cum *Antinomis* ſtatuendum, *in curia* tantum Legis hujus Moſaicæ uſum eſſe, quos B. *Lutherus* in ordinem redegit, a) *Antino-*

a) *t. IV Alt. f.* 461.

tinomorum in Anglia, quæ noſtro tempore fuerint deliria, ex *Honorio Reggio* b) explicat *Hoornbeck.* c) Etſi vero ex Gentilibus *Tacitus,* d) ſecundum ſuum genium judicans de aliis, de *νομοθεσίᾳ* Moſaica, non uſque adeo magnifice ſtatuat, quum, *quo ſibi gentem in in poſterum firmaret, novos ritus, contrarioſque cæteris mortalibus,* Moſen indidiſſe refert, Dominationis ſcil. ſuæ firmandæ, & quærendæ cauſa; celebrantur tamen à *Strabone* e) Judæi, quod ex Moſis legibus *juſtitiæ morum, & pietati dediti fuerint.* An vero, quod *Ioſepho* f) videtur, *nulla civitas aut gens fuerit, ad quam ſeptimi diei conſuetudo non pervenerit,* alibi diſquiritur. Nonnulla huc pertinentia habet *Eſſenius.* g) Innotuiſſe autem Gentilibus Moſis leges, eo minus dubitandum, cum & ejus exemplo Legiſlatores Græci legibus ſuis auctoritatem adſtructum iverint, explicante *Clemente Alexandrino.* h)

b) *de Stat. Eccleſ. in Angl.*
c) *Sum. Controv. l.*10. §. 812.
d) 5. *Hiſt.* 4. 1.
e) *Gregor. l.* 16. *Geogr.*
f) *II. contra Apion.*
g) *de Mor. Decal. c.*14. *p.*543.
h) 1. *Strom. f.*356.

DE LEGE CEREMONIALI.

§. I.

FUit hæc appendix Præceptorum primæ Tabulæ Decalogi, cultus externi rationem Ebræis præſcribens; veniente autem Chriſto, oportuit cultum hunc ceſſare, cum eundem cum beneficiis adumbraret, & præ-

figu-

Digitized by Google

figuraret. a) *Spencerus*, b) legum harum corpus, correctionem rituum & conſuetudinum, quas in Ægypto Ebræi imbiberant, in ſacrum uſum ſub certa ratione à DEO conceſſarum, continere, & idololatriæ in gente hac abolendæ, & ne introduceretur impediendæ, præcipuum finem habuiſſe, exiſtimans, fallitur, confutatus ab Epiſtola ad Ebræos, quæ iſta V. Teſt. involucra aliter explicavit, ceu figuras perſonæ, officij, & beneficiorum Chriſti. Melius *Spencero* Leges Ceremoniales & rituales explicavit B. D. *Franzius* noſter, cum in *Schola Sacrificiorum*, tum in *Commentario in Levit.* licet iſto apparatu literarum ſecularium non turgeat, quod etiam non eſt neceſſe. *Legem*, inquit, *Gregor. Nazianzenus*, c) *tantummodo futurorum ac intelligendorum umbram eſſe. ante nos divinus oſtendit Apoſtolus.* Et nonnullis interjectis, καὶ τίθεμαι, inquit, μηδὲν εἰκῇ, μηδὲ ἀλογίστως, μηδὲ χαμερπῶς τούτων διατετάχθαι, μηδὲ ἀναξίως τῆς τοῦ Θεοῦ νομοθεσίας, καὶ τῆς Μωυσέως ὑπουργίας, εἰ καὶ χαλεπὸν ἑκάστῃ τῶν σκιῶν, ἑκάστην ἐφαρμόζειν θεωρίαν εἰς λεπτὸν καταβαίνοντα, *credo ſane nihil ex his* (ceremonialibus & Leviticis) *temere, aut citra rationem, terreſtreve eſſe inſtitutum, neq; quod DEI legiſlatione, vel Moyſis indignum miniſterio exiſtat: Quamvis admodum ſit difficile, ſi quis ad tenuiora deſcendere velit, ex ſingulis umbris, ſingulas invenire ſpeculationes.*

a) *Col.* 2. 16. *Ebr.* 8. 4.
b) *l. c. l.* 3. *Præfat.*
c) *In Paſch. Orat.* 4. *f.* 315. *Græc. f.* 254. *ſq.*

§. 2. Sequitur hinc, quod non ſatis apte, ceu juſti & recti cognoſcendi regula, leges Ceremoniales abrogatæ uſurpari poſſint, præprimis ſi ad ſingularia fit deſcenſus. B. *Chemnitius* a) obſervat, Apoſtolos LL. has, ex quo abrogatæ ſunt, ſic allegare ſolere, *ut genus ipſum, quod in ceremonialibus naturale, & morale eſt, ad doctrinam proponant; ceremonias etiam Moſaicas allegorice interpretentur.* Et Patribus etiam *Tertullianus*, b) ad diſciplinam moralem ſic eaſdem accommodavit: *Ad hac innocentiæ, pudicitiæ, & juſtitiæ, & pietatis principalia conſulta,* (in Decalogo) *accedunt etiam humanitatis præſcripta, cum ſeptimo quoq; anno ſervitia libertate ſolvuntur: quum eodem tempore agro parcitur egenis cedendo locum: bovi etiam terenti vincula oris remittuntur ad fructum præſentis laboris, quo facilius in pecudibus præmeditata humanitas in hominum refrigeria erudiretur.* Rurſus, nonnullis interjectis, c) pergit: *Si lex aliquid cibis detrahit, & immunda pronunciat animalia, quæ aliquando benedicta ſunt, conſilium exercendæ continentiæ intellige, & frenos impoſitos illi gulæ agnoſce, quæ cum panem ederet angelorum, cucumeres & pepones Ægyptiorum deſiderabat. Agnoſce ſimul, & comitibus gulæ, libidini ſcil. atq; luxuriæ, proſpectum, quæ fere ventris caſtigatione frigeſcunt.* Complura etiam hujus generis *Philo* habet; item R. *Levi Barcelonita*, & ex illo *Hottingerus* in Jur. Ebræorum.

a) *t. II. Loc. de Leg. c. 5. f. 18.*

b) *adverſ. Marcion. l. 2. f. 13. f. m.* 182.

c) *l. c. f.* 24.

Digitized by Google

rum. Verum enimvero, ſi quod morale in LL. ceremonialibus datur, quod vim obligandi habeat, non tamen ex abrogatis iſtius legibus, ſed ex Lege Morali illa fuerit derivanda. Allegoricas etiam legum ceremonialium interpretationes, ceremoniarumque V. T. morales explicationes quod attinet, ſi illas, quæ ab ipſis ſcripturis, & ſic à Spiritu ſancto factæ ſunt hujuſmodi accommodationes excipimus, reliquæ quæ humano fiunt judicio, de congruo ſunt, nec apodicticæ, & illuſtrandi potius, quam probandi gratia, adferri poſſunt. Non male *Spencerus*: d) *In quos fumos abitura eſt lex tota, ſi quævis allegorias ſpecioſa licet, pro legis ratione, vel myſterio ſacratiore, ſub illius verbis latitante, habeatur? Quot ſenſus legibus Moſis affingemus, ſi quaslibet allegorias, modo ſpecie aliqua blandientes, tanquam ipſiſſimas legum earum rationes, amplectamur.* Licet ſibi ipſi id dictum putet *Spencerus*, cujus rationes LL. iſtarum ſæpe plus ingenij, & multiplicis profanæ, & Eccleſiaſticæ eruditionis, quam certitudinis habent, quam ſufficienter *Maimonides* ſane præſtare non poteſt.

d) *de LL. Ebr. ritual. l. 1. c. 5. ſ. 3. p. 87.*

De LEGE FORENSI.

§. I.

JUs Ebræorum Forenſe ſatis conſtat fuiſſe,

ut Theologis etiam explicatur, determinationem generalium præceptorum Decalogi ad certas actiones vitæ exterioris civilis, illarum dirigendarum gratia, ad obtinendam etiam civilem gentis hujus felicitatem, & diſciplinam externam conſervandam; ita ut leges hujus juris pro appendicibus præceptorum utriusque Tabulæ Decalogi haberi poſſint, potuerintque, quatenus illorum exterior uſus Politicus in gente hac conſervandus fuit, ſalvo interim reſpectu typico, quem ut Reſpublica Ebræorum ipſa, ita & leges iſtæ habuerunt, ad regnum Chriſti præfigurandum, de quo eximie B. D. *Seb. Schmidius* a) egit.

a) *Comm. in l. Iud. Epiſt. dedicat.*

§. 2. Duplicem itaque in Republica uſum jus hoc forenſe habuit. *Theologicum*, cum ratione typicæ adumbrationis regni Chriſti, tum propter ceremoniale, quod ſimul nonnunquam implicabant; cujus generis mixtæ leges fuerunt, de *jure primogeniti*; a) de *cadavere ſuſpenſi*; b) de *aſylis*; c) Chriſti beneficia præfigurantes, & aliæ. Dein *Politicum*, qui concernebat felicitatem hujus civitatis externam, in vita ſociali & civili, atque modum diſciplinam externam conſervandi. Dubium enim non eſt, quin & civiliter beatam gentem ſuam DEUS eſſe voluerit. In hunc finem in Legibus his Forenſibus complura, partim *moralia*, partim *civilia*, occurrunt, recte monente *Conringio*, d) *eſſe leges illas non æquas tantum, ſed etiam ad felicita-*

a) *Deut.* 21. 17.
b) *Deut.* 21. 22.
c) *Deut.* 19. 3.
d) *de Civil. Prud. c.* 14. *p.* 313.

Digitized by Google

tatem civilem per quam idoneas. Ita ut neque Theologo, neque civili Doctore indignus labor ſit, oſtendere, qualis cum Theologica Sapientia in illis, quæ mixtæ ſunt leges, Ceremoniales partim, partim & Forenſes; tum Moralis, & Civilis Prudentia, in omnibus contineatur. Poſt pauciora illa, quæ vel apud *Ioſephum*, e) vel *Philonem*, in diverſis opuſculis, *Euſebium*; f) ex recentioribus apud *Cunæum* g) leguntur, ad hoc inſtitutum pertinentia, nos etiam, quam inſignis moralis & civilis diſciplina in LL. his contineatur, docere conati ſumus, explicatis LL. Ebræorum Forenſibus de *Idololatria*, de *Magia*, *ejusq. ſpeciebus*, & de *Iure egenorum*: continuaturi hoc inſtitutum, ſi DEUS vitam, & otium conceſſerit. Ad dignitatem hujus juris faciunt, quæ Parallelíſmis ſuis, & collationibus Juris Moſaici, *Franciſcus Raguellius*, *Petrus Pithœus*, *Guilielmus Welvod*, *Molinæus*, *Calvinus*, & alij, intenderunt.

e) *2. contr. Apion.*
f) *de Rep. Ebr. l. 1.*
g) *de Præpar. Evang.*

§. 3. Satis vero conſtat, jus hoc Forenſe etiam abrogatum eſſe, ceu à DEO Legiſlatore ſoli Ebræorum Reipublicæ præſcriptum, ita ut quoad ceremoniale penitus deſierit, quod ceſſare debuit, uti aliæ umbræ Vet. T. corpore veniente ceſſarunt, a) ſic ut ne quidem ullam iſtarum legum, ob rationem talem ceremonialem, & ſub tali reſpectu, in uſum revocare liceat, indifferentes licet in ſe ſint alias, ni Chriſtum, cujus figuræ ejuſmodi

a) *Col. 2. 16.*

 ce-

ceremoniæ fuerunt, veniſſe negare velimus. Ceſſante vero iſto reſpectu, prout inter Chriſtianos etiam ceſſavit, nil impedit, quo minus *jus primogenituræ, jus Aſyli*, & ſimilia, exerceri poſſint, quemadmodum etiam paſſim inter Chriſtianos exercentur, ex rationibus politicis & moralibus, non ceremonialibus. Aſt quod iſtas juris Forenſis leges attinet, quæ ſimul morales ſunt, illarum morale manet, jam quoad *ſpeciem*, v. c. quando præcipitur, b) *juſtitia in judicio, in menſura, in pondere, & dimenſione*; & prohibetur, c) *ne quis proximum opprimat, aut rapiat*; jam quoad *genus*, in LL. v. c. *Forenſibus pœnalibus*, quod ſcelerati ſint puniendi. Ita lex *de tectis peribolo loricato cingendis, & muniendis*, d) etſi *quoad ſpeciem* rei præceptæ, ad nos etiam ex hac ratione non pertineat, quod diverſa noſtra conſuetudine ædificandi ratio ſit introducta, obligat tamen *quoad genus*; ſcil. ne ſic ædificemus, ut vel nobis, vel aliis inde periculum vitæ exoriatur, vel uti DEUS loquitur, *ſanguis ponatur in domo noſtra.* Nimirum, uti non male *Zepperus* e) infert: *Ex quibus forenſibus, ad Politiæ Iudaicæ rationem attemperatis, genus aliquod, vel Vniverſale, cum lege naturali, & decalogo congruens, elici, atq; exſtrui poteſt, horum genus, vel univerſale, nos etiamnum hodie tenet, ſpecie, vel particulari conſtitutione ceſſante*: Licet obligatio nos conſtringens non veniat ex lege Forenſi, qua tali, ceu quæ

b) *Levit.* 19. 35.

c) *Levit.* 6. c. 13.

d) *Deut.* 22. 8.

e) *Explicat. LL. For. l.* 1. *c.* 8. *p.* 57.

quæ abrogata eſt, ſed ex lege Morali, cujus obligatio eſt perpetua, ceſſante omni reſpectu forenſi. Quod vero iſtas leges juris hujus concernit, quæ ex ſpeciali, atque huic Reipublicæ propria ratione conſtitutæ fuerunt, v. c. *de ducenda fratris absq; ſobole defuncti vidua*; f) de *venditione liberorum, urgente egeſtate*; g) de *libello repudij*; h) de *potu zelotypiæ*; i) à noſtris Rebuspublicis uſurpari illæ non poſſunt, non ſolum quia particularis, ſolos Judæos concernentis, juris fuerunt, ſed & quia aliæ circumſtantiæ concurrunt, quæ iſtarum obſervantiam in noſtris civitatibus hodie prohibent.

f) *Deut.* 25. 5.
g) *Exod.* 21. 7.
h) *Deut.* 24. 1.
i) *Num.* 5. 12.

§. 4. Nam quod attinet *nuptias cum defuncti fratris ἀτέκνου vidua*, exceptionem illæ conſtituerunt ceremonialem partim, partim forenſem, legis moralis: *Nuditatem uxoris fratris tui non revelabis*: a) Cujus *rationem ceſſantem Tertullianus* b) *ex eis eſſe* dicit, *quæ evacuata ſunt, ſepulta lege ſuccedendi in matrimonium fratris.* Exceptionem hanc DEUS fecit, qui ſolus omnium optime novit, an, ubi, in quibus LL. naturalibus, quibuſve in caſibus, & quouſque, ejuſmodi exceptiones locum habeant; ubi hominibus à diſparato ad diſparatum argumentari non licet: Tantum abeſt, ut præceptum Juris naturalis, quod non ὅλως, & *ſimpliciter*, ſed *ſecundum quid* tale, ex numero præceptorum horum excludere, & pro *ſimpliciter poſitivo*, ubi libere diſ-

a) *Levit.* 18. 16.
b) *de Monog. f.* 575.

penſes, habendum ſit. Sciendum itaque, quod divino judicio habuerit hic locum exceptio, ad conſervandam eo certiorem diſtinctionem tribuum, & familiarum, in Republica Ebræorum, ut eo melius cognoſci potuerit familia, ex qua erat egreſſurus Meſſias, monitum *Brentio*, c) & *Calovio*. d) Quæ ratio ex prima Tabula Decalogi deſumpta, cum penitus exſpiraverit, pleno vigore lex *de non ducenda fratris ἀτέκνου uxore*, ne, ut *Tertullianus* e) rurſus loquitur, *illi ex ſuo genere vicaria, & quaſi poſthuma ſoboles ſuppareretur*, hodie ſuam exerit obligationem moralem, ita ut nullo caſu in noſtris Rebuspublicis iſta exceptio reviviſcere poſſit, quem nobis fingere non licet; tantum abeſt ut ex Tabula ſecunda Decalogi eum petere queamus, ipſis etiam Judæis legem de non ducenda fratria, ſancte obſervantibus, unico hoc caſu, quem ipſa lex Forenſis excepit, excepto, ceu ex *R. Levi Barzelonita* f) conſtat, apud *Hottingerum*, g) & *Maimonide*, apud *Seldenum*. h) Nec inferre licet, conſtitutionem de non ducenda fratris uxore, non eſſe moralem, & proin nec perpetuæ obligationis, uti *Bellarminus* i) colligit: *Non eſt igitur*, inquiens, *contra jus naturæ, ut ob juſtum aliquem finem quis ducat uxorem fratris ſui. Ergo quod in Levitico legimus c. 18. ne quis ducat uxorem fratris ſui, non eſt naturale præceptum, ſi intelligatur ſimpliciter.* Eadem *Covarruvia* k) eſt diſciplina. Verum

uti

c) *Comm. in Deut.* 25.
d) *Bibl. Illuſtr. t. I. f.* 607.
e) *l. c.*
f) *L.* 202.
g) *Jur. Ebrai. p.* 296.
h) *l. N. G.* 5. 2. 4. *p.* 166.
i) *l.* 1. *de Matrimon. c.* 27.
k) *Opp. t. I. f.* 177. *n.* 3. *ſq.*

Digitized by Google

uti non ſimpliciter contra jus naturæ fuit, fratrem in matrimonium recipere ſororem, quod matrimonia liberorum protoplaſtorum docuerunt; etſi non fuerit id ἐξ ἀρχῆς ἀδιάφορον, *indifferens ab initio*, uti fingit *Michael Epheſius*; l) quanquam id hodie communi conſenſu improbetur, ceu juri naturali contrarium, & ſimpliciter indiſpenſabile, ceſſante nimirum illa circumſtantia, ipſam multiplicationem generis humani concernente, ſub qua illæ nuptiæ inter liberos primorũ mundi parentum neceſſariæ fuerant, poſtulante nimirum ſic ſocialitate, & confraternitate humani generis, ut ex hominis unius ſanguine, omnes deſcenderemus: m) eximie id explicante *Theodoreto*. n) Ita *nec ſimpliciter juri naturali contrariari* aſſeritur, ducere fratris uxorem. Interim tamen non ob quemvis juſtũ finem, qui videri poſſit ejuſmodi nuptias permittere, illas permitti poſſe, & permiſſas eſſe, cenſeri debet, ſed ſub illis tantum circumſtantiis, ſub quibus lege Ebræorum forenſi illas fieri præceptum fuit. Quæ cum non amplius hodie dari poſſint, nec etiam ad ſimiles, & æquales per omnia circumſtantias, aliasque, quas fingere non licet, lex extendi queat, patet, legem Levit. 18. 16. vim ſuam præcipiendi naturalem plena virtute hodie exſerere. Verbo: Ubi DEUS non diſpenſat in naturalibus, ibi nec nobis diſpenſare licet; nec ulterius, quam DEUS diſpenſat. Ex conjectura divinæ voluntatis ubi ſuffi-

l) *in Ariſtot. 5. Nicom. c. 7.*

m) *Conſ. de Orig. Iur. Gent. art. I. §. 22. ſqq. 26.*

n) *T. I. Opp. q. 4. in Gen.*

 cien-

cienti verbo DEI deſtituimur, ſatis tuto non
procedimus. Quæ de jure quodam harum
o) *in Deu-* nuptiarum, *ante legem* exiſtente, *Eſtius* o) pro-
ter. l. c. nunciat, facilius conjiciuntur, quam proban-
tur. *Venditio liberorum*, urgente neceſſitate
p) *Exod.*21. facta, p) itidem conceſſa fuit ob circumſtan-
7. tiam, quæ in Republica Ebræorum tantum
inveniebatur. *Annus* nimirum *Iubilæus* hanc
q) *Not. in* *ſervitutem ſolvebat*; quod & *Grotius* q) nota-
Exod 20 7. r) *de I.B.&* vit, licet alibi, r) patri jus vendendorum libe-
P. l. 2. *c.* 5. rorum, *ubi alia ratio illos alendi non ſuppetit,*
§. 5. *naturaliter* competere, diſputet. De *libello*
repudij quid habendum, & ejus lex quod ab-
rogata in N. T. manere debeat, Chriſtus mo-
s) *Matt.*19. nuit. s) Quid enim turpius, & pudori natu-
7. rali magis contrarium, quam ſi in *Formula*
libelli repudij, inter alia adhuc hodie hæc, vel
ſimilia, leguntur verba? *Ego N. filius N. volui*
ex animo, atq; citra ullam coactionem dimiſi,
& ejeci hanc, quæ hactenus fuit uxor mea, filia
N. & concedo ei licentiam, ac poteſtatem, ut pro
libitu ſuo vendat, quo voluerit, duciq; poßit ab
omni viro, nec eam quisquam prohibere præſu-
t) *add. Bux-* *torff. Synag.* *mat.* t) Lex denique de *Potu Zelotypiæ*, de qua
Iud. c. 29. ex inſtituto *Wagenſeilius*, u) ita comparata eſt,
u) *in Sota.* ut, cum divina promiſſione ejuſmodi miri ef-
fectus, ab aquis amaris expectandi, hodie de-
ſtituimur, ſuperſtitioſæ cujuſdam hydroman-
tiæ, & impie tentati Numinis, reus is hodie
ſit futurus, qui declinantis uxoris ſuſpectam
pudicitiam tali potu explorare inſtituerit:

Uti

Ut nec ferro candente fœminæ pudicitiam, vel accuſato ſuam per duellum innocentiam probare licet. *Froſſardo* x) enim, factum probanti, quo monomachia, cæſo ſtupratore violento, honeſtæ uxori vim illatam ab eodem eſſe, maritus eviciſſe creditus fuerat, quicquid ſit de accuſationis veritate, non ſubſcribimus, cum ſic cenſuit: *Nam qui ſuæ conjugis pudicitiam vita ſua cariorem habuit, & in ea propugnanda capitis periculum non reformidavit, necato adverſario, palam faciebat omnibus, eſſe vindicem DEUM, qui ſcelerum impunitatem non ferat*: Cum ſenatus decreto, *ſi duello accuſatus viciſſet, per vim ſtuprata, propterea quod falſo credita fuiſſet accuſaſſe, flammis objecta, maritus autem caſus eo, quo adverſarius ignominia genere, poſt mortem etiam affectus fuiſſet.* Nos hoc inquiſitionis medium ſuperſtitione, ceu cui ſuas debet origines, non carere, nec judicem ſatis certum reddere poſſe, cenſemus, cum temeraria ſupremi Judicis tentatione non caret, de quo non conſtat, an tali modo judicem inter partes agere velit: Quidquid de hujuſmodi duelli genere ſcripſerit *Viſcherus*. y) Melior eſt *Rachelij*, z) & *Becmanni* aa) diſciplina. Autor certe eſt *Robertus Gaguinus*, bb) quod dubio Marte aliquandiu certaverit cum adultero maritus læſus.

x) *l. 3. Hiſt. init. p. m.* 201.

y) *de Duello proviſ. p.* 194. *ſqq.*

z) *de Ordal.*

aa) *de Iudicio Dei.*

bb) *Hiſt. Franc. l. 9. f. m.* 101. *b.*

§. 5. Aſt quæ alterius indolis ſunt LL. Forenſes, ad juſti rectique diſciplinam adhiberi

beri poſſunt, vel ad uſum *Moralem*, vel ad rationem aliquam, uſumque *Civilem*. Ad juſti rectique cognitionem, & ſic ad uſum *Moralem*, pertinent Leges, quæ talia præcipiunt vel prohibent, quæ ſi ſubſtantiam eorum ſpectamus, ſunt juris communis, quicquid ſit de modo præcipiendi. Hujus generis ſunt LL. Ebræorum Forenſes, de *Iure egenorum*, quæ *genus quoad* ſunt Morales, & juris naturalis, quod nimirum pauperum, viduarum, & orphanorum, in omni vita ſociali, & civili, debemus habere curam; quicquid ſit de *ſpecie*, ſeu modo, miſerabile hoc genus mortalium bene curandi, qui poſitivus quidem & forenſis eſt, omni tamen æquitati, loci item, perſonæ, ſeu gentis, & aliis circumſtantiis conformis, & reſpondens. Species harum legum nititur ratione morali, cum ipſum genus ſit, ut dictum morale; licet aliæ LL. ſint *quoad ſpeciem* etiam morales, uti ſunt LL. de *jure*
a) *Levit.* 18. *connubiorum*, apud Ebræos, a) modo forenſi licet propoſitæ, & LL. pœnalibus etiam mu-
b) *Levit.* 20. nitæ; b) quo ipſo tamen Leges morales, hodie hos obligantes, eſſe non deſinunt; uti nec ſpecies LL. forenſium poſitiva, quæ ratione morali nititur, ſtatim ideo redditur moralis, ceu alibi diſputavimus. Facile interim, an leges Forenſes ſint etiam, ratione materiæ ſcil. morales, vel an ratione tantum aliqua morali nitantur, & quæ illa ſit, cognoſcere licebit, ut ſic poſitiva à moralibus diſtin-

Digitized by Google

ſtinguere poſſimus, ſi obſervaverimus, eſſe, quod eximie B. *Chemnitius* c) monuit, *leges forenſes determinationes generalium præceptorum Decalogi, ad certam ſpeciem externarum actionum, quibus civilis ſocietas in populo Iſraël commodiſſime gubernaretur.* Nimirum ad leges Decalogi, cujus ſunt iſtæ leges Forenſes appendices, ſunt reducendæ, atque adhibita docta, & legitima, iſtorum præceptorum explicatione, diſpiciendum, quid in iſtis forenſibus ſtatutis, pro *morali* & *forenſi* habendum; item an iſta ſtatuta ratione aliqua morali etiam, & quali, an vero mere forenſi nitantur. Quo pacto vero leges Forenſes ad Tabulas Decalogi reduci debeant, oſtendit ex noſtris B. *Gerhardus*, d) ex Reformatis, *Zepperus*. e)

c) *t. 2. Loc. de Leg. c. 4. ſ. 14.*

d) *de LL. cerem. & forenſ. §. 30.*

e) *Explic. LL. forenſ. libr. 4. c. 1, ſ. 11.*

§. 6. Sicut itaque naturalis obligatio, quæ à lege divina morali, & lege naturali connata provenit, datur quoad id, quod in legibus Ebræorum Forenſibus morale eſt, tam quoad genus, quam quod ſpeciem; non item quoad id, quod ratione tantum aliqua, & congruentia morali, quæ variare poteſt, nititur, cum inter tale forenſe, ejuſque rationem, quæ allegatur, non neceſſaria & naturalis detur connexio, ſed externa potius quædam accommodatio: Ita quod cætera attinet forenſia, quæ ad finem vitæ civilis, ejuſque felicitatem externam ordinata, & in ſe indifferentia ſunt, etſi ex voluntate DEI le-

legiſlatoria, quæ Ebræos olim ſtante republica conſtrinxerat, ad iſtorum obſervantiam non teneamur; *libere ex illis judicialibus iſta ſumi poſſunt, quæ noſtris politiis conveniunt*, monente B. *Chemnitio*, a) ita tamen ut in civitatibus noſtris non obligent, niſi voluntate humana. Sic multi populi, ceu *Arthurus Duck* b) oſtendit, ex Jure civili Romano ſtatuta ſuis legibus inſeruerunt, ob inſignem illorum æquitatem, quæ tamen nullam vim obligandi habent, quatenus leges ſunt Juris Romani, ſed quatenus à Principe populi, qui juris Civilis Romani legibus utitur, inter alias domeſticas, vim legalem acceperunt.

a) *l. c. c. 5. ſ.* 18.

b) *de uſu & Auth. l. C. R. in Dom. Princ Chriſt.*

§. 7. *Leges* ergo *pœnales* quod attinet, dupliciter de *uſu* illarum inter Chriſtianos, vel mortales etiam cæteros, diſquiri poteſt. Primo an, cum extincta Ebræorum Republica, obligare deſierint Leges Forenſes, a) quæ circumſtantias quaſdam populo huic peculiares, & proprias, continuerant, id etiam intelligi debeat, de legibus pœnalibus, quibus certa pœnarum genera, certorum criminum atque ſcelerum reis, divina ſanctione deſignabantur. *Iunius* b) eum, qui jure civili communiter ex lege Moſis reus mortis eſt, reum mortis hoc *tempore quoq; habendum eſſe* cenſet; contendente *Wolfgang. Muſculo*, c) non licere alia ex cauſa magiſtratui Chriſtiano capitali ſupplicio afficere delinquentes, quam ex illa, cui ſupplicium tale à DEO eſt con-

a) Gen. 49. 10.

b) *de Polit. Moſ. obſerv.* 6. 30.

c) *Loc. Com. explan præcept. VI. p.* m. 200.

conſtitutum. *Conſtare* aut eidem *ex præſcripto LL. in quoſnam maleficos, ac ſceleratos, ſeu primam, ſeu ſecundam* Tabulam Decalogi *reſpicias, capitali ſupplicio animadverti debeat.* Sine verborum involucris etiam *Piſcator,* d) *quod attinet,* inquit, *ad ipſa pœnarum genera, quæ ad tuendum authoritatē* Decalogi *a* DEO *ſancita ſunt, videri certe, hodie Magiſtratus populi Chriſtiani non minus, quam olim Magiſtratus populi Iſraelitici, legibus illis adſtrictos eſſe.* Sequuntur hos *Zepperus,* e) *Dieſtius,* f) *Maccovius,* & alij. Ex JCtis quoque juris Moſaici perpetuitatem, & univerſalem vim obligandi, in criminalibus ſaltem, & pœnis capitalibus, aſſeruerunt *Bachovius,* g) *Antonius Mattha.* h) notati hoc nomine à *Zieglero;* i) quorum alij, etiam inter recentiores, ſuam faciunt ſententiam, urgentes Ebræorum LL. Forenſes non *de criminalibus tantum cauſis,* ſed de *negotiis forenſibus* in genere. Id quam aptum ex ſe ſit, ad turbas in Republica excitandas, idque ſub ſpecie & prætextu pietatis, quæ humano jure abrogato, divinas leges obſervari debere potius, videri poſſit præcipere, nemo non videt. Pollicem his premit *Grotius,* k) cui *Scoti* ſententia valde *probabilis* videtur, *fas non eſſe, quenquam ad mortem damnare, niſi ob delicta, quæ lex per Moſen data morte punivit,* addito *duntaxat, aut quæ his ſunt paria, recta æſtimatione.* Quanquam hæc verba *Grotiana* aliam etiam pariant quæſtionem, *an nimirum*

non

d) *in Aphor. de Leg. aph.* 17.

e) *Explan. l.* 1. *LL. Forenſ. c.* 10. *p.* 69.

f) *Melliſ. Catech. P. III. p.* 434. *ſq.*

g) *ad Treutler. Vol.* 2. *diſp* 30. *d.*3.

h) *de Crim. de furt. c.*2.

i) *Not. in Grot. l.*2. *c.* 1. *p.* 208. *ſq.*

k) *de I.B.P. II.* 1. 14.

non aliunde, quam ex lege forenſi conſtet, quæ delicta capitali ſupplicio puniri debeant, & ſalva conſcientia poſſint. Ita quidem cenſuit
l) *l.c.p.*201. *Wolfgang. Muſculus*: l) qui cum explicaſſet, quos peccantes in primam & ſecundam Tabulam Decalogi occidere oporteat, juxta reſcriptum divinæ ſententiæ, *hæc obiter*, inquit, *perſtringere volui, ut admoneam, quam nequeant excuſari Magiſtratus, ſi ſanguinem humanum non ex authoritate ſummi legiſlatoris, ſed ſuopte arbitrio fuderint. Servi* DEI *ſunt, ad cujus voluntatem gladium acceptum ſic adminiſtrare debent, ut quos ille jubet occidi occidant, quos ſervari ac defendi conſtituit, ſervent ac defendant*: Invectus in ſequentibus in *Magiſtratus fures occidentes, quos* DEVS *non occidit: Adulteros & adulteras vivificantes, quos*
m) *l. c.* *occidit Dominus*. Nec diſſentit *Grotius*, m) cui *non videtur notitia divinæ voluntatis, quæ ſola animum tranquillat, aliunde in hoc negotio tam gravi haberi poſſe, quam ex illa lege, quæ*
n) *Strict. contra Feld. p.* 97. *certè mortis pœnam in furem non conſtituit.* Defendit *Grotium*, contra *Feldenum*, *Graſvvinckelius*. n)

§. 8. Verum enimvero, uti conceſſimus, poſſe ſic, ut ex aliis legibus Forenſibus, quæ alia negotia civilia concernunt, nec circumſtantias, & rationes, Ebræorum civitati Theocraticæ proprias implicant, ita quoque ex pœnalibus libere uſurpari, quæ noſtris Rebuspublicis conveniunt; ſic ex obligatione

ali-

aliqua legali noſtros id facere Magiſtratus, vel facere debere, pernegamus, cum Moſis miniſterium, non, uti in legis Moralis, ſeu Decalogi promulgatione factum; cujus notitia omnibus gentibus debet innoteſcere, propter *uſum Pædagogicum* ejuſdem, *Paulo*, a) explicatum; in harum Legum propoſitione non, inquam, univerſale, ſed tantum ad Ebræos, reſtrictum fuerit. Non omnes, Forenſes LL. ferendo, ſummus legiſlator populos legibus judicialibus munire voluit, uti leges Morales, quod ad omnes pertinent, omnibus quoque innoteſcere, intendit; quippe qui de ordinanda, & formanda legibus Ebræorum Republica, & ſua in gente hac Theocratia, tantum cogitaverat. Manet ergo *morale*, tam *quoad ſpeciem*, quam *quoad genus*, in legibus his contentum, verbi gr. *atrociter delinquentes eſſe puniendos*, quod omnes Chriſtianos Magiſtratus, ut dictum, obligat, perveniente ex LegeMorali obligatione. Quod autem forenſe tantum eſt, uti particulare, definita nimirum ſpecies pœnæ, id ad ſolos pertinet Judæos. Et pervelim, hoc obſervato diſcrimine, ſcire, qui *Anabaptiſtæ*, vel *Tremulà* illorũ proles, *Quackeri*, *Viri quintæ Monarchiæ*, excipere poſſint, quod diſſentientes, gratis licet, metuunt, ſic fore, abrogato nimirum jure forenſi qua tali, ut ne quidem ad obedientiam Magiſtratui exhibendam ſimus obligati. Ordo enim imperandi & parendi, obedientia item Magiſtratui

a) *Gal* 3. 24.

præſtanda, eſt juris moralis, æterni, non item iſta ſpecies pœnæ in jure Forenſi. Manet itaque obligatio ſubditorum erga imperantes, ex hoc jure proveniens, omni etiam Forenſi obligatione ſublata. Nec mutatur immutabilis divina voluntas, ſi ceſſaſſe hodie affirmamus obligationem legis Forenſis, qua talis, quæ Judæorum olim Rempublicam, & Theocratiam, obligaverat: Cum illa non niſi Ebræos, nec diutius, quam donec veniſſet Schilo, b) minime alias gentes, lege hac obligare intenderat. Determinationem ergo certæ pœnæ quod attinet, non neceſſe eſſe dicimus cum B. *Ziegler*, c) JCto, *ut ea ſemper cum legibus Moſaicis conveniat, cum &, ſi conveniat, nulla hinc legis Moſaicæ ſit obligatio.* Annuunt B. *Lutherus*, d) *Philippus Melanchthon*, e) negantes, judicia *ſecundum normam Iuris Ebræorum Forenſis* inſtituenda eſſe, quod Chriſtianæ, & *Evangelicæ id repugnet libertati.* Ipſe *Zepperus* f) produxit verba *Lutheri*, g) quibus liberum uſum LL. harum Moſaicarum concedit, affirmantis, *liberum eſſe etiam nobis, ex Politicis LL. Moſis aliquas recipere, ſi quæ viderentur convenire. Multa enim eſſe in Moſaicis LL. optime & pulcherrime conſtituta, quæ prodeſſet imitari etiam alias Politias.* Conſentiunt noſtrates, non ſine ratione queſti de Reformatis nonnullis, quod *LL. Moſaicas Forenſes in Chriſtianas Reſpublicas revocatum* eant, *Dannhavvero* h) etiam monitum.

b) *Gen.* 49. 10.

c) *Not. in Grot. l. c. p.* 209.

d) *t.* 2. *Altenb. f.* 816.

e) *ib.*

f) *l. c. p.* 108.

g) *Tom. I. Witteb.* Lat. *f.* 435.

h) *Hod. Calv. P. I. p.* 13.

Digitized by Google

tum. Ex Romano Catholicis *Reginaldus* i) recte ſcribit: *Si princeps aliquis præciperet judicialia in ſuo regno obſervari, nec ipſe peccaret præcipiendo, nec ſubditi obediendo*: Provocans ad *Thomam*: *Niſi forte obſervarentur, vel obſervari mandarentur, tanquam habentia vim obligandi ex veteris legis inſtitutione: quia ex tali intentione obſervatio eſſet mortifera eadem ratione, qua obſervatio ceremonialium.* Sequuntur hunc *Becanus*, k) *à Mauden*, l) *Covarruvias*, m) & alij communiter. Quid? quod & ex Reformatis dentur, qui hac in quæſtione cautius præ aliis loqui amant, inter quos è recentioribus eſt *Burmannus*: n) Qui cum legem *Forenſem duplici modo ſpectari poſſe* dixiſſet, vel *quatenus ad ſolos pertinuit Iudæos*, vel *quatenus ex Morali lege petita concernebat omnes homines, eidem legi ſubjectos*; atq; priori modo dari obligationem negaſſet, *poſteriori modo nos ut obliget quid impedit?* addit. *Hugoni Grotio* vero, ſi legem Ebræorum Forenſem Chriſtianos Magiſtratus impedire putat, *ne quenquam ad mortem damnent, niſi ob delicta, quæ lex per Moſen data morte punivit, aut quæ his ſunt paria recta æſtimatione*; objicimus verba, quæ alibi ſcripſit: o) *Nulla nimirum parte legis Hebrææ, qua lex eſt proprie, nos obligari, quia obligatio extra jus naturæ venit ex voluntate legem ferentis, DEUM autem voluiſſe, ut alij, quam Iſraëlitæ, iſta lege tenerentur, nullo indicio poſſe deprehendi.* Licet vero hæc fal-

i) *Prax. For. Pænit. l.* 13. *c.* 14. *ſ.* 138.

k) *Theol. Schol. P. II. t. pr. tr.* 3. *c.* 4. *q.* 8. *n.* 2.

l) *Diſc. in Decal. l. ſ.* 2. *n.* 3.

m) *tom. I. f.* 177. *m.* 2.

n) *Synopſ. Theol. l.* 4. *c.* 24. *p.* 701.

o) *I. B. P. l.* 1. *ſ.* 16.

falſa ſint, ceu docuimus ſupra, quoad legem Moralem, valide tamen adverſus Grotianum aſſertum, κατ' ἄνθρωπον, adferuntur. Nam ſi lege Forenſi Chriſtianos non teneri DEUS voluerit, non etiam neceſſario debent Chriſtiani Magiſtratus, in ſupplicio capitali conſtituendo, reſpicere ad LL. Ebræorum pœnales; ceu patebit.

§. 9. Quod enim alteram attinet quæſtionem: An *ex lege Ebræorum Forenſi tantum cognoſcere liceat, ob quæ ſcelera, atq; crimina, extremo ſupplicio delinquentes afficere poſſit Magiſtratus*, ceu *Muſculum* a) diſputare vidimus; *ita ut fas non ſit, quenquam ad mortem damnare, niſi ob delicta, quæ lex per Moſen data morte punivit, aut quæ his ſunt paria recta æſtimatione?* quam *Grotij* vidimus eſſe diſciplinam: Certum eſt, eſſe harum LL. forenſium uſum in Republica etiam hunc I. ut, cum primum, & cæteris perfectius, in quovis genere, ſit menſura reliquorum, hæc *Legiſlatio perfectiſſima*, atque *Leges hæ præſtantiſſimæ, exempli, & exemplaris* loco eſſe poſſint cuivis Legiſlatori, ut illarum intuitu, & conſideratione diſcat, qua ratione Leges, quibus bonum, & beatitudo etiam civilis, alicujus civitatis promoveatur, ferendæ ſint. Hac ratione cum ad vicinas gentes, inter quas vivendum, tum ad genium civium, tum etiam quid natura loci, qui civitati ſedem præbet, admittat, aliaque reſpiciendum eſt pru-

a) *l. c.*

Digitized by Google

prudenti legiſlatori; (hos enim reſpectus legiſlatio Moſaica involvit) quo, ſi ex Ebræorum legiſlatione aliquid, ad ſuum ſcopum conducens, diſcere vult, prudenti inſtituta comparatione inter gentem hanc, & civitatem illam, cui leges ſunt præſcribendæ, quid pro loci, temporis, perſonarum, illarumque morum & affectuum ratione, in ſua civitate fieri conveniens ſit, cognoſcat, poſtquam prius cognoverit, quid DEUS in ſua Theocratia, quam juſtiſſime, ſanctiſſime, ad omnem etiam felicitatem temporalem formavit, pro harum circumſtantiarum ratione, ubique congruum judicaverit. Victuri erant Ebræi inter Cananæos, Zabæos, & Ægyptios, aliasque gentes vicinas Idololatricas. Phœnices, & Ægyptios, ἥλιον ϗ σελήνην, ϗ ἀστέρας θεοὺς, *ſolem, Lunam, ac ſtellas Deos* appellaſſe, autor eſt *Euſebius*.b) *Noſti*, de *Zabæis* verba faciens, inquit *Maimonides*, c) *quomodo omnes prope in univerſum homines, non niſi paucis exceptis, idololatriæ addicti fuerint, ita ut ſtellis, & imaginibus, quas illis fecerant, omnem virtutem divinam, & ſpiritualem adſcriberent.* Singulari proin zelo in idololatriam hanc vicinorum invectus DEUS, gentem ſuam, ad impietatem hanc ſingulari impetu proclivem, ſeveris legibus d) ab ea revocare inſtituit. Et cum pro ſua omniſcientia prævidiſſet ſupremum Numen fore, ut, ſi Cananæas gentes, quarum erant occupaturi terras, vivere ſi-

b) *Præp. Ev. l. ſ. 6. f. 17.*

c) *Mor. Nevoch P. III. c. 63.*

d) *Deut. 13. 6. c. 17. 2.*

viſſent Iſraëlitæ, & cum illis affinitates contra-
xiſſent, ab illis ad omne genus idololatricæ
impietatis ſeducerentur, atque illorum ſcele-
ra imitarentur, filiosque ſuos Molocho offer-
rent; non ſolum omnes affinitates inter vi-
e) *Exod.* 24. 15. 16. ctores & victos ceſſare voluit, e) & gentes
iſtas internecione deleri præcepit, f) graviſſi-
f) *Exod.* 23. 32. me interdicens, ne de ſemine ſuo Molocho
g) *Levit.* 20. 2. *ſqq.* darent, g) aut interficerent liberos ſuos in
Deorum honorem, quod Cananæos feciſſe,
h) *de abſtin. l.* 2. §. 56. *p. m.* 94. ex *Sanchuniathone* docet *Porphyrius.* h) Ita
cum populus duræ cervicis, contumacis, præ-
fracti, & irreconciliabilis ingenij, malitiæ
item incorrigibilis, fuerint Ebræi, ad omnis
generis libidines proclives, non ſolum acrio-
res pœnas conſtituit iſtis criminibus ſanctiſ-
ſimus legiſlator, ad quæ cum exempli vicini-
tas, tum naturæ vitioſa inclinatio, illos abri-
pere poterat; ſed etiam quæ indifferentia vi-
deri poterant, v. c. *caput in rotundum tonde-
re*, quod *Arabes*, h. e. *Sabæos* etiam feciſſe, *He-*
i) *l.* 3. *c.* 8. *rodotus* i) teſtatur, interdixit, quo occaſionem
etiam mali commercij illis præcideret, vel ne
ſpeciem externam gentilium morum præ ſe
ferrent; in nonnullis etiam facti impunita-
tem in foro externo, majoris mali vitandi
gratia, permittens. Similiter cum natura lo-
ci ita ferente, quod regionem optimam, at-
que ſoli feliciſſimi, frugumque feraciſſimi
inhabitarent, Iſraëlitæ in cultura agrorum, &
pecudum paſtione occupati eſſe debebant,
hinc

Digitized by Google

hinc quo cum privatæ occurreretur avaritiæ, tum ne negligenter hic opus facerent ſuum, tot *leges agrariæ*, & ad *rem ruſticam* pertinentes, inter leges hujus civitatis forenſes leguntur; explicante hoc eximie etiam *Fleuryo*, k) & *Cunæo*. l) Ad hoc exemplum, dictante prudentia legiſlatoria, leges formabit ſuæ civitati pro ratione circumſtantiarum pari modo congruas, Legiſlator civilis, de ſimilibus ſimile ferendo judicium; conſiderando item ſcopum legis, quave ratione, quibuſque mediis apud Ebræos is obtentus fuerit, & apud nos obtineri poſſit, iiſdemne, an diverſis; circumſtantias inſuper civitatis gentis Iſraëlitarum cum circumſtantiis ſuæ gentis, ratione Perſonæ, loci, temporis, & finis Reipublicæ, tam communis, quam particularis, religionis etiam, conferendo; item quid citati congruum, ex intuitu Theocratiæ optime conſtitutæ, colligendo, & prudenter, ubi licuerit, ſuæ, quam it formatum, civitati applicando. *Quæ enim unius populi ingenio ſunt accommodatæ LL. temere omnibus populis accommodantur*, ut bene monet *Feldenus*. m)

k) *Mœurs des Iſrael. c. 6.*

l) *de Rep. Ebr. l. c. 2. & 3.*

m) *Not. in Grot. de I. B. P. p. 107.*

§. 10. Licet vero præter Leges Moſaicas, etiam alias novas imperantibus ferre liceat, addimus tamen II. *leges Ebræorum Forenſes, ſupplicia capitalia ſceleratis conſtituentes, quemlibet Legiſlatorem docere*, hujus generis pœnas in ſe non ſolum non injuſtas eſſe; ſed etiam pro delicti indole, exempli item, & Reipu-

blicæ neceſſitate, licere in omni civitate hujuſmodi leges pœnales ferre. Quod enim à ſanctiſſimo & juſtiſſimo legiſlatore non nude tantum permittitur, ſed per modum ſententiæ latæ lege pœnali imperatur, id in ſe injuſtum eſſe non poteſt. *Qui percuſſerit virum, ut moriatur, moriendo morietur:* Ita ut *ſi propoſitum habuerit adverſus ſocium ſuum, occidendi hunc cum dolo, ab altari meo abſtrahas eum, ut moriatur*; juſtiſſimus præcipit Legiſlator. a) Hujus generis pœna, etiam aliis ſceleratis conſtituta, legitur in Lege Moſaica. b) Modum ergo exceſſit *Lactantius*, c) *non*, inquiens, *cum occidere DEUS vetat, latrocinari nos tantum prohibet, quod ne per leges quidem publicas licet: ſed ea quoq; ne fiant monet, quæ apud homines pro licitu habentur.* Rurſus: *Neq; vero licebit accuſare quemquam crimine capitali, quia nihil diſtat, utrum ferro, an verbo potius occidas, quoniam occiſio ipſa prohibetur. Ita in hoc præcepto nullam prorſus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem ſit ſemper nefas.* Atqui DEUS ipſe excepit, jam ante Legem Moſaicam, d) & in Lege Forenſi, expreſſa ſanctione mortis pœnam certo delinquentium generi conſtituens; gratis excipientibus Fanaticis, cum Spiritu *Sociniano*, *legem iſtam Moſaicam Forenſem in N. Teſt. eſſe abrogatam*; cum non obligationem legalem ad ſupplicia hæc inferenda, ſed ſuppliciorum juſti-

tiam

a) *Exod.* 21. 12. 14. *ſqq.*
b) *Levit.* 20. 9. 10. *ſqq.* *Deut.* 13. 18.
c) *l.* 6. *c.* 20.
d) *Gen.* 9. 6.

Digitized by Google

ſtitiam, & æquitatem, ex jure iſto hodie peti tantum poſſe aſſerimus.

§. 11. Inferimus hinc III. quod ſicut *juſtitia pœnarum capitalium* ex legibus Moſaicis pœnalibus manifeſta redditur, ita ex iiſdem etiam cognoſcere poſſit Magiſtratus, *quibus delictis,* cæteris paribus, *extremum ſupplicium conſtituere liceat*; libere ſcil. & bona conſcientia, ob ſanctitatem, juſtitiam, æquitatem, & ſapientiam LL. harum autoris, non ex illarum obligatione legali. Certe quod delictum juſtiſſimus, & ſapientiſſimus Legiſlator gladio voluit puniri, atque ſerio puniri præcepit in ſua civitate, illud quilibet prudens legiſlator colligere poteſt, eſſe delictum, uti divino judicio, ita ex natura rei etiam, & in ſe morte dignum; etſi, cum libere hoc pœnæ genus ſancire queat, ob alias rationes illud non conſtituerit. Quanquam enim non negaverim, etiam ex *cauſa ceremoniali* pœnam capitalem certo delicto conſtituiſſe DEUM, jure Forenſi Moſaico; uti mea ſententia non aberraverit, ſi quis dixerit, voluiſſe ſimul DEUM, ob honorem & familiam Meſſiæ, quo variis cum familiarum in tribubus ipſis, Judæ inprimis, tum ipſarum tribuum commixtionibus, & confuſionibus illicitis, obicem poneret, adulterio pœnam capitalem dictare; certum tamen ſimul eſt, criminis hujus reis, etiam ex cauſa Politica, atque Morali, multiplici ſc. & atroci fœditate morali, quæ in illo

a) *de Prin. I. N. c. 12. §. 2.* datur, *Guiliel. Grot.* a) etiam notata, hanc pœnam poſſe inferri. DEI ſane, pœnam capitis dictantis, judicium; cujus Leges non ſunt Draconis ſimiles, & ſanguinariæ, de quibus apud *Plutarchum* b) Demades quidam dixit, εὐδοκίμησεν, ὅτι δι' αἵματος, οὐ διὰ μέλανος τοὺς νόμους ἔγραψεν, *quod ſanguine, non atramento leges ſcripſerit*; de hoc, quod ſcil. delictum, & ſub quibus circumſtantiis, ex qua etiam qualitate, ſanguine lui debeat, dubios nos non relinquit; gentium etiam & populorum conſenſu atteſtante, legi naturæ conſentaneum eſſe, ut delicta graviora extremo ſupplicio ab imperantibus puniantur. c) Deduceremus id quoad ſcelera, in quæ capitali pœna DEUS animadverti voluit, ſi prolixis nobis eſſe liceret. Non male B. *Zieglerus*, d) *ſed & ad id,* inquiens, *conducunt LL. Moſaicæ pœnales, ut quia determinatio pœnarum ab ipſo DEO facta eſt, clarum inde fiat legiſlatori, quales à ſe bona conſcientia condi poßint leges, & decerni pœnæ, ut adeo LL. divinæ poſitivæ veluti exemplar ſint, ſecundum quod conſtitui poßint à quovis legiſlatore in ſua Republica aliæ.* Hoc ſenſu admittimus *Grotij* e) diſciplinam, cum *licere*, ait, *nunc his, qui imperium inter Chriſtianos obtinent, leges ferre ejus ſenſus, cujus ſunt leges per Moſen datæ,* ſub duabus prioribus ejus limitationibus recte acceptis: Tertia enim Socinizat.

b) *c. I. opp. Sol. f. 87. E.*

c) *Rom. 1. 32.*

d) *Not. in Grot. de I. B. II. 1. §. 14. p. 209.*

e) *I. B. P. I. 1. 17.*

§. 12. Interim tamen IV. non ſequitur, quod *Grotius* intulit, *fas ſc. non eſſe, quenquam ad mortem damnare, niſi ob delicta, quæ lex per Moſen data morte punivit, aut quæ his ſunt paria recta æſtimatione.* Nulla enim eſt conſequentia: Licet capitis pœna in illos animadvertere, quibus iſtud pœnæ genus in ſua civitate DEUS conſtituit. E. quibus delictis iſta pœna non eſt à DEO, lege per Moſen data, definita, ob illa delicta etiam non licet quenquam ad mortem damnare. Lex enim Forenſis Ebræorum Reipublicæ, pro circumſtantiarum, huic civitati propriarum, ratione præſcripta, non eſt adæquata norma cognoſcendi, quid in aliis civitatibus, in quibus plane diverſæ occurrunt circumſtantiæ loci, temporis, perſonæ, religionis, ſtudij, & finis Reipublicæ &c. pœnarum ordinatione fieri debeat; Tantum abeſt, ut LL. iſtæ Forenſes noſtras civitates hoc nomine obligare poſſint. Affirmative potius ab exemplo LL. Forenſium, quam negative cum *Grotio*, concludere liceat. *Licet*, inquit *Hugo de Roy*, a) *judiciale voluntati divinæ, & rectæ rationi conſentaneum fuerit, temporu, perſonarum, locorum, aliarumq; rerum, ac circumſtantiarum reſpectu: non tamen perpetuo, immutabiliter, ac per ſe neceſſario bonum, & æquum eſſe, ex ulla ratione, aut divina voluntate, (præſumta expreſſave) colligi poteſt.* Non enim pro omni loco, tempore, & ſtatu cujuſcunque civitatis

a) *de eo quod juſt. l. 2. tit. 3. §. 10.*

lata

lata eſt lex Forenſis. Unde nec doctiſſimo inter ſuos *Riveto* b) ſubſcribere poſſumus, cum, *qui jure*, inquit, *Moſaico communi, civiliter reus fuit mortis, idem hodie adhuc reus mortis haberi poteſt: ſed ſi quis eodem jure & modo reus mortis non fuit, neq; hoc tempore reus mortis habendus eſt*; cum quod pro certo loco, tempore, & ſtatu ſancitum fuit à DEO, præter ejus expreſſam voluntatem, ceu obligans, ad aliam civitatem, ubi ratio temporis, feritas gentis, & aliæ circumſtantiæ, pœnas augeri exegerint, extendi non debet. Melior ex Theologis eſt diſciplina B. D. *Brentij* c) noſtri, *legem Moſis ad Politiam Romanam non pertinere*, contra contendentis, eximie etiam docente B. *Dannhavvero* d) diverſitatem furti, in Ebræorum Republica olim commiſſi, à furto, quod in noſtris civitatibus committitur, propter quam illud etiam gravius apud nos puniri, boni publici, & quietæ rerum poſſeſſionis intereſſe poſſit.

b) *Explic. Decal. p. m.* 276.

c) *Com. in Exod. 22. f.* 494.

d) *Coll. Decal. p.* 725. *ſq.*

§. 13. Denique V. quod *æſtimationem paritatis delictorum*, cum illis, quæ lege Moſaica pro capitalibus habentur, attinet, de qua etiam alibi *Grotius*, a) ſic loquitur: *Adde quod capitalia ſupplicia nec in homicidas tantum, ſed & in alios facinoroſos uſurpata apparet, non modo apud populos extraneos, ſed apud ipſos piæ doctrinæ alumnos. Geneſ.* 38. 24. *Nimirum* NB. *conjectura divinæ voluntatis, ipſa naturali ratione adjuvante, à ſimilibus ad ſimilia proceſſerat,*

a) *l. 1. I. P. B. c. 2. §. 5.*

rat, ut quod in homicidam constitutum erat, in alios quoq; eximie nocentes non iniquum videretur. Sunt enim quædam quæ vitæ æquiparantur, ut exiſtimatio, pudor virginalis, fides matrimonij, aut ſine quibus vita tuta eſſe non poteſt, ut imperij ſocietatem continentis reverentia: adverſum quæ qui faciunt, ij homicidis meliores non videntur: Quod, inquam, hanc æſtimationem delictorum, & circa eadem divinæ voluntatis conjecturam attinet, illa in illis, quæ à mera DEI voluntate, libere pœnas conſtituentis, dependent, locum non habet, nec licet tali proceſſu ratiocinativo uti, ut de divina mente ſic conjicias. Nam in ejuſmodi caſu rectius dicitur, *quis*, quoad talia, b) *mentem Domini cognovit, aut quis fuit illi à conſiliis?* Ejuſmodi proceſſus ratiocinativus ἐθελοθρησκείαν parit, peperitque, in rebus ad divinum cultum pertinentibus. Stricte proin in rebus, quæ à voluntate legiſlatoris unice dependent, eidem, ſi de noſtri obligatione quæritur, inhærendum, & ad eam unice reſpiciendum; uti & doctiſſimi operis *Grotiani* cenſores, *Oſiander*, c) & *Zieglerus*, d) monuerunt. Qui etiam diſparitatem illorum, quæ paria eſſe *Grotius* judicavit, oſtendunt. Rectius *Baſilius*, e) cui DEI *juſtitia omnem excedere intellectum* dicitur, *cum ſit omni creatæ naturæ incomprehenſibilis, & inenarrabilis.* Nec male autoris, qui ſub *Dionyſij Areopagitæ* f) nomine celebratur, verba huc accommodan-

b) *Rom.* 11. 34.

c) *Annot. in Grot. l. B.* 1. 2 *p.* 363.

d) *Not. in Grot. l. c. p.* 78 *ſqq.*

e) *t. l. hom. in Pſ. VII. ſ.* 143.

f) *c.* 7. *div. nom.* §. 2.

dantur, cum *non*, inquit, *ex rebus ipſis res diſcens novit eas divina natura*, ἀλλ' ἐξ αὐτῆς, καὶ ἐν αὐτῇ κατ' αἰτίαν, *ſed ex ſeipſa, & in ſeipſa. ſecundum cauſam, omnium ſcientiam habet &c. non ſingulis ſecundum cujusq; ſpeciem intendens; ſed ſecundum unicam cauſæ complexionem cuncta ſciens, & continens.*

SUBSECTIO III.

De

JURE DIVINO NOVO,

SEU

de

LEGE EVANGELICA.

§. I.

Legi Evangelicæ cum paſſim à *Grotio*, tum etiam ab aliis, multum in doctrina de juſtitia & jure tribuatur, quid de hac habendum, pro inſtituti ratione paucis diſquiremus. Dicitur etiam *jus Evangelicum*: a) *Ius novi fœderis*, quod Legi Hebrææ, & Veteri, ceu *minus perfecta*, etiam opponunt. b) *Novum fœdus, in quo Chriſtus*, ceu novus legislator, *præcipit*, c) *cujus optimus interpres Apoſtolus Paulus*, & *veterum Chriſtianorum conſuetudo*. d) Quod, *ut in aliis rebus lex eſt lege Moſis perfectior, ita quoq; plus à nobis exigere* dicitur. Eidem *Grotio* audit *jus divinum novum*,

a) *Grot. l. B. P. l. 2. 6. c. 3. 3.*

b) *Grot. l. c. l. 1. 17.*

c) *Grot. l. c. l. 4. 4.*

d) *Grot. l. c. l. 4. 5.*

Digitized by Google

vum. c) At *Remonſtrantibus*, ſeu *Arminianis* dicitur, f) *lex fidei*, ex Rom. 3. v. 17. perverſe explicato, qui non de lege *ſtricte* tali agit, quæ ex virtute legiſlatoria præcepta vere legalia continet, ſed ſenſu *generaliori*, quo doctrina divinitus patefacta notatur, & quidem h. l. doctrina Evangelij, quæ fidem in Chriſtum docet, & per quem datur fides, de quo *Gerhardus*, g) & *Wellerus*. h) Eximie etiam *Theophylactus*, i) cum dixiſſet, *Legem fidei per gratiam, non ex operibus largiri juſtitiam*, addit: *Vides ut fidem legem idcirco appellet* Apoſtolus, *quia legis hoc nomen apud Iudæos venerationi habetur.*

c) *l. c. II.* 15. 9.
f) *Apolog. f.* 113.
g) *de Iuſtif. §.* 152.
h) *Comm. in Ep. ad Rom. l. c.*
i) *Enarrat. h. l.*

§. 2. Pro ſpecie *juris divini voluntarij Vniverſalis* N. T. Legem ſuam Evangelicam ejus aſſertores habent. *Iuris Mundi* tres fingebat *Grotius* a) ſpecies *Humano generi*, ait, *ter jus datum à* DEO *reperimus*: *ſtatim poſt hominem conditum*; *iterum in reſtauratione humani generis poſt diluvium*; *poſtremo in ſublimiori reſtauratione per Chriſtum. Tria hæc*, addit, *jura haud dubie omnes homines obligant, ex quo, quantum ſatis eſt, ad eorum notitiam pervenerunt.* Verum quod *tres* has *ſpecies juris divini poſitivi Vniverſalis* attinet, per illas diviſio juris divini in Morale, Ceremoniale, & Forenſe non tollitur, licet in ſequentibus temporibus populo Ebræo pluribus legibus per Moſen fuerit propoſitum. Nam quantum ad jus *univerſale antediluvianum*; verum quidem eſt, quod ante lapſum

a) *de I. B. P. l.* 1. 15.

lapſum DEUS legem tulerit, *de non comeden-*
b) *Gen.*2.17. *c.* 3. 3. *do fructu ex arbore ſcientiæ boni & mali*: b)
c) *adverſ. Iud. f. m.* 120. Verum dudum jam *Tertullianus* c) docuit, quomodo lex hæc univerſum Decalogum in ſe continuerit. *In lege Adæ data,* inquit, *omnia præcepta condita recognoſcimus, quæ poſtea pullulaverunt data per Moſen, id eſt, diliges Dominum DEUM tuum de toto corde tuo, & ex tota anima Tua: &, diliges proximum tibi tanquam Te. &, Non occides, non mœchaberis, non fraudaveris, falſum teſtimonium non dices. Honora Patrem Tuum, & Matrem, & alienum non concupiſces. Primordialis lex eſt enim data Adæ & Evæ in Paradiſo, quaſi matrix omnium Præceptorum DEI. Deniq; ſi Dominum DEUM ſuum dilexiſſent, contra præceptum ejus non feciſſent: ſi proximum diligerent, id eſt ſemetipſos, perſuaſioni ſerpentis non credidiſſent, atq; ita in ſemetipſos homicidium non commiſiſſent, excidendo de immortalitate, faciendo contra DEI præceptum. A furto quoq; abſtinuiſſent, & de fructu arboris clam non deguſtaſſent &c. Nec falſum aſſeveranti Diabolo participes efficerentur, credendo ei, quod ſimiles DEO eſſent futuri, &c. Si alienum non concupiſcerent, de fructu illicito non guſtaſſent.* Manet itaque, jus iſtud DEI univerſale Paradiſiacum partim fuiſſe *naturale*, complexum utramque Tabulam Decalogi; partim etiam *Poſitivum*, reſpectu poſitivi circumſtantialis, fructum arboris concernentis. Univerſalis quidem hæc

lex

Digitized by Google

lex dici poteſt, fuitque, quia in Adamo genus humanum à DEO obligatum fuit ad abſtinendum à fructu lege vetito, ſed & univerſalis fuit, quatenus ex divina inſtitutione arbor hæc ordinata erat, ut circa eandem Decalogicam ſuam obedientiam, quæ univerſalis eſt, quotidie etiam DEO homo præſtaret. Cui non repugnat, quod B. D. *Sebaſt. Schmidius* d) cenſuit: *DEVM in hac arbore monumentum conſtituiſſe cognitionis perfectiſſimæ in futura æternitatis gloria, ſi legi homo ſatisfaceret: ideoq; in cibum hujus vitæ non dediſſe.* Poſſit enim dici, quod hoc nomine in lege hac, fructum hujus arboris interdicente, omnia etiam legis præcepta contenta virtualiter fuerint. Licet nec ex Theologis deſint, e) qui *de hoc diſputari poſſe* ajunt, an *lex de non comedendo fructu vetitæ arboris*, omnes & ſingulos homines obliget, & quomodo? Id magis miror, quo pacto illi legem hanc poſitivam pro ſpecie juris univerſalis, quod ex ratione omnibus hominibus communi à DEO conſtitutum fuerit, habere non dubitent, quibus laſciva iſta, & omni concreata ſanctitate, affectuumque puritate hominem, ad imaginem DEI creatum, privans ſententia placet, qua *Empecta* quidam, ſub nomine *Themidos Alumni* cujuſdam, in tract. de *peccato originali*, impuro ſuo & libidinoſo genio indulgens, Protoplaſtos primo omnium prohibitarum voluptatum fruitione peccaſſe, portentoſe, & impudentiſſime ſcripſit, cum

d) *Annot.* in Gen. 2. 16.

e) *Oſiand.* in *Grot.* I. *B. P. l.* I. p. 242.

jam ante fœdere & jure connubiali eſſent conjuncti. f) Poſt benedictionem enim matrimonialem hanc legem demum à DEO promulgatam eſſe, recte *Eduard. Samſon.* g) *Vſſerius,* h) & *Sebaſt. Schmid.* i) docuerunt.

§. 3. Complexum fuit præterea jus *hoc univerſale Paradiſiacum* etiam præceptum *de ſanctificando Sabbatho*, ſeptimo quovis à mundo condito die: a) Quod omitti non debet. Nam & hoc ratione diei hujus, ejusque determinationis, poſitivum fuit. Falluntur enim qui cum *Gomaro*, quem hoc nomine cum aliis ſolide refutavit *Rivetus*, b) in deſerto Sabbathi obſervationem incepiſſe crediderunt, uti ex noſtratibus etiam B. *Dorſchæus* c) contra *Gomarum*, & alios notavit. Lex de ſubjectione uxoris, quæ ſic habet: d) *Sub viro Tuo erit deſiderium tuum, hicq; dominabitur tibi:* conſtitutio *pœnalis* quidem eſt; quemadmodum & viro *labores, & opera vocationis* præcipiuntur, cum dictum fuit, *in ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* e) Pertinent vero hæ LL. ad conſtitutionem ſtatus Oeconomici hodierni, prout ille poſt lapſum ſe habere debet, & ad explicationem præceptorum Decalogi quarti, & ſeptimi; non abſque æquitate, & obſervatione ejus, quod unicuique perſonæ conſociationis conjugalis, pro ratione ſexus, & commiſſi delicti, gratioſe licet remiſſi, naturaliter congruum, & conveniens eſt. Quanquam vero, *ex lege generali humani ge-*

neris

f) *Gen.* 1. 28.
g) ... *hron. Cath. P. I. p.* 1.
h) *Annal. V T. n.* 2.
i) *Not. in Gen.* 2. 16.
a) *Gen.* 2. 2. 3.
b) *Explicat. Decal. p. m.* 118. *ſqq.*
c) *Theol. Moral. ſ.* 193.
d) *Gen.* 3. 16.
e) *Gen.* 3. 19.

Digitized by Google

neris, mulier marito paritionem debeat, de qua etiam *Grotius* f) pœnam hanc explicat; attamen cum lex iſta generalis etiam in ſtatu innocentiæ locum habuiſſet, ita ratione boni ordinis in vita ſociali requirente, rectius lex hæc explicatur de oneroſa quadam, & pœnali mulieris ſubjectione, *quæ ex divina juſtitia ob prævaricationem ei fuit impoſita.* g) De cætero, quo pacto ad diluvium mundi uſque, ab initio ejuſdem, in Eccleſia Decalogus ſonuerit, eximie docuit B. *Chemnitius.* h)

§. 4. Quod vero *jus divinum univerſale poſitivum poſtdiluvianum* attinet, legem nimirum de *carne cum anima ipſius,* quæ eſt ſanguis ejus, *non comedenda*; a) & *de ſanguine ejus effundendo, qui ſanguinem humanum effuderit*: b) Illa *ceremonialis,* c) hæc vero *forenſis* eſt. Inſtauranda nimirum, & propaganda erat religio in genere humano per orbem, hominibus rurſus replendum. Hujus doctrinæ pars cum ſtatim poſt lapſum inſignis extiterit articulus *de Sacrificiis*, ſicut ex *Moſe* d) conſtat; antediluviana etiam iſta ſacrificia fuerint ejuſdem naturæ, & uſus, cum ſacrificiis Leviticis, eximie explicante B. *Franzio*; e) recte creditur, interdictum hoc, *de non comedendo ſanguine,* repetitum potius eſſe in Eccleſia Noachica, quam primo omnium ſancitum. Præfigurarunt enim ſacrificia antediluviana non minus paſſionem, & cruentam Meſſiæ mortem, uti Apocalypſis *Iohannis* f)

f) *Not. in Gen.* 3. 16.

g) *Calov. Iſag. p.* 49. *ſq. Bibl. illuſtr. in Gen.* 3. 16.

h) *t.* 2. *Loc. de L. g. c.* 6. *ſ.* 110. *ſq.*

a) *Gen.* 9. 4.

b) *Gen.* 9. 6.

c) *Sebaſt. Schmid. Not in Gen.* 9. 4.

d) *Gen.* 4. 4.

e) *Schol. Sacrif. diſp.* 2. *§.* 0. *ſqq. p.* 30.

f) *c.* 13. 8.

docet, quam ſacrificia poſtdiluviana, & Moſaica. Ergo ſicut in cultu Iſraëlitarum ſanguis typicam habuit rationem, melius *Apoſtolo* ex-
g) *Ebr.* 9. 13. 14. plicatam, g) quam *Maimonidi*, h) exiſtimanti, ob *Zabios, ob communionem cum dæmonibus*
h) *More Nevoch.* 3. 4. *ſanguinem comedentes*, ſanguinis eſum eſſe interdictum; & proin etiam prohibitus iſtiuſ-
i) *Lev.* 3. 17. *c.* 7. 26. modi eſus fuit à DEO per Moſen, i) ut ſc. in honorem ſanguinis Meſſiæ, omnis ſanguinis eſus intermitteretur, donec ille ſuum ſanguinē eſſet effuſurus, eundemq; nobis ad bibendum præbiturus: In Eccleſia etiam Noachica interdictus eſus carnis, ſanguine adhuc rubentis, fuit, *ob reverentiam ſanguinis filij DEI, aliquando pro peccatis mundi effundendi*, ut explicat B.
k) *Noach. p.* 270. *Lyſerus*, k) annuentibus B. *Calovio*, l) & D.
l) *Comm in Gen.* 9. 4. *p.* 719. *Seb. Schmidio*; m) ex Reformatis autem *Heideggero*: n) Ita cum in Eccleſia antediluviana eadem fuerit ratio ſacrificiorum, omni dubio
m) *Annot. in Gen. l. c.* merito carere debet, etiam jam dum eſum
n) *de ſang. & ſuffoc. c.* 4. §. 13. *p.* 55. ſanguinis fuiſſe interdictum ob eandem rationem, quà DEO Noachidis, & ab eodem per Moſen Iſraëlitis, ſanguinem comedere prohibitum fuit, non ignorantibus piis antediluvianis, ſanguinem ſacrificiorum eſſe typicum. Nam & alia jam tum ceremonialia obtinuerant, diſcrimen v. c. *animalium mundo-*
o) *Gen.* 7. 2. *rum, & immundorum.* o) Abſque ratione
p) *Annal. p.* 2. enim videtur hic dubitare *Glycas*, p) num *profectum hoc* (diſcrimen) *fuerit à naturali quadam cognitione, quam habebat* Noah, *an à ſa-*

pien-

Digitized by Google

pientia divinitus ei conceſſa: Cum non niſi DEI ſit, definire iſtud diſcrimen, quænam animalia munda eſſe debeant, non tam rationi cibi & victus, quam ratione ſacrificij. Cl. *Heideggero* q) quidem videtur, *retro diluvium non fuiſſe hanc legem obſervatam, cum ſanctitatis & religioſi cultus opinione.* Verum probabilius aſſeritur, quod, cum in orbe antediluviano eſus carnium fuerit uſitatus, maxime poſt peracta ſacrificia, quorum carnem reſiduam offerentes manducarant, quod poſt B. *Franzium*, r) B. D. *Bebelius* s) etiam cum aliis recte aſſerit, & probat, minime dubium ſit, quin pij iſtorum temporum ex mandato, non ex ἐθελοθρησκείᾳ, abſtinuerint ab eſu ſanguinis. Mundo vero per diluvium purgato, renovandum id DEUS in Eccleſia cenſuit, vel quod antediluviani cruentis cibis, & ex ſanguine confectis, delectati fuerint; vel quo apud poſtdiluvianos eo ſanctior hujus præcepti memoria in Eccleſia vigeret. Non ergo univerſalis ſimpliciter, ſed Eccleſiaſtica tantum hæc fuit lex. *Curcellæo* & *Becmanno*, qui pro lege univerſali morali eandem habent, reſpondit *Heideggerus*. t)

q) *l. c. c. 4. §. 13.*

r) *Schol. Sacrif. diſp. 2. §. 72 ſq.*

s) *Eccleſ. Antediluv. p. 42.*

t) *l. c. cap. 4. ſq.*

§. 5. Alteram legem, de *effundendo ſanguine ejus, qui ſanguinem humanum effuderit*, quod attinet, Forenſis illa ex ſe eſt, & ad jus Forenſe pertinet. *Sulpitius Severus* a) equidem ſcribit, *Noë præceptum accepiſſe, ne ſanguine veſceretur, aut ſanguinem hominum effun-*

a) *l. 1 hiſt. c. 4.*

funderet, quia mundi primordia mandati iſtius liber Cain *maculaverat.* Quæ & aliorum eſt ſententia. Ex his fallitur *Hugo Grotius*: b) Primo aſſerens, quod *non ante diluvium, ſed inſtaurato poſt diluvium humano genere, ne, quæ gigantum ætate promiſcua invaluerat cædium licentia, rurſus invaleſceret*, ſupplicia capitalia conſtituta fuerint. Deinde, quod divinam legem hanc explicat de *jure talionis naturali*, vigore cujus *licuerit viciſſim homicidam occidere, quod poſtea ad judices ſolos reſtrictum fuit.* Sed unde probabit *Grotius*, Reſpublicas antediluvianas, minus bene hactenus ordinatas, caruiſſe judiciis? cum Magiſtratus, ex quo civitates fuerunt, etiam *fuerit* DEI *miniſter, ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit.* c) Eximie *Cicero* d) ex dictamine luminis naturalis, & melius *Grotio*, *nihil*, inquit, *tam aptum eſt, ad jus conditionemq; naturæ, quam imperium*, quod cogendi jure, & puniendi, naturaliter gaudet, *ſine quo, nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum univerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe mundus poteſt.* Reges ſane antediluvianos fuiſſe, certum eſt ex *Geneſi Moſaica*, e) explicatque *Auguſtinus Torniellus*. f) Rectius hinc ſtatuitur, aliter licet aliis videatur, repetitam etiam ex orbe antediluviano eſſe hanc legem, *de ſuppliciis capitalibus* inferendis injuſte peractæ cædis humanæ reis, adeoque jam valuiſſe ante diluvium, annuente B. D. *Sebaſt. Schmidio.* g)

b) *l. 1. de I. B. P. c. 2. §. 5. & in Not. ad Gen. 9. 6.*
c) *Rom. 13.*
d) *de Legg. l. 3. p. 85.*
e) *c. 4. 17. 18.*
f) *Annal. t. I. f. m. 63.*
g) *Not. in Gen. 9. 6.*

Cum

Digitized by Google

Cum itaque gigantum ferociâ, & tyrannide, ut aliorum ſcelerum, φαρμακείας, μαγείας, ἀσελγείας, μοιχείας, καὶ ἀδικίας, uti loquitur ex majorum traditione *Epiphanius*, h) ita & homicidiorum licentia invaluerit, placuit DEO poſt diluvium, in orbe antediluviano neglectam legem, de *non effundendo ſanguine humano*, cum pœnæ repetitione denuo promulgare, revocato hoc jure Magiſtratus, quod denuo ei conceſſit, quo ferociæ ſceleratorum eſſet terrori. Denique non exiſtimaverim, divinam ordinationem, de pœna mortis inferenda homicidæ, qui ex dolo, & deliberato, ſanguinem humanum effuderit, eſſe mere voluntarij, & poſitivi divini juris; quod pœnæ genus recte cenſetur DEUS, vigore ſuæ juſtitiæ, atroci huic facto deſignare, quicquid ſit de ſpecie, & genere mortis, quod mere voluntarium eſt. Sane hæc divinæ juſtitiæ ordinatio, ſic in intellectum humano, lumine juris naturalis illuſtrato, reſplendet, ut in illa im̃utabilis æquitas, & juſtitia animadvertatur. Nec abs re obſervat *Torniellus*, i) *ſententiam hanc divinam, tantam vim in omnium animis habuiſſe, ut mirum non ſit, ſi videmus homicidas univerſaliter apud omnes pene nationes, non divino ſolum, ſed etiam humano jure, ad mortem inquiri, & damnari.* Certe in quod univerſum genus humanum conſentit, in id ex aliquo juris naturalis dictamine illud conſentire, atq; id probare, recte creditur. Δίκαιον

h) *t. l. opp. adverſ. hær. l. 1. ſ. 4.*

i) *l. c. ſ. 112.*

φυσικὸν, ait *Ariſtot.* k) τὸ πανταχοῦ τὴν αὐτὴν ἔχον δύναμιν, *naturale jus eſt quod ubiq; eandem vim habet.* Annuit *Grotius*, l) & ex Theologis B. *Gerhardus.* m)

§. 6. Cæterum ut ad jus novi fœderis, quod *Legem Evangelicam* appellant, & à *Grotio* a) *ſermo per crucem ſancitus* incongrue dicitur, quamq; pro tertia ſpecie *juris Mundi*, humano generi præſcripri habent, redeamus, illud *in ſublimiori per Chriſtum reſtauratione* promulgatum *Grotius* b) fingit. Romano Catholici Chriſtum legis hujus N. T. autorem, nova partim præcepta inſtituiſſe, reliqua auxiſſe & explicaſſe ajunt, ita ut *legem novam, quæ à Chriſto inſtituta eſt, triplicia continere præcepta* ſcripſerit *Becanus*, c) *moralia*, explicando, & perficiendo eadem; *fidei*, aliquo modo illa augendo; & *ſacramentalia*, vere & proprie talia inſtituendo; de *diſpoſitione* licet *ad ſacramenta conficienda, & ſuſcipienda, lex nova nulla habere præcepta divina* dicatur *Reginaldo*, d) ubi *determinationem talium Eccleſiæ à Chriſto relictam eſſe* fingit; quod in gratiam *Communionis ſub una* in S. C. ab illo dici, manifeſtum eſt. Subjicit tamen, e) *præcepta moralia novæ legis eadem eſſe, quæ veteris: licet quia referuntur ad ordinationem ſtatus perfectioris, facta ſint auctiora; creveritq; lex divina, ut quoad credenda, ita etiam quoad agenda: quod ita major requirebat juſtitia, & finis majoris perfectionis.* Dicitur hinc à

Tho-

k) 5. *Eth.* 7. *al.* 10

l) *l. B. P. l.* 1. 12.

m) *de Mag. Polit.* §. 296. 301.

a) *Not. in Iudic.* 15. 3.

b) *l. c. l.* 1. 15. *ſq.*

c) *Theol. Schol. P. II. t. prior tr.* 3. *c.* 5 *q.* 1. *n.* 4

d) *Prax. For. Pæn. t. l.* 13. *c.* 15 *n.* 144. *f.* 424.

e) *l. c. n.* 145.

Digitized by Google

Thomæ f) *lex perfectionis*; quam & univerſalem, omnes gentes obligantem, & ad finem mundi uſque duraturam affirmant: *Sayro* g) hanc etiam rationem majoris perfectionis novæ legis, præ imperfectione legis veteris, urgente, quod *lex vetus ut plurimum actus externos ordinaverit, lege nova non ſolum externos, ſed internos etiam perfectiori modo ordinante.* Contendunt denique, h) *perfeciſſe Chriſtum legem moralem, etiam adjiciendo conſilia quædam ad perfectionem charitatis, quæ finis eſt omnium præceptorum, adipiſcendam aptiſſima.* Perfectior ergo, excellentior, quin & ſeverior nova lex hæc dicitur veteri, majorem Spiritus S. conferens gratiam, ut per opera juſti & ſalvi reddamur.

f) *I.2. q.107. a. I. Reſp.*

g) *Clav. ſacerd. l. 4. c. 1. n. 4.*

h) *Bellarm. de Iuſtif. l. 4. c. 3.*

§. 7. *Socinianorum* vero doctrina, licet & ipſa contendat, Chriſtum novas tuliſſe leges, novisque additamentis ex præceptis legem Moſaicam perfectiorem reddidiſſe, in enarrandis tamẽ, & explicandis illis additamentis, ſuas ſectatur hypotheſes, nec per omnia cum aliis ſtatuit. Merito de blaſphemia *Socini* a) queſtus eſt B. *Scherzerus*, b) quod ſcripſit, *præcepta veteris fœderis maxima ex parte ejusmodi eſſe, ut difficile ſit creditu, illa à DEO manare, & adeo vel levia, vel vana, vel ſuperſtitioſa, vel etiam ſtulta ac ridicula, & in ſumma parum DEO digna videri queant.* Fingentes autem, Legem Chriſti novi fœderis, præceptis ceremonialibus & judicialibus abrogatis, moralia

a) *Epiſt. II. ac Dudith.*

b) *Colleg. AntiSoc. diſp. 38. p. m. 315.*

ralia Moſaicæ legis perficere, ea partim perfectiora, & completiora reddendo, dum præſtantioribus præceptis illuſtrantur, partim alia peculiariter addendo; hæc quæ peculiariter ſic ipſe Chriſtus præſcripſiſſe dicitur, cum *Catechefi Racovienſi* c) *Moſcorovij* duplicia rurſus faciunt, quorum *quædam mores*; *quædam externos actus religioſos, ſeu ceremonias, h.e. S. Cœnam reſpiciunt.* Sceptici autem hic *Arminiani* ſunt, more ſuo, quod quæſtionem hanc concernit, an *Chriſtus legem Moſis novis adauxerit legibus?* obſervet licet D. *Calovius*, d) quod in illam inclinent ſententiam, quæ *Chriſtum nova quædam & perfectiora præcepta legis Moſaicæ præceptis addidiſſe*, ſtatuit.

c) *de Proph. l. C munere c. 2.*

d) *Armin. c. 12. §. 1. p. 311.*

§. 8. Trabalis error diſciplinæ *Grotianæ*, in egregio alias opere de *jure belli & pacis* contentus, eſt *jus* hoc *novi fœderis, ſeu Evangelij*, quo *ulterius nos obligari legibus Chriſti Grotius* a) contendit, *quam ad ea, ad quæ jus naturæ per ſe obligat.* Verum eſt, quod jus naturæ hodie imperfectum ſit, & proin ad officia hominis Chriſtiani explicanda inſufficiens, ita ut ad plura obligemur, quam imperfecto iſto jure cognoſcuntur; ſed hæc obligatio non eſt legum Chriſti, tanquam novi, & univerſalis, perfectique legiſlatoris, ſed legis moralis, ſeu juris naturalis primævi, ita ut quæ à Chriſto prohibita ſunt, in ipſo Decalogo, recte explicato, etiam prohiberi, & in V. T. prohibita fuiſſe cenſeri debeant. Recte pro-

a) *l. B. P. l. 2. 6.*

Digitized by Google

proin non dicitur à *Grotio, virtutes quæ à Chriſtianis exiguntur, etiam Ebræis, aut commendari, aut præcipi, ſed non præcipi in eo gradu, ac latitudine, quo Chriſtianis.* b) Nulla enim ratione probari poteſt, quod præcepta Decalogi moralia, quoad morale ſuum, in ſe non tam late patuerint, nec eam intenſionem habuerint in V. T. quam habent in N. T. Proin genuina tantum harum legum ex ſcripturis explicatione, non vero nova legiſlatione opus fuit. *Perfectior etiam illa norma, ad quam lex Chriſti, varias res inter Chriſtianos, v. c. conjugium redegit*, ut *Grotius* c) rurſus fingit, in ipſo continetur Decalogo, præcepto ſexto prohibente, ne quid contra pudorem naturalem, cui concubinatus, divortia temeraria, & polygamia contrariantur, explicante *Velthuyſio*, d) committatur. Inſtituatur modo Decalogi explicatio juxta regulas ſupra datas, & res erit manifeſta. Concedit etiam *Grotius*, e) *hæc eſſe talia, ut eis abſtinere honeſtius eſſe dictet ipſa ratio; at non talia, ut abſque lege divina nefas in illis appareat.* Ita in quæſtione de Polygamia, quando *ad primordia*, & ad legem matrimonialem primævam, illa *revocatur, ex prima illa conditione, qua uni mari fœminam non niſi unam DEVS attribuit, ſatis*, ait, *apparere, quid optimum ſit, Deoque gratiſſimum: & hinc ſequi ſemper, id fuiſſe egregium, ac laudabile, non tamen ut aliter facere nefas eſſet: quia ubi lex non eſt, ibi non eſt*

b) *l. c.*

c) *de I. B. P. II. 6. 7.*

d) *de pudor. natural.*

e) *l. c. 1. 2. 6.*

eſt legis tranſgreſſio: at lex de ea nulla illis temporibus extabat. Sed unde iſtud dictamen, honeſtius aliquid in genere morum ubique omitti dictans, quam à lege non ſcripta, interna, & naturali, quod conſequenter legale? Nec lex matrimonij primæva abrogata eſſe unquam cenſeri debet, quæ in orbe antediluviano, lapſo genere humano diu viguit, & ſatis fuit ad revocandum, cum obligatione legali, mortales à connubio cum pluribus fœminis, cui *unitas carnis*, quæ inter conjuges eſſe debet, & in qua etiam natura matrimonij, lege naturali immutabili utique munita, conſiſtit, plane repugnat. Rejicimus ergo illud jus novi fœderis, & *legem Evangelicam*, prout à diſſentientibus illud ſtatui videmus, cum Evangelium *ſtricte* acceptum, ſit tantum concio gratiæ; *latiori* autem ſenſu, quo cœleſtis doctrinæ ſyſtema notat, novas quoad ſubſtantiam leges ignoret, ita ut nihil novi in N. T. ſit præceptum, quod non in V. T. jam juris fuerit moralis, cujus leges recte ex ſcripturis explicatæ, quod à Chriſto etiam factum, f) idem urſerant. Non novas tulit Salvator leges, nec ejus Evangelium legem moralem ſupplevit, vel completiorem, aut perfectiorem reddidit, ſed quod in ambitu ejus continebatur, ſapientiſſima explicatione produxit atque eruit. Sane neque Sociniani, vel alij, hactenus aliquid adducere potuerunt, ceu additamentum ad legem pertinens, quod no-

f) *Matth.* 5.

Digitized by Google

noſtrates *Calovius*, g) *Stegmannus*, h) *Scherzerus*, i) non oſtenderint, qua ſcripturæ conſonum eſt, jam pertinuiſſe ad legem in V. T. & proin reapſe legi non eſſe à Chriſto additum, quæ jam in V. T. *perfectionis* k) elogio, cui nil *addi* l) poſſit, inclaruerat.

§. 9. Speciem alicujus novitatis quidem hæc præ ſe tulit. Quo nomine etiam ex priſcis Patribus *Ireneus* a) dixit, verba Chriſti Matth. 5. continere *plenitudinem & extenſionem* legis, & verba ejus eſſe *non ſolventis legem*, quod *Marcionitæ* factum *vociferabantur*, b) *ſed adimplentis, & extendentis, & dilatantis*, contra Scribarum & Phariſæorum, plus juſto legem contrahentium, perverſam explicationem; expreſſe docens, *abſtinere a concupiſcentiis vetitorum à lege*, pertinere ad *legis plenitudinem*. Non ergo ex mente *Irenæi* nova penitus, ſed renovata ſunt Chriſti præcepta, non abſolute & ſimpliciter, ſed contra Phariſæos, legem plus juſto contrahentes, & illorum reſtrictionem, legem extendentis & dilatantis. In ſuperioribus c) *in Phariſæorum legem*, ceu *contrariam legi, quæ data erat per Moyſen* invectus, quod *quædam auferrent, quædam, ut volebant, interpretarentur*, expreſſe ſcribit, *aliud majus hoc præcepto* de dilectione DEI, & proximi, Chriſtum *non detuliſſe, ſed hoc ipſum renovaviſſe diſcipulis ſuis, jubentem eis, DEUM diligere ex toto corde, & cæteros quemadmodum ſe*. Eodem modo, quando con-

g) *Socin. Profl. de Off. Chriſt. Proph.* pag. 289. ſqq. *Bibl. Illuſtr. ad Iud.* 15. f. 723.

h) *Photinian. diſſ.* 18. ſq.

i) *Colleg. AntiSoc Diſſ.* 39 ſqq. *de Leg.* pag. 268. ſqq.

k) *Pſal.* 19. 8.

l) *Deut.* 4. 2. c. 12. 32.

a) *l.* 4. *adv. hær. c.* 27.

b) *Iren. l. c.*

c) *l.* 4. *c.* 25.

contra hoſtes Legis Moſaicæ, Marcionitas, diſputans *Tertullianus*, d) ad quem *Grotius*, e) ad evincendam majorem à Chriſtianis, quam Hebræis debitam patientiam, provocat, *novam plane*, inquit, *patientiam docet Chriſtus, etiam vicem injuriæ cohibens permiſſam à creatore, oculum exigente pro oculo, dentem pro dente*: Verba hæc explicari poſſunt de novitate, reſpectu diſciplinæ Phariſaicæ; & majori perfectione, quæ Chriſto doctore nunc invaleſcere debet, quam hactenus factum fuerat, invaleſcente diſciplina Phariſæorum, qui doctrinam, de lege, *ſummâ* ejus, Decalogo ſcil. perverſe explicatâ, peſſime corruperant. Hi cum à lege multa detruncarant, rectiſſime illa, quæ Chriſtus recte legem explicans rurſum addidit, à Patribus *ſupplementa, à Chriſto adjecta*, dicta ſunt. Licet itaque diſciplina Chriſti nova viſa fuerit, ceu iſta tempeſtate non audita, & cunctis incognita; ſua etiam legis explicatione, & evolutione, novitatem aliquam præ ſe tulerit, ut in omni fere reformatione fieri amat, abſolute tamen nihil novi tunc docuit.

§. 10. Denique ut de *præceptis fidei*, & *ſacramentalibus*, quæ ſic appellantur, N. Teſt. aliquid addamus: Oſtendit equidem Evangelium, *κυρίως* & *ἰδικῶς* acceptum, quod ſola fides inſtrumentum ſit, quo gratiam DEI, meritum Chriſti, & ſalutem apprehendimus, & operatur in nobis eandem. At qua fides actus

d) *l. 4. cōtra Marci. ſ m.* 244.
e) *l B. P. II.* 20. 10.

Digitized by Google

actus eſt obedientiæ legi præſtitæ, & hoc ſenſu opus legis; licet inter credenda Vet. & N. T. in circumſtantialibus aliqua detur diverſitas, non tamen nova lege, quæ fidem præciperet, opus fuit, lege Moſis etiam præcipiente fidem in Chriſtum, quatenus in genere præcipit, ut divinis revelationibus, & ſic etiam Evangelicis aſſenſum præbeamus. a) In genere enim præcipiens lex fidem quoad credenda, etiam quoad illa quæ de novo revelantur, citra novam credendi legem, eandem præcipit; ſpeciali dato objecto, etiam quoad illud lege Moſaica vim obligandi exerente. Pari ratione cum Evangelium docet, quænam Sacramenta illa ſint, quibus gratia DEI & beneficia offeruntur, conferuntur, & applicantur legitime uſurpantibus; luce hac Evangelij colluſtrata lex Moſaica, quæ præcipit obedientiam illis, quæ à DEO inſtituuntur & ordinantur, præſtandam, citra novam legem à Chriſto latam, quæ hoc nomine neceſſaria non eſt, ſuam etiam vim exerit, quoad adminiſtrationem, & uſurpationem Sacramentorum; lege iſta veteri de obedientia, quam DEUS in primo præcepto à nobis requirit, ad certum objectum iterum à Chriſto, ſine nova legislatione, applicata.

a) *Derſch. Theol. Moral. §. 58. add. Gerhard. de Evangel. §. 111.*

ARTIC. II.

Artic. II.

De
JURE HUMANO.

§. I.

JUS humanum dicitur, quod ab hominibus, inter homines, in commune omnium, qui illo jure utuntur, bonum inſtitutum eſt. Non equidem videri poſſit id neceſſarium eſſe inter mortales, cum jus divinum naturale, mortalium pectoribus à communi legislatore implantatum, ſufficienter ad mutua officia homines obligare cenſeri queat. Διαπλάσας γὰρ τοι τῶν ἀνθρώπων τὸ γένος ὁ ποιητὴς, ἐντέθεικε τῇ φύσει τὴν τῶν ἀγαθῶν, καὶ τὴν τῶν ἐναντίων διάγνωσιν, *formans enim humanum genus Creator, inſevit naturæ bonorum & malorum notitiam & diſcretionem*, ait *Theodoretus*. a) Unde B. *Irenæus* b) *DEUM*, ait, *primo quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, admonuiſſe eos; id eſt per Decalogum, & nihil plus ab eis exquiſiviſſe.* Loquitur autem glorioſus Martyr, de ſtatu mortalium ante legem Moſaicam. Satis vero conſtat ex ſuperioribus, præter naturales Decalogi, etiam Ceremoniales, imo Forenſes, priſcis illis temporibus viguiſſe leges, antequam ſolennis illa legislatio Moſaica ad Ebræorum gentem fieret,

a) *tr. IV. opp. ſerm. 12. f.* 669.

b) *contr. hæret. l. 4. c. 29.*

ret, inſigni præſtantiſſimarum & ſanctiſſimarum LL. multitudine illuſtris.

§. 2. Verum enimvero, etſi inſitum hoc naturale lumen recti, ſemenque boni, ad vitæ ſocialis officia invicem præſtanda, homines manu quaſi ducere videri queat, ſi pudore potius, quam metu pœnæ præſentis, ſe regi homines paterentur; ſatis tamen patet, etiam *Cicerone* a) monente, quod, *ſimulatque editi ſumus in lucem, & ſuſcepti ſumus, in omni continuo pravitate, & in ſumma opinionum vanitate verſemur*: ita ut *virtutum ſemina, quæ ſi adoleſcere licet, ipſa nos ad beatam vitam natura perduceret*, varie opprimantur, & injuſtitia captiva teneantur. Legibus humanis proin, & vi imperij cogentis præſente; pactis item, quibus denuo ſe homines ex mutuo conſenſu, ad id quod juſtum, & rectum eſt obligent, opus eſt; ut, quæ naturæ leges, ludibrio à ferocia mortalium habitæ, obtinere in vita humana nequeunt, id in illarum gratiam, ut ſecundum illas vivatur, leges humanæ, externa vi cogente armatæ, extorqueant, ſecundum illud *Pauli*: b) *Θέλεις μὴ φοβεῖσθαι τὴν ἐξουσίαν; τὸ ἀγαθὸν ποίει, vis non timere poteſtatem? quod bonum eſt facito.* Et *Plato*, c) *ἱκανὼ*, inquit, *τὼ φύλακε κωλύοντε, δέος τε καὶ αἰδώς, metus & pudor cuſtodes ſunt ad probibendum ſufficientes.* Falluntur tamen interim *Franciſcus Connanus*, d) *& Fernandus Vaſquius*, e) JCti, minus honorifice de *obligatione*,

a) *Tuſcul. qq. l.* 3.

b) *Rom.* 13. 3.

c) *de Rep. l.* 5. *f.* 462.

d) *Iur. Civ. l.* 2. *c.* 3.

e) *Controv. Illuſtr. l.* 1. *c.* 10. *n.* 18. *p. m.* 120.

quæ ex divino per J. N. *imperio oriatur*, ſtatuentes, quod *in invitum non ſatis habeat firmitudinis*, cum careat civili coërcitione, & *unica* ſit *obligatio* compulſiva, quæ ex conſenſu noſtro oritur. Sed uterque ſuum jam expertus eſt cenſorem: Ille *Seldenum*, f) hic *Bæclerum*. g) Alibi nobis etiam viſum fuit oſtendere, quali confuſione hæc diſciplina laboret.

f) *de I. N. & G. l. 1. c. 4. p. m. 50.*
g) *Com. in Grot. p. 154.*

§. 3. Præterea cum DEUS legum naturalium lator, non legibus particularibus particulares generis humani cœtus, civitates ſcilicet, munire, ſed ſub ſuo univerſali imperio genus humanum in univerſalem quandam ſocietatem, legibus naturalibus inprimis, conjungere intenderit; manifeſtum eſt, cuilibet populo, & civitati, non ſolum relictum eſſe, ut pro conditione temporum, gentis indole, loci, finis item, a) tam *generalis*, quam *ſpecialis*, aliarumque circumſtantiarum ratione, quas, qua tales, lex naturæ non attingit, leges ferat, Civiumque voluntatem & actiones formet, & ſpeciali modo eas determinet, ad hujus generis ſpecialia J. N. non deſcendente. Exdem etiam leges ſpeciales cujuslibet populi genio non reſpondent; tantum abeſt ut ejuſmodi leges, univerſo generi humano, etiam quatenus in particulares cœtus diviſus eſt, adhuc communes, id præſtare queant, cum præſentis temporis, rerum item, & civitatis ſtatus variare, uſus item, & emergentes varij caſus, non idem ubique poſtulare ſoleant. Ipſe

a) *de Orig. Iur. Nat. art. 3. §. 29.*

Digitized by Google

certe DEUS neceſſarium cenſuit, ut Rempublicam Ebræorum formaturus, juri naturali & morali adjiceret, ceu neceſſarias determinationes, jure naturali, & lege morali, non expreſſas, leges Forenſes & Ceremoniales, id quod in aliis etiam neceſſe eſt civitatibus. Imo non neceſſarium hoc tantum eſt quoad conſociandos cives in civitate, ſed & quoad gentium ſocietatem continendam, & ad humani generis civitatem univerſalem conſervandam.

§. 4. Introducitur ab hominibus hoc jus vel ex conventione, vel ex libero juſſu ſuperioris. Illud fit inter æquales, & qui naturali gaudent libertate, pactoque inter ſe conveniunt, vel tacito, vel expreſſo, quod ſalva æqualitate & libertate ſua, velint in publicis ad invicem negotiis certam regulam ſuorum actuum ſequi, quæ *juris* inſtar *æquatorij*, & *directorij* ſit, ea lege, ne paritati ſingulorum quid decedat. A Græciæ hinc populis, qui æquali inter ſe paritate gaudebant, & reliquos ceu Barbaros, contemnebant, ad νόμον, qui τοῖς Ἕλλησι fuerat, ceu communem agendi normam, & jus commune, ſeu publicum, fuiſſe provocatum legimus apud *Thucydidem*. a) Alibi apud Græcos legitur de eo, quod τοῖς πολεμίοις ἔθος ἐστί: quorum ſcriptoribus etiam non incognita fuerant τὰ κοινὰ τῶν ἀνθρώπων δίκαια, ceu alibi oſtendimus. b) Pacto etiam quando conſtituuntur civitates, non abſque mutuo placito hoc contingit,

a) *l. 3. Bell. Pelop. ſ. 103.*
b) *de Orig. l. 6. art 6. §. 1. p. 242.*

quod legis loco illud eſſe debeat, quicquid vel ille, vel illi, quibus cæteri cum obligatione obſequij ſe ſubjecerunt, hoc nomine, ut pro lege etiam habeatur, ſtatuerint ex poteſtate rectoria. Tale fuit *jus regium* apud Ebræos, c) quod ad exemplum vicinorum regum, παμβασιλείαν exercentium, jus agendi regi conceſſit: Qui conſenſus etiam in imperiis vi bellica, & jure victoriæ conſtitutis, datur. Pepercit enim victis hac, certe tacita, conditione victor, quod juſſis ſuis velint obſequium præſtare; libera licet illa ſint interea.

c) 1. *Sam.* 8. 11.

§. 5. Quanquam vero leges humanæ, aliaque quæ à mortalibus conſtituuntur jura, humana voluntate ferantur, divinis tamen & naturalibus legibus conformes eſſe debent, ita ut ex congruentia ſua cum jure naturali, & dictamine rectæ rationis, æſtimari debeant, *divinæ* etiam *legis* aliquam *imaginem gerant*, uti loquitur *Sariberienſis*, a) & ex ipſa lege DEI æterna etiam primas ſuas origines habeant. *Nulla lex*, inquit *Tertullianus*, b) *ſibi ſoli conſcientiam juſtitiæ ſuæ debet, ſed eis à quibus obſequium expectat.* Et *Cicero*, c) *lex*, ait, *eſt juſtorum, injuſtorumq; diſtinctio, ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa Naturam, ad quam leges hominum diriguntur.*

a) *l.* 4. *c.* 6.
b) *Apolog. f. m.* 815.
c) 2. *de Legg.*

§. 6. Humana jura quid Juri naturæ *addendo*, vel *detrahendo*, poſſint, diſquiritur.

Cer-

Certum nobis eſt, nil prohiberi poſſe, quod naturali lege mandatur; nec præcipi, quod eadem prohibetur, cum inferior in jus ſuperioris, cui & ipſe ſubjectus eſt, nullam agendi facultatem habeat, ut ei *derogare* poſſit. DEUS equidem, non quidem qua legiſlator, ſed vi Dominij ſupereminentis, vel etiam qua judex inter mortales ſupremus, objectum legis mutare, & ſic quod modo præcepti objectum erat, ei ſubducere poteſt, ut ejus vi legali non amplius ſit obnoxium. Sic tanquam Dominus rerum ſupremus, vaſa Ægyptiorum adſcripſit Ebræis; a) quanquam & pro actu DEI judicis ſupremi haberi poſſit, addicentis ex Ægypto exeunti populo ſuo mercedem laborum, quam Ægyptij perſolvere noluerant, uti ex Judæis *Philo*, b) ex noſtris *Irenæus*, c) & *Tertullianus* d) adhuc noſter, aliique explicarunt. Idem in nonnullis objectis etiam Magiſtratus civilis poteſt. Ita namque v. c. juſtis ex cauſis ad mortem condemnando hominem, ſubducit eum legi naturali, homicidium prohibenti, & facit ut non amplius ſit objectum hujus legis, uti hactenus fuerat, immutabili manente ipſa lege. Ubi tamen probe obſervandum, quod, ſi Magiſtratus legiſlator, vel ex jure dominij eminentis, vel ex alia, quæ ipſi ſatis gravis & juſta viſa eſt, cauſa legi naturali aliquem actum, vel aliud quid, ſubducere velit, id fieri non poſſit, niſi ratio objectiva, ſub qua aliquid eſt legis ali-

a) *Exod.* 11. 2. c. 12. 36.

b) *l.* 1. *de Vit. Moſis.*

c) *l.* 4. *contra hær. c.* 49.

d) *adverſ. Marc. l.* 2. *f.* 184. *l.* 4. *f. m.* 258.

cujus naturalis objectum, ab eo fuerit ſeparabilis. Talis cum non ſit ratio in legibus Matrimonialibus divinis, e) legiſlatorem humanum per contrariam, ſive diſpenſationem, ſeu diſpoſitionem, illis nihil derogare poſſe affirmamus; cui nec exceptiones, ad DEI exemplum, maxime in re diſſimili, fingere licebit. Quod ſi vero ratio objectiva eſt inſeparabilis, circumſtantias tamen objecto, vel actui circa illud, accidentes, ſic oportet eſſe comparatas, ſi illud immutatum vi legiſlatoriæ naturali eximere velint, ut illarum dignitas, & ratio potior ſit, ob intrinſecum valorem, quam ratio quæ in objecto datur, uti id legi naturali, quoad certum præceptum, ſubducatur, nec pro tali ſtatu ejus objectum eſſe ſinatur. Ita jure naturali prohibetur connubium inter fratres & ſorores, & ratio prohibitionis, quæ à ſanguinis propinquitate petitur, eſt inſeparabilis: Attamen cum hæc circumſtantia, quod ex unius hominis ſanguine univerſum deſcendere debuerit genus humanum, potior ſit, quam ut ratio propinquitatis tunc illam invalidam reddere potuerit, eadem etiam evicit, ut protoplaſtorum liberi fœdere matrimoniali conjungerentur. Hodie vero legiſlator humanus, cum hæc circumſtantia nunquam ſit dabilis, lege id non permittet. Etſi vero caſu ſic dato, poteſtas humana juri naturali aliquid derogare videatur, præcipiendo, vel permittendo aliquid, quod

e) *Levit.* 18.

Digitized by Google

quod naturali juri contrariari cenſere liceat, rectius tamen dicitur, eandem declarare, quod jure N. aliquid non ſit prohibitum, quod objectum ejus ſit mutatum, quam quod vis legislatoria, actu vere legiſlatorio, præcepto juris naturalis id ſubduxerit.

§. 7. Etſi vero hæc ita ſe habent quoad illa, quæ à jure naturali ſub certis præcipiuntur vel prohibentur circumſtantiis, ut harum diverſitas, major item atque potior, ut & minor aliqua ratio, in objecto aliquam mutationem faciat, vel etiam fieri patiatur, ad quas legiſlator civilis reſpiciat; quæ tamen Jure naturali ſimpliciter & abſolute ſunt præcepta vel prohibita, citra circumſtantiarum intuitum, illa etiam nulla circumſtantia legi naturali ſubducet, tantum abeſt ut poteſtas humana id faciat, vel facere ei liceat. *Supplere* interim licet legiſlatori humano, ubi lex naturalis ad omnia particularia non deſcendendo, generalitate ſua deficit; determinare item ad certum tempus, & locum, cum hæc divina lex non determinavit. Id quod tamen cura plane ſingulari fieri debere, manifeſtum eſt, ne divina jura homo profanet, quando illorum interpretem & executorem agere intendit. De Alexandro Severo autor eſt *Lampridius*, a) quod *nullam conſtitutionem ſacraverit ſine viginti juriſperitis, & doctiſſimis ac ſapientiſſimis viris, iisq; diſertiſſimis, non minus quinquaginta; ut non minus in conſilio eſ-*

a) *Alex. Sev. c.* 16.

 ſent

ſent ſententiæ, quam ſenatus conſultum conficerent:" & id quidem ita, ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur, quid quisq; dixiſſet, dato tamen ſpatio ad diſquirendum, cogitandumque, priusquam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus. Non minori cura à legiſlatore humano, circa leges naturales legiſlatio civilis inſtitui debet.

SUBSECTIO I.

De
JURE GENTIUM.

§. I.

GEntium jure etiam aliquid juſtum dici, & ex gentium jure agentibus haud raro facultatem agendi competere, ſtylo publico, & gentium praxi evincitur. *Hugoni Gro-*
a) *l. B. P. l.* *tio* a) *jus voluntarium humanum* dicitur, *quod*
1. 14. *ex voluntate originem ducit, atq; gentium omnium, aut multarum voluntate vim obligandi accepit.* Id ut à jure civili multorum populo-
b) *l. 2. c. 8. 1.* rum *diſtingueret*, b) *pertinere illud* docuit *ad mutuam Gentium inter ſe ſocietatem, ita ut ab uno populo aliis inconſultis mutari non poſſit.* Colligitur hinc, ad *Grotii* mentem Gentium jus proprie dictum eſſe, quod, ceu vinculum ſociale quoddam, inter populos & gentes qua tales intercedit, illorumque actus publicos, non ex immediato divino præcepto

quo

Digitized by Google

quod juris naturalis eſt officium, ſed cum mutuo obligationis nexu humana dirigit voluntate. Græcis hinc quæ juris hujus ſunt, dicuntur eſſe *νόμȣ ἁπάντων ἀνθρώπων κοινȣ̃*, *communis omnium legis*; *ſic* enim *Demoſthenes* c) loquitur. *Thucydides* κτ̄ τ̄ πάντων νόμον καθεστῶτα, *ſecundum communem omnium legem* fieri dixit, *hoſtem multare licere, à quo invadatur*. d) Gentium etiam jus, quo bello captos ſervos facere licet, *Ariſtoteli* e) vocatur ὁμολογία, *conſenſio* quædam, ſeu *pactum*, uti aliis redditur interpretibus. Pertinet huc proin dictum *Athanaſij*: f) Ἀγανακτεῖ τις, ἃ πράττων αὐτὸς ἀποδέχεται, εἰ παρ᾽ ἑτέρȣ γινόμενα βλέποι; *an quiſpiam ſtomachari debet, ſi quæ ipſe à ſe facta approbat, ab aliis fieri videat?* Negat id Ebræorum Judex Simſon. g)

c) *Orat. adverſ. Ariſtocrat f. m.* 437. a.

d) 3. *Bell. Peloponn. f.* 102.

e) 1. *Polit. c.* 4. *al.* 6.

f) *t. I. Opp. Apol. ad Conſt. Imp. f. m.* 742.

g) *Iudic.* 15. 11.

§. 2. *Finis*, cujus neceſſitas jus hoc inter gentes, & populos, neceſſarium reddit, eſt bonum publicum, omniumque gentium felicitas, atque felix conſociatio; ſecurus item & tranquillus omnium populorum ſtatus, quorum paritati, juribus, atque felicitati, jure hoc æqualiter conſulitur, ita ut ad humani generis felicitatem æque neceſſarium ſit gentium jus, atque jus naturæ neceſſarium eſſe omnes boni confitentur, cum perſonæ compoſitæ, h. e. integræ ſocietates, æque ſociales ſint atque eſſe debeant, quam ſingulares. Verum quippe & hic eſt illud *Senecæ*: a) *Societas noſtra*, etiam gentium, *lapidum fornicationi ſimillima* a) *Epiſt.* 94.

eſt, quæ caſura niſi invicem obſtarent, hoc ipſo ſuſtinetur. Et ſi ex Chriſtianorum diſciplinâ de mutuis populorum officiis ſtatuendum,
b) *Gal.* 6. 2. illud *Pauli*: b) Ἀλλήλων τὰ βάρη βαστάζετε, *invicem alij aliorum onera portate*, ad gentes quoque omnino pertinebit. Id quod etiam
c) *Matth.* 7. 12. de dicto Chriſti c) affirmandum: Πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς, *omnia quæcunq; volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis.* *Conjungi* enim *vult Chriſtus*, non male ſcribit Autor Epiſtol. ad Celantiam, quæ ſub *Hie-*
d) *t. I. Opp. f. m.* 50. *ronymi* d) nomine circumfertur, *internos atq; connecti per mutua beneficia charitatem; omnesq; homines vicario inter ſe amore copulari: ut id unoquoque præſtante alteri, quod ſibi ab omnibus præſtari velit, tota juſtitia, & præceptum hoc* DEI *communis ſit utilitas hominum.* Non negabunt hoc niſi illi, qui privatum commodum, etiam cum injuria alterius, gentibus ſibi procurare licere credunt, & cum in armis jus habent, ex *Hobbiana* hypotheſi, ſtatum gentium naturalem bellum eſſe, vel opinan-
e) *de Orig. Iur. Gent. art.* 8. 5. tur, vel deſiderant. Prolixius alibi e) hæc diſcuſſa ſunt.

§. 3. Ebræos quod attinet, obſervat
a) *I. N. G. l.* 1. *c.* 1. *p.* 11. vir doctiſſimus, *Seldenus*, a) quod præter *jus ad eorum placita atq; diſciplinam naturale, ſeu omnium hominum commune*, etiam detur *jus* ipſis, aliisque *gentibus finitimis, imperativum, atq; ex pacto interveniens*, ſive in pace, ſive in bello;

bello; ad bella ſcil. gerenda, fœdera, captivos & proſelytos pertinens. Illud ex *imperato* DEI *veniſſe* ajunt, qua ratione cum Noachidis, ſeu Gentibus finitimis, vicinis, aliis, ſive quæ, ſive quarum pars aliqua, in ſolo judaico ſedes habebat, ſive quibuſcum bellum gerebant, ſive quæ in eorum ditionem quovis modo tranſibant, ſeu fœdere, pacto, uſu etiam qualicunque, cum illis jungebantur, agere debuerint. Hoc ex pactis, conſtitutionibus, moribuſve ſolum introductum eſt. Illius exemplum legitur in *Deuteronomio,* b) ubi Jehova ſic præcepit: *Perdendo perdetis omnia loca, ubi ſerviverunt gentes, quas vos eritis expellentes, Diis eorum:* Et in *Exodo:* c) *Altaria eorum evertetis, & ſtatuas eorum confringetis: & lucos eorum exſcindetis.* Explicant enim Judæi de terra ditionis promiſſæ. Unde *Maimonides* apud *Seldenum:* d) *Imperatum eſt nobis, ut perſequamur cultum extraneum, uſq; dum eruatur è cuncta terra noſtra.* Allegat pro hac explicatione etiam R. *Moſen Mikotzi, Grotius.* e) Superinduxerunt autem jus *interveniens,* de *omnimodis templis, aris, lucis, ſacratis rebus diruendis, abolendisque, etiam in territorio qualicunq; alio, bello ſibi ſubacto.* f) Similiter ex ſuperinducto à ſapientibus jure *interveniente,* alia introducta ſunt, partim ut ſcirent, quo pacto cum Gentibus deberent vivere; partim ut Judaiſmum, ejuſque ritus ſartos tectos conſervarent. Hujus gene-

b) *Deut.* 12. 2.

c) *c.* 34. 13.

d) *l. c. l.* 2. *c.* 2. *p.* 135.

e) *Not. ad Exod.* 34. 13.

f) *Seld. l. c.*

generis eſt ſtatutum, de vitando commercio, & familiari conſortio cum Gentibus, ne quid contagii idololatrici contraherent; de quo rurſus *Maimonides*. g) Crediderim, ex hoc jure Gentium interveniente ex conſtitutione, natas eſſe illas accuſationes *Lyſimachi*, apud *Ioſephum*, h) fingentis, Moſen Ægypto egreſſum præcepiſſe Ebræis, μήτε ἀνθρώπων τινὶ εὐνόησειν, μήτε ἄριστα συμβουλεύσειν, ἀλλὰ τὰ χείρονα, *ne cui hominum ſe benevolos preberent, utq; conſilium malum potius, quam bonum darent*: *Apionis*, i) Judæis objicientis, quod in quotanni Græci cujuſdam immolatione jurare ſoliti fuerint; quod *inimicitias contra Græcos habere* vellent. Quæ licet atroces calumniæ fuerint, moribus ſuis tamen perverſis eiſdem dediſſe occaſionem, patet ex illis, quæ de gentis hujus inhumanitate notarunt doctiſſimi Viri, *Petrus Cunæus*, k) *Conſtantinus l'Empereur*, l) & alii.

§. 4. Satis vero patet, jus hoc *Gentium*, tam *imperatum*, quam *interveniens*, ſpeciem potius juris civilis Ebraici eſſe, dirigentis commercium Ebræorum cum aliis, finitimis inprimis, gentibus, tam pacis, quam belli tempore, quam *Gentium jus proprie tale*, quod actus Gentium publicos, cum mutua obligatione, ex moratiorum conſenſu, dirigit. Non enim mutuo populorum conſenſu introductum eſt; ſed vel à Legiſlatore Ebræorum DEO,

g) *apud Selden. l. N. G. l. 2. c. 5. p. 175.*

h) *l. 1. contr. Apion.*

i) *apud Ioſeph. 2. contra Apion.*

k) *l. 3. de Rep. Ebr. c. 4.*

l) *Cod. I LL. Forenſ. pop. Iſr. c. 4. §. 3.*

Digitized by Google

DEO, præſcribente, qua ratione cives ſui cum gentibus agere, & verſari debuerint; vel à Sapientibus hujus populi, leges has vel ad alios hujus commercij caſus extendentibus, vel aliis eaſdem conſtitutionibus munientibus, non accedente aliarum gentium conſenſu. Unde & ab Ebræorum legiſlatore, & quoad jus interveniens à Sapientibus, cæteris populis inconſultis, mutari rurſus potuit. Conſtat enim de moribus populi Ebræi, poſterioribus inprimis temporibus, cæteras gentes queſtas potius eſſe, tantum abeſt ut ejuſmodi gentium jus probaverint, ut ex *Tacito* a) conſtat, & fragmentis *Manethonis*, quæ hodie adhuc extant.

a) *5. Hiſtor. c. 5.*

§. 5. Evolventes interim Gentis hujus hiſtoriam, prout in ſcripturis divinis eadem exponitur, obſervamus, in commercio cum aliis gentibus publico, Ebræis iſtud Gentium jus, quod proprie tale dicitur, & ceu regula publica commercium populorum publicum dirigit, quod etiam, ut *Grotius* a) ejus characteres enarrat, ad *mutuam gentium inter ſe ſocietatem pertinet, & ab uno populo aliis inconſultis mutari non poteſt*; nec incognitum fuiſſe, nec ab illis neglectum. Egregie certe Jiphthachus ex Gentium hoc jure communi, quod in populorum ſocialitate fundatur, egit cum Ammonitarum Rege. b) Bellum gentium jure, non niſi deſperata pace, inque juriumque ſuorum defenſionem conceditur.

a) *I.B.P. l.2. c.8. §.1.*

b) *Iud. 12. 12.*

Unde

Unde pacis cauſa primo legatos miſit Jiphthachus ad Regem Ammonitarum, tentata prius juris via. Nam *ἐπὶ τὸν δίκας διδόντα, οὐ νόμιμον ὡς ἐπ' ἀδικοῦντα ἰέναι, in eum qui jure agere & ſatisfacere paratus eſt, nefas bellum ſumere, tanquam in injurium*, ſecundum Gentium jura pronunciavit olim Archidamus apud *Thucydid.* c) inde *Clarigatio* jam inter veteres recepta fuit. Fuit autem ad hoc uſus *jure legationis*, quod nobiliſſimum juris Gentium caput eſt. Barbaro vero injuſte terras *ab Arnone ad Iabbokum uſque, & ad Iordanem uſque*, ab Ebræis poſſeſſas, *reſtitui cum pace* poſtulante, d) ex Gentium jure objecit cum occupationem bellicam, juſto cum Sichone bello factam, e) naturæ & gentium jure probatam; f) tum *trecentorum annorum poſſeſſionem* g) non interruptam, & ſilentium per tot annos, ſatis validum ad conjecturam juris derelicti. Docet vero *Grotius*, h) *jure gentium voluntario inductam hanc legem, ut poſſeſſio memoriam excedens, non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata, omnino dominium transferret.* Sic David illatam ſuis legatis, ab Hannone Ammonitarum Rege, atrocem injuriam i) contra Gentium jus, eodem jure permittente, ſevere bello ultus eſt. Nunquam non enim crediderunt gentes, ob legatos contumelioſe habitos licere ſibi arma ſumere. Inter patrem hujus Ammonitæ, gentilem licet Principem, & Davidem, ſæpius amicitiæ

d) *Iud.* 12. 13.
e) *Iud.* 12. 20. *ſqq.*
f) *Grot. l. B. P.* III. 6. 1. *ſq.*
g) *Iud.* 12. 26.
h) *l. c. §.* 9.
i) 2. *Sam.* 12. 1. *ſqq.*

citiæ

citiæ & officii cauſa, legati commeaverant. Inita etiam inter Salomonem & Hiramum, TyriorumRegem, fœdera amicitiæ, & legatos hoc nomine miſſos, Regum Iſraëlis hiſtoria ſacra refert. k) Interim tamen non negaverim, quod, quanquam, cū ob LL. Moſaicarum indolem, *πρὸς τὴν καθόλου φιλανθρωπίαν, ad univerſalem humanitatem* compoſitarum, *Ioſepho* l) recte notante, tum gentium ſocialitatem, à qua ſuam civitatem DEUS exceptam non voluit, ad commune jus gentium univerſale ſe Ebræi accommodaverint, ſimul tamen ad *jus gentium domeſticum*, ſeu privatum, tam *imperatum*, quam *interveniens*, meliorum inprimis temporum, reſpicere debuerint, & potuerint, ne quid contra illud cōmitterent: Quod ſalva ſocialitate cum cæteris gentibus, bene fieri potuit.

§. 6. Cognoſcitur hinc, *fundamentum* juris gentium eſſe *gentium ſocialitatem*, atque contextum, & unionem Rerumpublicarum, in quas magna iſta ſocietas dividitur, quam univerſum genus humanum ſub divino conſtituit imperio, conſociatum per leges naturales. Contextum enim, & unionem populorum, quæ in lege DEI æterna fundatur, ejusque per ſanæ rationis dictamina inter mortales effectus eſt, iſta diviſione humani generis in diſtinctos cœtus civiles non obſtante, conſervari debere, ſocialis mortalium conditio, legesque ſociales hominis naturæ implan-

k) 1. *Reg.* 5. 26. 15.

l) 2. *contr. Apion.*

plantatæ, monent & injungunt, & Chriſtiana etiam diſciplina, ſingulari quadã ratione *pacem omnium cum omnibus*, ſi *fieri poßit*, urgendo,
a) *Rom.* 12. 18. præcipit, a) cum homines in cœtus coacti ſociales eſſe non deſinant. Cum vero jus naturæ qua tale præcipiendo id determinate non præſtet, qua ratione diviſi iſti, diſtinctiq; cœtus, conſociati rurſus uniri debeant, ad hunc finem æque inſufficiens futurum, atque non ſufficit conſociationi civili qua tali dirigendæ; ex neceſſitatis hujus ſenſu, & ipſius legis DEI æternæ placito, à quo proinde ultimæ hujus juris origines ſunt derivandæ, quæ ſocialiter etiam integras gentes conjungi imperat, deprehenderunt cœtus hi humani generis ſociales, opus eſſe communi aliquo vinculo, quod nexu reciproco omnes contineret, æque atque in civitatibus civilis conſociationis ratio civile jus deſiderat, ad dirigendas civium actiones ad fines iſtos peculiares, quos civitas intendit, quique pro Rerumpublicarum diverſitate etiam variare ſolent. Verum quippe illud Lucij eſt apud *Dionyſ. Halicarnaſſ.* b)
b) *Antiq. Rom. l.* 7. ἐξ ἧς ἂν ἐξελαθῇ πόλεως δίκη ϗ νόμος, εἰς ταύτην στάσις εἰσπορεύεσθαι φιλεῖ ϗ πόλεμος, *ex qua civitate jura & leges expelluntur, in eam ſeditio bellumq; ingredi ſolet.* Hoc jure gentium Cananææ illæ gentes, quas Ebræi deleverunt, quod divino judicio excindendæ erant ab Iſraëlitis, c) gaudere non poterant, cum quibus
c) *Exod.* 23. 23. *Deut.* 7. 1. proin jure Theocratico, non Gentium communi

muni bellum gerendum fuit. Poſtquam vero ſecundum gentium jus cum Gabaonitis transegerant, d) jus adverſus ſe quæſitum, illis non eripuerunt.

d) *Joſ. 9. 15.*

§. 7. Variant vero iſta vincula, quibus per gentium connexionem unitas iſta humanæ conſociationis redintegratur; nec gentes ſatis valide ligant, quæ nexu reciproco privatos continere ſolent. Suñum civile imperium, quod ejuſdem civitatis cives in cœtus civilis unitatem redigit, quoad populos & imperantes ſolo DEO inferiores, vinculum non eſt, quod mutuo nexu ad ſocialem vitam illos ligare poſſit. Quin nec jus civile plurimum populorum, vulgaris licet hæc acceptio ſit, illud vinculum eſt, quod cum obligatione quadam actus gentium publicos, in felicem omnium populorum, atque adeo universi humani generis felicem conſociationem, ceu regula aliqua dirigat; quicquid ſit de *Vaſquij* a) ſententia, quam alibi b) examinavimus, contendentis, *ea quæ ſunt juris gentium, prius fuiſſe tantum juris civilis, ſed paulatim ſerpſiſſe, aut velociter transvolaſſe ad reliquas gentes & regiones*, & ſic, *poſtquam eo jure omnes omnino, aut pleraq; aliarum gentium uti cœpiſſent, jam juris gentium effectum videri, inq; jus gentium converſum & transformatum.* Confundit enim jus gentium privatum, quo illæ utuntur in ſuis civitatibus, citra reſpectum ad alium populum, cui, quod pluribus ſit commune,

a) *C. I. l. 2. c. 54. p. m 450.*
b) *de Orig. I.G. proœm.*

 & ad

& ad plures quoad uſum tranſvolarit, per accidens tantum competit, cum jure gentium publico, quod, uti *Grotius* c) loquitur, *ad mutuam gentium inter ſe ſocietatem* pertinet, ceu vinculum nexu reciproco gentes & civitates ipſas ligans; quod illarum conſociationẽ concernit, atq; iſtorum actus publicos, qui neceſſarij comercij ergo inter civitates, qua tales, intercedunt, in comune bonum, quo gentes, imo univerſum mortalium genus conſervatur, dirigit. Diverſum hoc eſt à jure civili plurium populorum, nec eſt, monente *Grotio*, d) *jus illud gentium proprie dictum, de quo agimus.*

c) 2. l. B. P. §. 1.

d) l. c.

§. 8. Cum itaque peculiare conſociationis genus peculiare quoque vinculum requirat, negari nequit, gentium & civitatum, in quas univerſum genus humanum, ex divinæ providentiæ intentione, & ſic ex juris naturalis præcepto, dividitur, ſocialitatem & conſociationem, cum ſit diverſæ indolis à ſocietate univerſali totius humani generis ſub divino imperio, & ſingularum civitatum conſociatione civili, neceſſario quoque convenienti naturæ rei, ipſi ſcil. gentium ſocietati, gaudere vinculo; quod eſt illud gentium jus, in cujus alibi prolixius inquirimus origines; ubi & Cl. reſpondimus *Feldeno*, a) neganti, *præter jus civile dari peculiare jus naturæ & gentium, quo regatur populorum gentiumq; ſocietas.* Bene *Ariſtoteles*, b) ἐν ἁπάσῃ, inquit, *κοινωνίᾳ δοκεῖ τι δίκαιον εἶναι, καὶ φιλία δέ, in omni ſocie-*

a) *Not. in Grot. Proleg de l. B. P.*

b) *l. 8. Ethic. c. 9.*

ſocietate jus aliquod reperitur, & vero etiam aliqua amicitia; quod mox differre monuit, quemadmodum & amicitiæ variant, differuntque. Unde cum ſocietas gentium æquatoria ſit, & *ἐν ἰσότητι* conſiſtat, civitas vero rectoria conſociatione conſtet, jura quoque utriusque differre manifeſtum eſt. Conſentit *Cicero*, c) qui cum varios *gradus ſocietatis hominum* explicaſſet, non idem juris omnibus tribui poſſe oſtendit. Eximia etiam ſunt, quæ hoc nomine diſputavit doctiſſimus noſter *Giſanius*. d)

c) 1. *Offic.* 17. *ſq.*

d) *Comm. in Ariſtot.* 8. *Ethic.* 9. *p.* 672. *ſq.*

§. 9. Non etiam, meo quidem judicio, male dicitur, gentium, & ſummorum Rectorum ſocietatem ſimilem eſſe ſocietati fratrum: *Ἴσοι γὰρ, ſunt enim iï pares*, uti loquitur *Ariſtoteles*. a) Status enim liberarum gentium duo potiſſimum complectitur 1. *æqualitatem*, ſeu *paritatem*, qua ſolo DEO in hoc mundo ſunt inferiores, ſic ut quilibet populus alterum pari jure ſecum frui teneatur. 2. *Pacem*, qua ſocialem agendo vitam ſine mutua læſione pacate vivere debent. Unde ſicut vel ob iſtam paritatem, atque dignitatis æqualitatem, Reges ſe *Fratres* appellare poſſunt, ſolentque; Reges etiam barbari, ut Quiloæ rex apud *Oſorium*, b) cum Capralem claſſis Luſitanæ Præfectum audiret, *ſe Regem Emanuelem in loco fratris ſemper habiturum* reſpondit: Ita pacem quod attinet, uti fratrum concordia rara, ſic *aut bellum inter populos, aut belli præ-*

a) 8. *Ethic.* 10.

b) *de reb. Emanuel.* *l.* 2. *p.* 53. *b.*

paratio, aut infida pax eſt. Neq; ſe Roma, jam terrarum orbe ſuperato, ſecuram ſperavit fore, ſi nomen uſq; ſtantis maneret Carthaginis. Adeo odium certaminibus ortum, ultra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, neq; ante inviſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit, monente

c) *hiſt. l. 1. c. 12.* *Vellejo Paterculo.* c) Recte etiam *Cominæus*, d) *eſt ſane*, inquit, *quædam nobis innata pravitas,*

d) *Com. l. 10. p. m. 691.* *adeo magna quidem, ut nulla plane ratio nos ab injuriis, & violentia, coërceat.* Ne de prædandi libidine, quæ apud priſcos & mediæ ætatis homines pudore caruit, quid dicam: *Thucydides*, e) certe, οἱ γὰρ Ἕλληνες, inquit, τὸ πάλαι

e) *Bell. Pelop. l. 1. ſ. 2.* καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ Ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι, καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὴ ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους, ἐτρέποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων, κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα, καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς. *& Græci olim & barbarorum quicunq; in continente maritimi erant, quicunq; inſulas incolebant, ubi cœperunt crebrius alij ad alios navibus tranſire, ad latrocinium converſi ſunt, ducibus viris mediocris potentiæ, tum ſui quæſtus, tum pauperum victus gratia*: additque, id factum *nullo ob id pudore*; quæ prolixius ibi commemorantur. De Nordalbingis etiam Chriſtianam religionem profeſſis autor eſt

f) *l. 1. Chron. Slav. c. 47. p. 114.* *Helmoldus*, f) quod *Saxonum licet jura & Chriſtianum nomen tenuerint, furtis tamen & latrociniis operam dare conſueverint.* Hodierni Arabum, Tartarorum, & Maurorum pruritus,

Digitized by Google

tus, ad exercenda in alias gentes latrocinia, fœdere pacis non obſtante, noti ſunt.

§. 10. Sicut itaque recta in homine ratio ubique ad ea, quæ commune bonum, neceſſitas, & honeſtas exigunt, reſpicit; ita quoq; gentes, ſanæ rationis dictamina ſecutæ, ſenſerunt, quod comune omnium bonum, ad quod omnes jus habent; humanæ ſocietatis ſtatus, cujus conſervandæ ſtudium omnibus incumbit; & honeſtas, quam in negotiis, inter gentes humanas tractandis, obſervari jus naturæ præcipit; cunctis, ſi ſalvæ eſſe velint, imperet, ad conſentiendum in commune aliquod vinculum, quod ligamine reciproco omnes conſtringeret, & communem inter ſe agendi juris regulam, quam ſequerentur. Huic contraire non potuerunt, niſi ſimul ſtudium boni publici exuere, naturam ſocialem abnegare, omnemque honeſtatem peſſundare, in animo habuiſſent; prævalente vel naturæ feritate, uti *Ammian. Marcellin.* a) Hun- a) *l.31.c.4.*
nos, quos *expeditum, indomitumq; genus hominum* appellat, *externa prædandi aviditate flagrantes immani, per rapinas & cædes finitimorum graſſari*, olim memoriæ prodidit; vel ſuperſtitione, uti Turcæ, vel Muhamedani, lege impoſtoris prædas agere jubentur. b) Verum b) *Alcoran. azoar.* 34. 71.
quippe eſt illud *Polybij*: c) Τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσδεδοξοποιημένον, οὐχ ἧττον διὰ τὴν c) *l.17. hiſt. c.13.*
ἀλογιστίαν, ἢ διὰ τὴν φύσιν ἁμαρτάνει, *humanum genus adſcitis inbutum opinionibus, non pauciora*

per inconſiderantiam, & pravam ratiocinatio-nem peccat, quam per naturam. Sicut itaque ſocialitatem, atque ipſum Rerumpublicarum contextum, gentiumque unionem atque conſociationem, juris gentium *fundamentum*; præceptum ſocialitatis naturale *cauſam remotam*; honeſtatem inter gentes commercij, & comunnem omnium populorum neceſſitatem, *cauſam impulſivam* eſſe dicimus; ita gentium voluntatem dictaminibus rationis, in cauſis quæ modo allegatæ ſunt fundatis, obſequentem *cauſam* juris Gentium facimus *proximam*.

§. II. Diverſi vero ſunt actus voluntatis hujus populorum, qua cauſa eſt juris gentium. Cum enim ſtatum ſuum, gentium nimirum conſociationem, non ſine commercio, quod illæ inter ſe exerceant; nec hoc ſine certa norma agendi ſubſiſtere poſſe prudenter animadvertant, animadverterintque, ex dictamine, & inſtinctu urgente rationis ſocialis, quæ omnibus eadem, tacite in communia deſcenderunt placita ſocialia, altera alterius gentis facta probante, & imitante. Quanquam enim verum ſit illud *Senecæ*: a) *Putas tu, poſſe ſententiam unam omnium eſſe? non eſt unius una*; bene tamen mox addit: *Veritatis una vis, una facies eſt.* Et *Cicero*, b) *quibus*, inquit, *ratio natura data eſt, iiſdem etiam recta ratio data eſt: ergo & lex, quæ eſt recta ratio in jubendo & vetando: ſi lex, jus quoque.* Cum itaque communis omnium ſalus

a) *Epiſt.* 102.

b) 1. *de LL.* P. 162.

lus in unitatem quandam gentes coire cogat, tacite primo voluerunt, & ex finis neceſſitate voluiſſe cenſeri debent, iſta negotia, quæ ad communem omnium utilitatem pertinent, cum variis caſibus atque revolutionibus cunctæ ſint obnoxiæ, una aliqua forma expediendi adminiſtrari. Myſianos, qui legatos Romanorum occiderant, *Agathias* c) refert, cum extrema ab his ſibi imminere cernerent, *proprias emenſos vires, quod nec bello pares Romanis fore ſe ducerent, nec bellum ſuſtinere diutius poſſent, Oratores miſiſſe ad hoſtes precatum, ne ſe perdere ad internecionem vellent.* Commercij inter gentes ſumma neceſſitas, & ex iſto orta utilitas, Barbaros hos ad pactum cum Romanis circa Legatorum jura tacitum adegit, ut ex finis neceſſitate ſe coactos ſenſerint, ad amplectendum agendi per legatos modum, inter gentes receptum, quem ceu unicum ſuæ ſalutis medium agnoverant, ferocia licet obſtrepente ante Romanorum legatos trucidaverant. In aliis caſibus cum alij idem fecerint populi, alij rurſum hoc intuentes, quod talia facta probarent, ad ea provocarunt, ceu publicam agendi inter gentes in publico commercio regulam; uti Romanos Volſcis, per legatos agrum ſuum & erepta oppida repetentibus, reſpondiſſe autor eſt *Dionyſ. Halicarnaſſ.* d) *Nos juſtiſſimas poſſeſſiones ducimus, quas armis victores quaſivimus: Nec νόμον legem iſtam nos primi conſti-*

c) *Hiſt. l. 4. f. 532.*

d) *Antiq. Rom. l. 8.*

tuimus, ἅπαντες τε καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους εἰδότες αὐτῷ χρωμένους, *quum omnes tam Græcos, quam Barbaros, hac uti ſciamus.* Accedunt gentium voces, ubi *ſuis ſe moribus domari*, uti de Thracibus Barbarorum cruentiſſimis *Flo-*
e) *l. 3. c. 4.* *rui* e) loquitur, animadverterunt; quas in ejuſmodi anguſtiis conſtitutas, contra gentium jus ſecum agi, queſtas conſtat. Denique ſicut qui ſciens, & libere volens tacet, con-
f) *Grot. l.* ſentire videtur, f) ita ſi populus, altero ad gen-
B. II. 4. 5. tium jus provocante, tali provocationi cedit, tacetque, in illud conſentire utique videtur, idemque agnoſcere, niſi validæ in contrarium aliæ dentur rationes.

§. 12. Non equidem nos latet, moribus & factis gentium juris nomen ſæpius prætendi, cum quod inter gentes talia licere dicantur, tum quod in conſuetudinem iverint inter eaſdem. Formulæ apud ſcriptores paſſim extant. Verum hujus loci illa non ſunt; Cum quod, quæ v. c. *apud gentes in imperio dominioq; in ſervos, aſpere, duriter, ſæve fiunt,*
a) *Comm.* *juris gentium nomine præſcribantur.* *Bœclero* a)
Grot. l. 3. obſervante, non niſi abuſus hujus tituli cen-
c. 5. p. 192. ſeri debet. Servitus enim, quia non ſic *ad mutuam gentium inter ſe ſocietatem pertinet, ut ab uno populo aliis inconſultis mutari non poſ-*
b) *I. B. P. 2.* *ſit*, uti de gentium jure proprie tali *Grotius* b)
8. 1. philoſophatur, juris gentium iſtam non eſſe, dubio caret. Quoties enim *aliquod juris hu-*
c) *de Civit.* *jus ſtatum invertitur, alia Reſpublica læditur:*
l. 2. c. 3. *quod*, uti recte *Hornius* c) diſſerit, *univerſa na-*

tura

tura Iuris Gentium, in relatione & reſpectu ad alium populum ſita ſit. Ne dicam, ſæpe juris mentione *non tale intelligi, quod actu omni culpa liberet, ſed impunitatem,* explicante *Grotio.*d) Idem cenſendum de illis, quæ ex *ratione belli* haud raro committuntur: Quibus ut injuſte hic præſcribitur titulus, quod agentem rabies, furor, crudelitas, ambitio, avaritia potius, quam vera neceſſitas, in quam citra ſuam culpam incidit, haud raro agat; ita multo minus gentium jure talia ſancita eſſe credi, vel dici debet. Quis enim atrox iſtud factum, quo *Arthurus* Baro *Grejus*, Hiberniæ Prorex, in Hiſpanos, Italosque & Hibernos, cum munimenti *Fort del Or* dicti deditionem nulla adjecta conditione feciſſent, ſæviit, prolixius *Camdeno* e) explicatum, probaverit? *Cum enim dedititii Anglos numero æquarent, periculum à rebellibus, qui plures quam mille quingenti, immineret, Angli victu & veſtitu ita deſtituerentur, ut tumultuaturi eſſent, niſi ex munimento ſpoliis hoſtilibus ſublevarentur, navesque deeſſent, quibus hoſtes aveherentur: in hanc ſententiam Prorege invito & lacrymante itum eſt; ut ſervatis ductoribus, reliqui in terrorem promiſcue occiderentur, Hibernici autem ſuſpenderentur, quod mox factum.* Eliſabetha certe *infectum maluit, ſævitiam etſi neceſſariam,* uti fingebatur, *in dedititios ex animo averſata, & rationes cædis commiſſæ ægre admiſit.* Accurate denique *Grotius* f) diſtinguit in gentium

d) *l. B.* 3. 4. 5.

e) *Eliſab. ad an.* 1580. *f. m.* 295. *ſq.*

f) *l. B. P.* 3. 3. 8.

tudines rationabiles tranſire potuiſſe, & tranſiſſe dicimus. Oportet autem has conſuetudines eſſe de re honeſta, quas degeneraſſe alias in privilegium peccandi rectius dicitur, quam in verum jus; publice item utiles, omniumque populorum ſalutem reſpicientes: h. e. ut in commune proſint, ſi vel maxime uni atque alteri non placent genti v. c. barbaræ, feroci, quæ jus in armis habet; ut proinde & hic locum habere poſſit illud Catonis, apud *Livium*: b) *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt; id modo quæritur, ſi majori parti, & in ſumma prodeſt.* Accedere præterea debet uſus exigens conſociationis gentium qua talium, atque neceſſitas, cujus impulſu populi in ejuſmodi conſuetudines conſenſerunt, quod juxta datum à ſe exemplum, in ſe quoque animadverti nollent, quod futurum videbant. Lacedæmonij certe, apud *Thucydidem*, c) nil gravius in Themiſtoclem Legatum Athenienſium ſtatuerunt, ne ſui ad eoſdem Legati paria ſubire cogerentur. *Facile*, ait *Frontinus*, d) *id præſtiterunt Lacedæmonij, ne unius interitum multorum morte penſarent.* Unde Ebræorum Judex Simſon, e) rationem redditæ vindictæ Philiſthæis, quorum fruges combuſſerat, daturus, dixit: *Sicut fecerunt mihi, ita feci illis*: probatum & illuſtratum eximio commentario à B. *Brentio.* f) Vetuſtate quoque comprobatas illas conſuetudines eſſe neceſſe eſt. *Conſuetudinis jus*, inquit *Cicero*, g) *eſſe*

b) 34. 3.

c) *l. 1. hiſt. f.* 30.

d) *Strateg. l.*1.*c.*1.*n.*10.

e) *Iud.* 15. 11.

f) *Comm. h. l.*

g) *de Invent. p.* 70.

eſſe putatur id, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit. Cum enim illarum neceſſitas ſtatim in vario gentium commercio apparuerit, tam belli quam pacis tempore, inferre licet, ex illius quoque ſenſu in iſtas conſuetudines gentes quoque conſenſiſſe. Hinc etiam admodum pauca de milite voluntario gentium jure conſtituta ſunt. Cum hoc militiæ genus, ſecundum hodiernam conſuetudinem, longe *recentius* ſit, uti *jure militari Germanico* h) dicitur, quam ut dicto jure de illo multa ſanciri potuerint. Quantum vero temporis ſpatium requiratur, ad conſuetudinem aliquam introducendam, ut vim legis & juris acquirat, ex Scholaſticis diſputat doctiſſimus *Iagerus.* i) Cæterum conſuetudines non quaslibet, ſed directrices actuum inter gentes publicorum, qui in publico, & ſociali, civiliq; commercio inter eaſdem intercedunt, intelligimus, cum de gentium jure ſermo eſt. Cum enim *ad mutuam gentium inter ſe ſocietatem jus hoc pertineat,* uti ſæpius cum *Grotio* k) notatum; neceſſe quoque eſt, conſuetudines, quas in gentium jus tranſire, & tranſiiſſe dicimus, pari indole eſſe præditas. Hujus generis ſunt *ſingularis illa, ac ſolennis Legatorum ſecuritas,* uti *Rachelio* l) celebratur, etiam *ab hoſtibus venientium, & forte perpetrata injuria etiam hoſtilia denunciantium,* quam *non juri naturæ, ſed arbitrio gentium acceptam ferendam* eſſe ſcribit: *Solennis* item

belli

h) Reuter Beſtall. *art.* 25.

i) *tract. de LL. p.* 305. *add. noſtr. diſquiſ. de I. G. art.* 6. *§.* 20.

k) *I. B. P.* 2. 8. 1.

l) *de Iure G. §.* 104.

paratio, aut infida pax eſt. Neq; ſe Roma, jam terrarum orbe ſuperato, ſecuram ſperavit fore, ſi nomen uſq; ſtantis maneret Carthaginis. Adeo odium certaminibus ortum, ultra metum durat, & ne in victis quidem deponitur, neq; ante inviſum eſſe deſinit, quam eſſe deſiit, monente Vellejo Paterculo. c) Recte etiam Cominæus, d) eſt ſane, inquit, quædam nobis innata pravitas, adeo magna quidem, ut nulla plane ratio nos ab injuriis, & violentia, coërceat. Ne de prædandi libidine, quæ apud priſcos & mediæ ætatis homines pudore caruit, quid dicam: Thucydides, e) certe, οἱ γὰρ Ἕλληνες, inquit, πάλαι καὶ τῶν βαρβάρων οἵ τε ἐν τῇ Ἠπείρῳ παραθαλάσσιοι, καὶ ὅσοι νήσους εἶχον, ἐπειδὴ ἤρξαντο μᾶλλον περαιοῦσθαι ναυσὶν ἐπ' ἀλλήλους, ἐτρέποντο πρὸς λῃστείαν, ἡγουμένων ἀνδρῶν οὐ τῶν ἀδυνατωτάτων, κέρδους τοῦ σφετέρου αὐτῶν ἕνεκα, καὶ τοῖς ἀσθενέσι τροφῆς. & Græci olim & barbarorum quicunq; in continente maritimi erant, quicunq; inſulas incolebant, ubi cœperunt crebrius alij ad alios navibus tranſire, ad latrocinium converſi ſunt, ducibus viris mediocris potentiæ, tum ſui quæſtus, tum pauperum victus gratia: additque, id factum nullo ob id pudore; quæ prolixius ibi commemorantur. De Nordalbingis etiam Chriſtianam religionem profeſſis autor eſt Helmoldus, f) quod Saxonum licet jura & Chriſtianum nomen tenuerint, furtis tamen & latrociniis operam dare conſueverint. Hodierni Arabum, Tartarorum, & Maurorum pruritus,

c) hiſt. l. 1. c. 12.

d) Com. l. 10. p. m. 691.

e) Bell. Pelop. l. 1. ſ. 2.

f) l. 1. Chron. Slav. c. 47. p. 114.

Digitized by Google

tus, ad exercenda in alias gentes latrocinia, fœdere pacis non obſtante, noti ſunt.

§. 10. Sicut itaque recta in homine ratio ubique ad ea, quæ commune bonum, neceſſitas, & honeſtas exigunt, reſpicit; ita quoq; gentes, ſanæ rationis dictamina ſecutæ, ſenſerunt, quod cōmune omnium bonum, ad quod omnes jus habent; humanæ ſocietatis ſtatus, cujus conſervandæ ſtudium omnibus incumbit; & honeſtas, quam in negotiis, inter gentes humanas tractandis, obſervari jus naturæ præcipit; cunctis, ſi ſalvæ eſſe velint, imperet, ad conſentiendum in commune aliquod vinculum, quod ligamine reciproco omnes conſtringeret, & communem inter ſe agendi juris regulam, quam ſequerentur. Huic contraire non potuerunt, niſi ſimul ſtudium boni publici exuere, naturam ſocialem abnegare, omnemque honeſtatem peſſundare, in animo habuiſſent; prævalente vel naturæ feritate, uti *Ammian. Marcellin.* a) Hunnos, quos *expeditum, indomitumq; genus hominum* appellat, *externa prædandi aviditate flagrantes immani, per rapinas & cædes finitimorum graſſari*, olim memoriæ prodidit; vel ſuperſtitione, uti Turcæ, vel Muhamedani, lege impoſtoris prædas agere jubentur. b) Verum quippe eſt illud *Polybij*: c) Τὸ τῶν ἀνθρώπων γένος καὶ προσδοξοποιούμενον, οὐχ ἧττον διὰ τὴν ἀλογιστίαν, ἢ διὰ τὴν φύσιν ἁμαρτάνει, *humanum genus adſcititiis inbutum opinionibus, non pauciora* per

a) *l. 31. c. 4.*

b) *Alcoran. Azoar.* 34. 71.

c) *l. 17. hiſt. c. 13.*

per inconſiderantiam, & pravam ratiocinationem peccat, quam per naturam. Sicut itaque ſocialitatem, atque ipſum Rerumpublicarum contextum, gentiumque unionem atque conſociationem, juris gentium *fundamentum*; præceptum ſocialitatis naturale *cauſam remotam*; honeſtatem inter gentes commercij, & comunnem omnium populorum neceſſitatem, *cauſam impulſivam* eſſe dicimus; ita gentium voluntatem dictaminibus rationis, in cauſis quæ modo allegatæ ſunt fundatis, obſequentem *cauſam* juris Gentium facimus *proximam*.

§. II. Diverſi vero ſunt actus voluntatis hujus populorum, qua cauſa eſt juris gentium. Cum enim ſtatum ſuum, gentium nimirum conſociationem, non ſine commercio, quod illæ inter ſe exerceant; nec hoc ſine certa norma agendi ſubſiſtere poſſe prudenter animadvertant, animadverterintque, ex dictamine, & inſtinctu urgente rationis ſocialis, quæ omnibus eadem, tacite in communia deſcenderunt placita ſocialia, altera alterius gentis facta probante, & imitante. Quanquam enim verum ſit illud *Senecæ:* a) *Putas tu, poſſe ſententiam unam omnium eſſe? non eſt unius una*; bene tamen mox addit: *Veritatis una vis, una facies eſt.* Et *Cicero.* b) *quibus*, inquit, *ratio natura data eſt, iiſdem etiam recta ratio data eſt: ergo & lex, quæ eſt recta ratio in jubendo & vetando: ſi lex, jus quoque.* Cum itaque communis omnium ſalus

a) *Epiſt.* 102.

b) 1. *de LL.* P. 162.

lus in unitatem quandam gentes coire cogat, tacite primo voluerunt, & ex finis neceſſitate voluiſſe cenſeri debent, iſta negotia, quæ ad communem omnium utilitatem pertinent, cum variis caſibus atque revolutionibus cunctæ ſint obnoxiæ, una aliqua forma expediendi adminiſtrari. Myſianos, qui legatos Romanorum occiderant, *Agathias* c) refert, cum extrema ab his ſibi imminere cernerent, *proprias emenſos vires, quod nec bello pares Romanis fore ſe ducerent, nec bellum ſuſtinere diutius poſſent, Oratores miſiſſe ad hoſtes precatum, ne ſe perdere ad internecionem vellent.* Commercij inter gentes ſumma neceſſitas, & ex iſto orta utilitas, Barbaros hos ad pactum cum Romanis circa Legatorum jura tacitum adegit, ut ex finis neceſſitate ſe coactos ſenſerint, ad amplectendum agendi per legatos modum, inter gentes receptum, quem ceu unicum ſuæ ſalutis medium agnoverant, ferocia licet obſtrepente ante Romanorum legatos trucidaverant. In aliis caſibus cum alij idem fecerint populi, alij rurſum hoc intuentes, quod talia facta probarent, ad ea provocarunt, ceu publicam agendi inter gentes in publico commercio regulam; uti Romanos Volſcis, per legatos agrum ſuum & erepta oppida repetentibus, reſpondiſſe autor eſt *Dionyſ. Halicarnaſſ.* d) *Nos juſtiſſimas poſſeſſiones ducimus, quas armis victores quæſivimus: Nec νόμον legem iſtam nos primi conſti-*

c) *Hiſt. l.* 4. *f.* 532.

d) *Antiq. Rom. l.* 8.

tuimus, ἅπαντας τε καὶ Ἕλληνας καὶ βαρβάρους εἰδότες αὐτῷ χρωμένους, *quum omnes tam Græcos, quam Barbaros, hac uti ſciamus.* Accedunt gentium voces, ubi *ſuis ſe moribus domari*, uti de Thracibus Barbarorum cruentiſſimis *Flori* e) loquitur, animadverterunt; quas in ejuſmodi anguſtiis conſtitutas, contra gentium jus ſecum agi, queſtas conſtat. Denique ſicut qui ſciens, & libere volens tacet, conſentire videtur, f) ita ſi populus, altero ad gentium jus provocante, tali provocationi cedit, tacetque, in illud conſentire utique videtur, idemque agnoſcere, niſi validæ in contrarium aliæ dentur rationes.

e) *l. 3. c. 4.*

f) *Grot. l. B. II. 4. 5.*

§. 12. Non equidem nos latet, moribus & factis gentium juris nomen ſæpius prætendi, cum quod inter gentes talia licere dicantur, tum quod in conſuetudinem iverint inter eaſdem. Formulæ apud ſcriptores paſſim extant. Verum hujus loci illa non ſunt: Cum quod, quæ v. c. *apud gentes in imperio dominioq́, in ſervos, aſpere, duriter, ſæve fiunt, juris gentium nomine præſcribantur.* Bœclero a) obſervante, non niſi abuſus hujus tituli cenſeri debet. Servitus enim, quia non ſic *ad mutuam gentium inter ſe ſocietatem pertinet, ut ab uno populo aliis inconſultis mutari non poſſit*, uti de gentium jure proprie tali *Grotius* b) philoſophatur, juris gentium iſtam non eſſe, dubio caret. Quoties enim *aliquod juris hujus ſcitum invertitur, alia Reſpublica læditur:* quod, uti recte *Hornius* c) differit, *univerſa natura*

a) *Comm. Grot. l. 2. c. 5. p. 192.*

b) *I. B. P. 2. 8. 1.*

c) *de Civit. l. 1. c. 3.*

Digitized by Google

tura Iuris Gentium, in relatione & reſpectu ad alium populum ſita ſit. Ne dicam, ſæpe juris mentione *non tale intelligi, quod actu omni culpa liberet, ſed impunitatem*, explicante *Grotio*.d) Idem cenſendum de illis, quæ ex *ratione belli* haud raro committuntur: Quibus ut injuſte hic præſcribitur titulus, quod agentem rabies, furor, crudelitas, ambitio, avaritia potius, quam vera neceſſitas, in quam citra ſuam culpam incidit, haud raro agat; ita multo minus gentium jure talia ſancita eſſe credi, vel dici debet. Quis enim atrox iſtud factum, quo *Arthurus* Baro *Greyus*, Hiberniæ Prorex, in Hiſpanos, Italosque & Hibernos, cum munimenti *Fort del Or* dicti deditionem nulla adjecta conditione feciſſent, ſævit, prolixius *Camdeno* e) explicatum, probaverit? *Cum enim dedities Anglos numero æquarent, periculum à rebellibus, qui plures quam mille quingenti, immineret, Angli victu & veſtitu ita deſtituerentur, ut tumultuaturi eſſent, niſi ex munimento ſpoliis hoſtilibus ſublevarentur, navesque deeſſent, quibus hoſtes aveherentur: in hanc ſententiam Prorege invito & lacbrymante itum eſt; ut ſervatis ductoribus, reliqui in terrorem promiſcue occiderentur, Hibernici autem ſuſpenderentur, quod mox factum.* Eliſabetha certe *infectum maluit, ſævitiam etſi neceſſariam*, uti fingebatur, *in deditios ex animo averſata, & rationes cædis commiſſæ ægre admiſit.* Accurate denique *Grotius* f) diſtinguit in gentium

d) *l. B.* 3. 4. 5.

e) *Eliſab. ad an.* 1580. *f. m.* 295. *ſq.*

f) *l. B. P.* 3. 3. 8.

 com-

commercio inter illa, quæ *à more & inſtitutis ſunt quorundam populorum*, ab illis quæ ſunt *à jure gentium*.

§. 13. Cæterum quæ, & qualia, *in gentium jus abire populi voluerint*, diſquirendum. Horum numero ſunt primo *juris naturalis præcepta*, quæ ad gentium conſociationem formandam, & dirigendam etiam pertinent, & applicari poſſunt. In certos quippe cœtus congregati homines, cum ſocialem & rationalem non exuunt naturam, ſociales uti conſtituunt civitates, ita etiam, qua tales cœtus atque gentes conſtituunt, ad leges ſociales obligantur. Naturalis lex eſt de *fide ſervanda*: Verum non privatos tantum homines, ſed integros quoque cœtus, atque gentes, illa ligat, cum *fide abrogata*, uti Appius apud *Livium* a) loquitur, *omnis humana ſocietas tollatur*, & ſic etiam gentium ſocietas diſſolvatur. Publica hinc hæc fides dicitur, quam gentes qua tales ſibi invicem præſtare debent, cum *Quintiliani* b) judicio, *ſupremum rerum humanarum vinculum fides* ſit; quaq; læſa, etiam communi gentium voce jus gentium lædi dicitur. Unicuique ſuum tribuere; neminem lædere; ab alieno abſtinere; pati alios juxta ſe ſuis frui juribus; non lucrari cum damno alterius, aut damnum ſentire per alterius lucrum; ſeu, uti *Cicero* c) loquitur, *hominis incommodo ſuum non augere commodum*; juris naturalis ſunt præcepta, quæ non minus integras gentes in pu-

blico

a) *l. 6. c. 41.*

b) *Declam. 343.*

c) *3. Offic. p. 56.*

Digitized by Google

blico commercio ligant, quam ſingulos mortales in vita privata. Μήποτε γὰρ οὐκ ἔστιν διαφέρει τὰ καθ' ἰδίαν ἀδικήματα τῶν κοινῶν ἀλλὰ πλήθει μόνον, καὶ μεγέθει τῶν συμβαινόντων, *nihil enim admodum privatorum injuria à publicis differunt, niſi multitudine, & magnitudine delictorum,* recte monet *Polybius.* d) Quod itaque ratione principij, & fontis, juris eſt naturalis, ratione uſus, atque peculiaris accedentis obligationis, ſit juris gentium, uti juris civilis ſit præceptum, lege licet naturali ſanciatur, quod à poteſtate civili cum obligatione efficaci proponitur. Pari quippe ratione, quod à gentium voluntate vim obligandi accepit, qua ſic ligat, gentium etiam juris dici poteſt, ſit licet ratione rei præceptæ juris naturalis. e) Locum proin hic habere etiam poſſunt, quæ alibi doctiſſimus JCtus noſtras *Tabor* f) ſcripſit: *Materialiter nonnulla juris publici* (juris G.) *capita ex his etiam fontibus hauſta ſunt, non item formaliter & efficienter, quomodo multa juris N. & gentium capita integra per nudam approbationem in civitatem Romanam ſunt recepta.*

§. 14. Deinde in gentium jus etiam abierunt *conſuetudines,* ex quo cum mutua inter populos obligatione ſunt receptæ, ita *ut ſine ſcripto jus venerit, quod uſus comprobavit,* uti loquitur *Iuſtinianus.* a) Non vero de gentium jure quod *conceſſivum,* ſed quod *præceptivum* vocare ſolent, ſermo nobis eſt, quod nexu reciproco gentes ligat; in hoc conſuetudi-

d) *l. 4. c. 29.*

e) *conf. diſquiſ. de Orig. I. G. art. 5. §. 12.*

f) *Select. quæſt. ad Weſemb. diſſ. 1. n. 6.*

a) *Inſt. de I. N. G. & C.*

tudines rationabiles tranſire potuiſſe, & tranſiſſe dicimus. Oportet autem has conſuetudines eſſe de re honeſta, quas degeneraſſe alias in privilegium peccandi rectius dicitur, quam in verum jus; publice item utiles, omniumque populorum ſalutem reſpicientes: h. e. ut in commune proſint, ſi vel maxime uni atque alteri non placent genti v. c. barbaræ, feroci, quæ jus in armis habet; ut proinde & hic locum habere poſſit illud Catonis,
b) 34. 3. apud *Livium*: b) *Nulla lex ſatis commoda omnibus eſt; id modo quæritur, ſi maiori parti, & in ſumma prodeſt.* Accedere præterea debet uſus exigens conſociationis gentium qua talium, atque neceſſitas, cujus impulſu populi in ejuſmodi conſuetudines conſenſerunt, quod juxta datum à ſe exemplum, in ſe quoque animadverti nollent, quod futurum videbant. Lacedæmonij certe, apud *Thucydi-*
c) *l. 1. hiſt. f.* 30. *dem*, c) nil gravius in Themiſtoclem Legatum Athenienſium ſtatuerunt, ne ſui ad eoſdem Legati paria ſubire cogerentur. *Facile*, ait
d) *Strateg. l. 1. c. 1. n.* 10. *Frontinus*, d) *id præſtiterunt Lacedæmonij, ne u-nius interitum multorum morte penſarent.* Un-
e) *Iud.* 15. 11. de Ebræorum Judex Simſon, e) rationem redditæ vindictæ Philiſthæis, quorum fruges combuſſerat, daturus, dixit: *Sicut fecerunt mihi, ita feci illis*: probatum & illuſtratum exi-
f) *Comm. h. l.* mio commentario à B. *Brentio*. f) Vetuſtate
g) *de Invent. p.* 70. quoque comprobatas illas conſuetudines eſſe neceſſe eſt. *Conſuetudinis jus*, inquit *Cicero*, g)

eſſe

eſſe putatur id, quod voluntate omnium ſine lege vetuſtas comprobarit. Cum enim illarum neceſſitas ſtatim in vario gentium commercio apparuerit, tam belli quam pacis tempore, inferre licet, ex illius quoque ſenſu in iſtas conſuetudines gentes quoque conſenſiſſe. Hinc etiam admodum pauca de milite voluntario gentium jure conſtituta ſunt. Cum hoc militiæ genus, ſecundum hodiernam conſuetudinem, longe *recentius* ſit, uti *jure militari Germanico* h) dicitur, quam ut dicto jure de illo multa ſanciri potuerint. Quantum vero temporis ſpatium requiratur, ad conſuetudinem aliquam introducendam, ut vim legis & juris acquirat, ex Scholaſticis diſputat doctiſſimus *Iagerus.* i) Cæterum conſuetudines non quaslibet, ſed directrices actuum inter gentes publicorum, qui in publico, & ſociali, civiliq; commercio inter eaſdem intercedunt, intelligimus, cum de gentium jure ſermo eſt. Cum enim *ad mutuam gentium inter ſe ſocietatem jus hoc pertineat,* uti ſæpius cum *Grotio* k) notatum; neceſſe quoque eſt, conſuetudines, quas in gentium jus tranſire, & tranſiiſſe dicimus, pari indole eſſe præditas. Hujus generis ſunt *ſingularis illa, ac ſolennis Legatorum ſecuritas,* uti *Rachelio* l) celebratur, etiam *ab hoſtibus venientium, & forte perpetrata injuria etiam hoſtilia denunciantium,* quam *non juri naturæ, ſed arbitrio gentium acceptam ferendam* eſſe ſcribit; *Solennis* item *belli*

h) Reuter Beſtall. *art.* 25.

i) *tract. de LL. p.* 305. *add. noſtr. diſquiſ. de I. G. art.* 6. *§.* 20.

k) *I. B. P.* 2. *8.* 1.

l) *de Iure G. §.* 104.

belli denuntiatio; & complura alia, quæ ad gentium jus, conceſſivum inprimis, pertinent, qualia ſunt v. c. *jus repreſſaliarum*; item quod quæ bello ſolenni hoſti eripiuntur, ſtatim capientium fiant, &c.

§. 15. De *Vniverſalitate* diſquiritur, an ejuſmodi conſuetudines in G. J. tranſeuntes, univerſales quoque debeant fieri, ita ut actu ab omnibus ſimul agnoſcantur gentibus? quod nobis non ita videtur. Poſſe enim jus aliquod univerſale dici, etſi ab omnibus non obſervetur populis, legis naturalis, furtum prohibentis, exemplo patet; cum apud Lacedæmonios furta olim licita fuiſſe ex *Plutarcho* a) conſtet, tradatque idem de Ægyptiis *Diodorus Siculus*: b) quicquid ſit de univerſalitate præcepti. Nam & in gentium jure ratio illorum, quæ hujus juris ſunt, univerſalis eſt, gentium nimirum ſocialitas, qua ad officia ſocialia aliis populis exhibenda, etiam barbaræ gentes obligantur, ita ut in conſuetudines quoque, cæteris probatas cœtibus, conſentire debeant, ſi humaniter ſecum agi, parique temperamento tractari velint, quo alij tractantur populi, communique cum illis frui jure. Hottentotii certe, ut hodie appellantur illi populi Æthiopiæ inferioris, qui ad Africæ promontorium, quod *Caput Bonæ Spei* dicitur, habitant, etſi moribus ſuis plane ſenſum ſocietatis moratioris excuſſerint, contra vim tamẽ à Batavis paſſam, jura ſua non

a) *Lycurg.* f. 47.
b) l. 1. f. 36.

Digitized by Google

non inepte vindicare ſciverunt, *Dappero* c) rem prolixius commemorante. Sylveſtres autem, & feras gentes, beſtiarum & ferarum inſtar viventes, quod attinet, uti Luſitani olim *Straboni*, d) *latrociniis belloq; continenter, cum ſeſe invicem, tum Tago tranſmiſſo finitimos infeſtaſſe* dicuntur; atq; in inſulis Americanis *Petrus Martyr* e) *Caribes vagos circumvicina omnia, homocnpÿ cauſa, pertriviſſe, hominesq; intractabiles, qui hoſpites non patiebantur, fuiſſe* refert; tantū abeſt, ut horum populorum ferocitas univerſalitati juris gentium objici poſſit, ut ſi quis eandē hac de cauſa negatum ire velit, ſimilis ſit futurus illis, qui juris naturalis univerſalitatem negatum ſuſtinent, quod integræ gentes dentur, quibus ea judicantur honeſta, quæ jure naturali turpia ſunt, ceu prolixius docet *Sextus Empiricus*: f) ex noſtris *Euſebius*, g) alii. Certe ubi, uti apud *Phædrum* h) habetur, *quæ ſua exempla debuit æquo animo pati* gens, ad jus, & apud gentes reliquas receptas conſuetudines, à ſe aliquando irriſas, provocavit, hoc ipſo cenſeri debet in iſtas conſenſiſſe. Animæ talium barbarorum, *licet*, ut *Tertulliani* i) huc accommodemus verba, *carcere corporis preſſæ, licet inſtitutionibus pravis circumſcriptæ, licet libidinibus, & concupiſcentiis evigoratæ, licet falſis Diis exancillatæ, cum tamen reſipiſcunt, ut ex crapula, ut ex ſomno, ut ex aliqua valetudine, & ſanitatem ſuam*

c) *Afric. deſcr. f.* 605. 619.

d) 3. *Geograph.*

e) *Ocean. decad.* 3. *l.* 9. *p.* 307.

f) *Pyrrhon. Hypotyp. l.* 3. *c.* 24.

g) *Præpar. Evang. l.* 1. *c.* 3. *l.* 6. *c.* 8.

h) *F.* 26. 12.

i) *Apolog. f. m.* 844.

am patiuntur, & jura nominant, & ad jur. provocare ſolent. Actu itaque licet univerſale gentium jus non ſit, niſi reſpectu populorum moratiorum, fundamentum tamen & ratio ejuſdem univerſalis eſt, omnes omnino gentes concernens.

§. 16. *Pacta* & *conventiones* gentium non ut actum paciſcendi notant, ſed ut dicuntur id, de quo gentes inter ſe convenerunt ad gentium jus pertinere, illudque conſtituere, illi non negabunt, qui cum *Zouchao*, a) *præter mores communes, pro jure etiam inter gentes habendum eſſe cenſent, in quod gentes ſingulæ cum ſingulis inter ſe conſentiunt, utpote per pacta, conventiones, & fœdera:* quibus tamen ſimpliciter non ſubſcribimus. Quod enim nexu reciproco duas tantum, vel tres ligat gentes, reliquis regulæ inſtar eſſe non poteſt, & ſpecialis potius alicujus vinculi, quam juris publici imperiorum univerſi rationem habet. Quo etiam cæteræ gentes non magis ſe obligari patientur, atque Carolus Guſtavus Sueciæ Rex ann. 1659. alligari voluit *Conventi & decreto, inter Galliam, Angliam & Belgii Confœderati Ordines* inito, *ad fœdus inter Septentrionis Reges promovendum, & perpetuo ſanciendum*, b) publice hoc nomine, coram Legatis mediatoribus, iſtis pacis legibus, ceu libertati gentium contrariis, contradicens apud *Londorpium*. c) Ne dicam, cum ejuſmodi gentium pacta varient, varium quoque, & mul-

a) *de Iure inter Gent. P. I. p. 3.*

b) *conf. Diar. Europ. Continuat. I. p. 229.*

c) *Act. Publ. t. 8. l. 615.*

multiplex, inter moratiores etiam populos, gentium jus, quin & ſibi invicem haud raro contrarium, hoc modo dari poſſe. Malumus proin cum *Mevio*, d) illa *quæ juris Gentium ſunt, & quæ pactis populorum ejuſmodi conſtituuntur*, diſtinguere; cum hæc, monente *Zieglero*, e) non niſi *abuſive gentium jus dici* mereantur.

d) *Prodrom. Iuriſprud. Gent. inſt.* 5. *n.* 16.

e) *Not. in Grot.* 3 6. 3. *p.* 546.

§. 17. Quanquam vero hæc ita ſint, non tamen negamus, ea quæ juris gentium hodie ſunt, & inter plures recepta populos, ejuſmodi particulari pacto inter unam & alteram gentem, primo fuiſſe conſtituta: Quæ ceteræ dein imitatæ ſunt, impulſu rationis ſocialis, uſu ita exigente, & quod ejuſmodi decentem, ſuæ item ſummitati, atque paritati, convenientem publica negotia tractandi modum, communis omnium utilitas poſtulare, & urgere videretur. Ῥᾷστα οἱ ἄνθρωποι τά τε ὠφελοῦντα ϗ βλάπτοντα καταμανθάνουσιν, ὅταν ἐπὶ παραδείγματα ταῦτα πολλ' ἂν ὁρῶσι, *ea quæ proſunt, & quæ obſunt facillime cognoſcunt homines, quando ea ex multorum exemplis vident*, recte ſcribit *Dionyſius Halicarnaſſ.* a) abrogati Romæ Decemviratus cauſas explicaturus. De barbaris inſularum, à Colono detectarum, autor eſt *Martyr*, b) quod delatos ad ſe novos hoſpites ſic fuerint imitati, ut Hiſpanis, *ſole ad occaſum vergente, dato ſalutationis Angelicæ ſigno, genua flectentibus, iidem illi facerent: crucem quocunq; modo Chriſtia-*

a) *Roman. Antiquit. l.* 11.

b) *Rer. Ocean. dec. l.* 1. *p.* 5.

nos

nos colere conſpicerent, adorarent. Certe quod alias in Rerumpublicarum adminiſtratione accidit, ut civitas civitatis alterius imitetur exemplum, uti *Appianus* c) tradit, Romæ aliquando exemplum ſumtum à Lacedæmoniis, *leges neceſſitati, τῇ χρείᾳ, poſthabendi*; id inter gentes quoque circa publicum commercium, atque publica negotia tractandi modum, accidiſſe, dubium non eſt. Nec alias origines, quam imitationem, tribuimus mutis ſignis, ex conſuetudine aliquid ſignificantibus apud gentes moratiores, à barbaris receptis, uti Mauros, ab Hiſpanis in expeditione Tripolitana pacem petentes, in illorum *conſpectum velo albo in terram defixo,* hoc nomine veniſſe *Thuanus* d) refert. Ita recentiores Turcarum hiſtoriæ plura exhibent exempla obſervati ab iiſdem, uſurpati alias à moratiori orbis parte moris, quam ſuperiores; cum temporum ſucceſſu, & cum moratioribus populis commercio, etiam moratiorum gentium conſuetudines & pacta, quod ſeneſcenti ſuo imperio Ottomannico etiam conſulere illas cernerent, imitari inceperint hi Barbari. Bene quippe *Macrobius,* e) *plebeja,* inquit, adde & barbara, *ingenia, magis exemplis, quam ratione capiuntur.* Accedente itaque longi temporis uſu continuo, oritur inter gentes opinio, quod talis mos, ceu utrinque tacite receptus, longaque praxi confirmatus, in publico commercio obſervari debeat. Unde cum mu-

c) *de Bell. Punic. f.* 68.

d) *l.* 26. *f.* 798.

e) 7. *Saturnal. c.* 4.

Digitized by Google

mutua ejus obſervantia, ceu conditionata, mutuam quoque obligationem, & ſic effectum pacti, pariat, quin tacitum pactum hoc ipſo una intervenire, vel interveniſſe dici poſſit, non dubitamus. *Nam*, ut bene loquitur *Iulianus*, f) *quid intereſt, ſuffragio populus voluntatem declaret, an rebus ipſis & factis?* Et hoc ſenſu etiam gentium jus εὑρήματα βίου καὶ χρόνου *repertum temporis & uſus* dicitur, uti ex *Dione Chryſoſtomo* notavit *Grotius*. g)

f) *l. 22. ff. de Leg.*

g) *I. B. P. I. 1. 14.*

§. 18. Efficacius tamen exempla valent in pejus. *Non enim*, uti graviter philoſophatur *Velleius Paterculus*, a) *ibi conſiſtunt exempla, unde cœperunt, ſed quamlibet in tenuem recepta tramitem, latiſſime evagandi ſibi viam faciunt: & ubi ſemel recto deerratum eſt, in præceps pervenitur: nec quiſquam ſibi putat turpe, quod alii fuit fructuoſum.* Verum jure naturali ejuſmodi imitatio non probatur; quæ ut honeſta ſit, non niſi in honeſto locum habet. ζηλοῦν γὰρ τίς ἂν βουληθείη τὰς παραλόγους ἐπιτυχίας; *nam imitari, quæ contra rationem eveniunt, quis optet?* jure quærit *Polybius*. b) Vindicando tamen per crimen commiſſa, jure gentium, intra *ulciſcendi quanquam & puniendi modum*, uti *Cicero* c) monet, licere creditur ſuis moribus cruentos perdomare hoſtes, quorum ſævitia aliter emendari non poteſt, uti Scordiſcos, ſæviſſimos Thracum, *non aliter quam ſuis moribus à Romanis domitos* tradit *Florus*; d) quos alias Barbaro-

a) *Hiſt. l. 2. c. 3.*

b) *hiſt. 15. 34.*

c) *1. Offic.*

d) *l. 3. c. 4.*

rum perfidiam & immanitatem imitari, *Appianus* e) non probavit, negans Galbam, perfidiam perfidia ulciſcendo, feciſſe *ἀξίως Ῥωμαίων, ut Romanum decuit*. Pomeraniæ à Sarmatis factam vaſtationem ſcribit *Ioachimus Paſtorius*, f) *ut oſtenderetur hoſtibus*, (Succis) *quid in Polonia peccaſſent*. Prolixius, quæ huc pertinent, diſputat *Grotius*. g)

e) *Bell. Hiſpan f* 288.

f) *Flor. Polon. l. 7. p.* 606.

g) *I. B. P. l.* 3. *c.* 11. *ſqq.*

§. 19. Cæterum quod modum paciſcendi expreſſum attinet, quanquam aperta pactio univerſalis, vel quæ inter gentes moratiores, & Europæas, communi conſilio interceſſerit, non extet; paſſim licet ad gentium jus ab illis provocari, & hoc modo jus hoc, quod multis alias ridetur, agnoſci conſtet; complura tamen extant ejuſmodi pactorum exempla, quibus de certis juris gentium capitibus, expreſsâ conventione convenerunt cum Barbaris populi moratiores. Imo & inter hos nonnunquam talia dantur pacta, v.c. de Legatorum ſecuritate. Docent certe *Acta publica*, a) quantis difficultatibus diplomata Salvorum Conductuum, quibus ſecuritati Legatorum Suecicorum, in negotio Pacis Olivenſis, cavebatur, fuerint obnoxia, antequam debita prodirent forma. Ejuſmodi vero inter gentes moratiores pactis jus gentium rectius muniri, quam conſtitui, dicitur; quibus etiam haud raro deciduntur ea, quæ ſunt juris gentium dubii, & controverſi. Conſtat enim, exorta inter gentes contradictione, juris ſui tuen-

a) *Diar. Europ. contin. I. p* 122 *ſqq.* 170. *ſqq.*

tuendi cauſa, utrinque ad gentium jus provocari. Ita *Camdenus* b) refert, Paulum Dzialinum, Sigismundi Poloniæ Regis Legatum, coram Eliſabetha Angliæ Regina, alta voce queſtum, *jure gentium violato*, res Polonorum ad Hiſpanos tranſeuntes ab Anglis eſſe interceptas; regina ſic excipiente: *Quod Tu jus gentium prætendis, ſcire debes, exorto inter Reges bello, licere uni parti auxilia, vel ſubſidia ad alteram partem miſſa, intercipere, & providere, ne damni quicquam inde ſibi accidat.* Simile quid haud raro contigit, cum tranſitus per alterius terras innoxius, ceu gentium jure debitus, fuit poſtulatus. Confirmantur præterea pacto eadem, quæ jure gentium alias debentur: Rigor etiam ejuſdem mitigatur nonnunquam. Et uti, quæ jure hoc alias conceſſa creduntur, pacto tali prohibentur, ita contra communiorem praxin, receptamque inter gentes conſuetudinem, alia conceduntur. c)

b) *Eliſab. an.* 1597.

c) *conf Diſquiſ. de Orig. I. G. art.* 7. §. 9.

§. 20. *Materia circa quam* J. G. ſunt *actus gentium publici*, ſive publicum illud commercium, quod inter gentes, qua tales, intercedit; quod uti certorum actuum exercitio conſtat, ita gentium jure decens agendi ordo ſancitur, quo ſocialiter in commune omne gentium bonum cuncta fiant, atque gerantur. Nimirum, uti ſocialis vita, qua ſinguli conjungimur, citra commercium mortalium ſubſiſtere neſcit, & ob multiplicem indigentiam, varioſque, quibus per univerſam vitam

jactamur, caſus, mutua hominum à ſe invicem dependentia datur, quæ varia quoque urget officia ſocialia, ut *lapidum fornicationi ſocietatem noſtram hinc ſimilem* dixerit *Seneca*; a) ita & conſociatio perſonarum compoſitarum, hoc eſt integrarum gentium, quæ inter ſe æque ſociales eſſe, & conſociari debent, atque ſunt perſonæ privatæ, omni carere neſcit commercio, quod proin ut indoli ejus reſpondere, ita quoque jure ſingulari dirigi debet. Potentes enim populorum Rectores, rem ſæpe male conſiderando, *nihil aliud, quam aut vanos errores, aut præſentes cupiditates ob oculos habentes, fortunæ crebras mutationes non recordantur, poteſtatemque ſibi ad communem ſalutem conceſſam in aliorum perniciem convertunt*; ut huc accommodemus verba *Franciſci Guicciardini*. b) Qualia vero involvat negotia, quibuſque exerceatur actibus, commercium hoc inter gentes publicum, tam pacis quam belli tempore, poſt *Grotium*, *Vaſquium*, *Alberic. Gentilem*, *Zouchaum*, aliosque, delineare alibi c) placuit.

a) *Epiſt.* 95.

b) *l.* 1. *hiſt.*

c) *Diſquiſ. de Orig. I. G. art.* 9. §. 5. *ſqq.*

§. 21. Sequitur hinc, in *hoc naturam, & formam juris gentium conſiſtere*, quod ſit regula actuum publicorum, qui in mutuo populorum commercio ſunt neceſſarii, quos efficaciter in communem omnium dirigit utilitatem; & vinculum, quo nexu reciproco neceſſitudine quadam populi ligantur, ad unitatem humani generis, magnæque, quam omnes

Digitized by Google

omnes conſtituimus, ſocietatis conſervandam, non obſtante ejus diviſione in complures diverſos, diſtinctosque cœtus civiles, ne ſe mutuo lædentes nexum humanæ conſociationis laxent. Unde *maximum* hoc eſſe *vinculum, & quaſi ſanctioris cujuſdam neceſſitudinis*, ut verbis *Ciceronis* a) ſic uti liceat, omnes confiteri tenentur, qui intelligunt, quantum momenti in re ſitum ſit, quæ de felicitate humani generis præclare meretur. *Sicut* enim *cujusq; civitatis jura utilitatem ſuæ civitatis reſpiciunt, ita inter civitates omnes, aut pleras-que, ex conſenſu jura nata apparent, quæ utilitatem reſpiciunt non cœtuum ſingulorum, ſed magnæ illius univerſitatis*, uti loquitur *Hugo Grotius*. b) Hoc enim eſt quod gentium jus dicitur.

a) *l. 13. Epiſt. 17.*

b) *de I.B.P. Proleg.*

§. 22. Diſquiritur adhuc, *unde juris* hujus *obligatio* naſcatur? Proxime nimirum, & adæquate, non ex jure naturali. Uti enim gentium jus à jure naturali diſtinctum, diverſumque eſt, ita quoque diverſa utriusque eſt obligatio. Illius formaliter humana, hujus divina. Nam illud jus humanum, hoc divinum eſt: quicquid ſit de hoc, quod, uti *Hobbius* a) contendit, *eadem utriusque, naturæ & gentium juris, præcepta* haud raro exiſtant; cum & juris civilis à jure naturali diverſa ſit obligatio, licet illius leges, hujus quoque ſint nonnunquam præcepta, uti legibus civilibus, & naturalibus, adulterium prohiberi conſtat.

a) *de Civ. c. 13. §. 4.*

 Sed

Sed uti ſumma ejus neceſſitas inter origines hujus juris unâ cenſeri debet, ceu cauſa gentes impellens ad expreſſum partim, partim tacitum ejus conſenſum; ita conſenſus hic, citra fidem interpoſitam, ſanctèque ſervandam, intelligi non debet, cum communis omnium ſic urgeat neceſſitas. Non enim in aulis tantum, ſed & in gentium commercio, locum habet, auditurque illud *Duri de Paſcolo*: b) *Quem tibi vis fidum eſſe, ſei ut ſis fidus ſtude, nam falſo queritur ſe deceptum, qui prius alium decepit.* Conſenſus hic in obligationem eorum quæ ſunt juris gentium, non actus voluntatis populorum mere præſumtus eſt, ſed facto ſufficienter indicatus, cum uſu continuo, c) tum facta ad illud, ceu aſylum, & jurium ſuorum anchoram, provocatione, contra vim iſto jure prohibitam. Hæc vana fuiſſet, niſi jus hoc vim mutui vinculi inter gentes habere populus provocans crediditſſet. Sicut itaque conſuetudines, in partem juris civilis venientes, obligarunt cives ex voluntate, & præcepto ſummi civilis imperii; ita quæ ſunt juris gentium, obligationem conſecuta ſunt ex populorum voluntate, ſub fide mutua, tacite partim, partim expreſſe data. *Conſenſus* enim, ut loquitur *Grotius*, d) *qualitercunque indicatus, & acceptatus, vim habet juris transferendi.* Non ſane ſe ſubjeciſſet juris hujus legibus populus, vel ſe illis obligari paſſus fuiſſet, niſi alter tacite fuiſſet pollicitus, & ſe teneret

b) *Aulico Polit. reg.* 141.

c) *Grot. l. B. l.* 1. 14. *Rachel. de Jure Gent.* §. 37.

d) *I. B. P. III.* 24. 1.

Digitized by Google

neri illo jure velle, ſeque illi ſubjectum, agnoviſſet. Ex quo ſequitur, qui contra gentium jus peccant, illudque violant, peccare quoque contra fidem publicam, illamq; violare; cum in ea juris gentium obligatio ſit fundata. Intuens hæc Scipio apud *Appianum*, c) ad Carthaginienſium, toties violati gentium juris reorum, Legatos, ἐστὲ μὲν, inquit, οὐδεμιᾶς συγγνώμης ἄξιοι, πολλάκις ἐς σπονδὰς ἡμῶν ὑβρίσαντες, καὶ τὰ τελευταῖα νῦν καὶ ἐς πρεσβείας ἁμαρτάνοντες οὕτω φανερῶς καὶ ἀθεμίτως, ὡς μήτε ἐξαρνεῖσθαι, μήτε ἀντιλέγειν, ὅτι μὴ τῆς ἐσχάτης ἐστὲ τιμωρίας ἄξιοι, *vos quidem nulla venia digni eſtis totius violatis fœderibus, & poſtremo legatis quoque: quod nefarium facinus tam manifeſtum eſt, ut extrema quæq; pati ſitis meriti, veſtra etiam confeſſione.*

c) *de Bell. Pun. f.* 29.

SUBSECTIO II.

De

JURE CIVILI.

§. I.

JUre civili quid juſtum injuſtumve paſſim ſit, noſtræ equidem diſquiſitionis non eſt, cum id ex civilium legum interpretatione rectius cognoſcatur, quam quoad ea quæ ſunt mere poſitiva, cujuslibet civitatis jurisperitis relinquere malumus; id tamen non impedit, quo minus occaſione Grotianæ a) diſciplinæ

a) *de Iur. B. P. Proleg.*

 de

de Origine Juris Civilis quædam diſſeramus, de qua laudatus vir ita ſcribit: *Civilis juris mater eſt ipſa ex conſenſu obligatio, quæ cum ex naturali jure vim ſuam habeat, poteſt natura hujus quoq; juris quaſi proavia dici.* Et nonnullis interjectis, *juri civili*, inquit Idem, *occaſionem dedit utilitas: nam illa quam diximus conſociatio, aut ſubjectio, utilitatis alicujus cauſa cœpit inſtitui.* Quid Grotiani operis cenſores hic moneant, in præſenti non diſquirimus.

§. 2. Placet nobis, quod naturam humanam civilis juris *Proaviam* dici poſſe *Grotius* contendit. Nam perfectioris vitæ ſocialis appetitus, humanæ naturæ proprius, ad civilem tendens conſociationem, ea quoq; vult, quæ ad finem hunc ſunt neceſſaria; vinculum juris ſcil. quo ordo civilis conſervetur. Ferri hominem natura ad vitam ſocialem, animalque ex naturæ ſuæ reſidua adhuc rectitudine pacificum eſſe, contra *Hobbium*, & *Gaſſendum*, alibi diſputavimus. An vero appetitu naturali ad civilem feratur ſocietatem? etſi nonnullis negare placuit, ex recentioribus etiam; graviter tamen contra jam olim diſputavit *Ariſtoteles*, a) & ex illo *Cicero*. b) Feritatis erat, non inſtinctus rationalis, cujus ſenſum mores barbari exſurdaverant, quod *Ammiano Marcellino* c) ſcriptore, Hunni *omnes ſine ſedibus fixis, abſq; lare vel lege, aut ritu ſtabili diſpalati viverent, ſemper fugientium*

a) 1. *Pol.* 1. 2.

b) 1. *Offic.* 16.

c) *libr.* 31. c. 4.

tium ſimiles, cum carpentis in quibus habitabant. Ubi enim appetitus ordinatior, ex dictamine & directione ſanæ rationis, & intelligentia felicitatis humanæ, quæ in civili ſocietate obtinetur, proveniens mortales agit, ejus impulſu exſtimulantur ad appetendam ſocietatem, in qua ſuum munus optime & perfectiſſime perficere poſſunt, qualis eſt civitas; eximie hoc etiam explicante *Conringio.* d) Tendit enim natura ad id, quod eſt optimum, ſibique convenientiſſimum. Appetitui huic vitæ civilis non ſunt opponenda varia impellentia externa, & quæ occaſione tali contigerunt. Nam ſi vel maxime verum foret illud Monarchomachorum, & *Miltoni,* e) *nullum natura regem* eſſe contendentis; & *Alexandri Irvini,* f) *ſi omnium,* inquientis, *regnorum origines altius repetamus, vix aliam reperiemus, quam à jure belli profectam;* minime tamen negari deberet, hominem etiam omni malorum metu ablato, nihilominus naturali inſtinctu civilem appetere ſocietatem. Conjungi debent natura appetens, neceſſitas impellens, indigentia invitans, & recta ratio ordinans. Falſa licet ſit tam Miltoni diſciplina, quam Irvini hiſtoria, ceu alibi monetur.

§. 3. Ita natura commenta eſt civitatem, quæ ſecundum legem DEI æternam, non niſi ex ratione ordinata ſocietas eſſe poteſt. Ordo vero alius eſt perſonarum, alius actionum. Ordo perſonarum in hoc conſiſtit,

d) *de Urb. German. §. 8. ſqq. de Civ. §. 47. ſqq.*

e) *Defenſ. pro Pop. Anglic. p. 94.*

f) *Diaſcepſ. de Iur. Regn. c. 2.*

ſiſtit, quod aliis jus imperii, aliis gloria obſequij competat. Laudatur à ſcriptoribus Romanis, *Dionyſio Halicarnaſſ.* a) *Floro*, b) Servius Tullius, quod *populum Romanum, cujus multitudo hactenus indigeſta moles fuerat, relatum in cenſum, digeſtum in claſſes, curiis atq; collegiis diſtribuerit; ſumma ſolertia ordinata Republica, ut omnia patrimonij, dignitatis, ætatis, artium, officiorumq; diſcrimen in tabulas referrentur; ac ſi maxima civitas minimæ domus diligentia contineretur.* Actionum ordinem ipſa decori ratio, ex perſonis & circumſtantiis æſtimanda, vitandæque confuſionis Cyclopicæ neceſſitas urget. *Faciendi enim, vel non faciendi aliquid vera ratio, cum hominum ipſorum, tum rerum etiam, ac temporum conditione initur*, judicio *Plinij* junioris. c)

a) *Antiq. Rom. l. 4.*
b) *Hiſt. Rom. l. 6.*
c) *6. Epiſt. 27.*

§. 4. Quemadmodum itaque perfectioris vitæ ſocialis appetitus rationalis, tendens ad conformandam civitatem ad J. N. rectæque rationis, & ſic ipſius DEI leges æternas, Juris civilis cauſa externa remota dici poſſe videtur; ita fundamentum, & ratio ejus externa, eſt ipſa *ſocietas civilis*, ejuſque finis, tam communis, qui eſt Bonum publicum, quam particularis, quem quælibet civitas intendit, atque conſtitutio & ordinatio. Feruntur enim leges, ferrique debent, quatenus vel ad communem honeſtatem, ſine qua felicitas civilis obtineri non poteſt, pertinent; vel quatenus ſeorſum ad utilitatem civitatis, pro-

Digitized by Google

prout ejus conditio atque interna ſtructura,
item finis, quem ceu ſibi proprium intendit,
poſtulat, referuntur. Patet hoc exemplo
Reipublicæ Laconicæ, & Romanæ: Illa cum
ex *Polyby* d) judicio, ad *propriorum finium tui-* d) *l.6.c.48.*
tionem, & libertatis conſervationem, inſtituta fue-
rit, ad parandum ſibi in vicinos dominatum, &
ad principatum in Græcia conſequendum,
οὔτ' ἐν τοῖς κατὰ μέρος, οὔτ' ἐν τοῖς ὅλοις, *prorſus*
nihil quicquam, neq; in partibus Reipublicæ, neq;
in ſumma illius inſtituenda, Lycurgus ordina-
vit. Aliter omnia Romæ erant, quæ uti ha-
bebat δυναμικωτέραν σύστασιν, ita eorum inſti-
tuta quoque ad imperium armis augendum
magis directa fuerant. Eximie *Bæclerus* e) no- e) *Diſſ. Pa-*
ſter: *Legibus & civili æquabilitate conſtat & * *ter. 19. p.*
durat Reſpublica: hic ſpiritus & anima eſt, 1. *447.*
ex intentione DEI, harmonice Reſpublicas ordi-
nantis. 2. ex natura ſocialis appetitu ad confor-
mandam civitatem divinæ legi, voluntatique.
3. Ex fine ſocietatis omnis civilis. Hinc quan-
tum diſceditur, tantum à duratione & ſtabili-
tate Reipubl. diſceditur.

§. 5. Etſi vero naturâ honeſta & tur-
pia dentur, recte tamen obſervavit *Ariſtot.* a) a) *1. Eth. 3.*
τὰ καλὰ, καὶ τὰ δίκαια, περὶ ὧν ἡ πολιτικὴ σκοπεῖται,
τοσαύτην ἔχει διαφορὰν καὶ πλάνην, ὥστε δοκεῖν
νόμῳ μόνον εἶναι, φύσει δὲ μή, *in iis rebus, quæ ho-*
neſta & juſta ſunt, quas civilis ſcientia conſi-
derat, tantam eſſe varietatem, tantamq; in eis
verſari errationem, ut lege modo, non autem
natura

natura conſtare videantur. Diſcrepantiam hanc de rebus faciendis & non faciendis, quæ in populorum leges, & conſuetudines etiam tranſiit, & in Sapientum quoque placitis datur, exhibuit *Sextus Empiricus.* b) Nimirum, uti alibi c) idem loquitur ſcriptor, *quemadmodum conſentientes eſſe corpoream aliquam formæ pulchritudinem, de formoſa ac pulchra muliere diſſident, præferente quidem Æthiope naſi ſimitatem & nigrorum: Perſa autem commendante naſi aduncitatem & altorem; eodem modo bonum exiſtimantes homines id quod eos capit, de ſpecie inter ſe pugnant.* Finium hinc quoque particularium, quos ſibi cœtus civiles conſtituunt & præfigunt, magna datur varietas. Alibi enim libertatis & divitiarum potior, quam virtutis, habetur ratio; alibi, ut apud Romanos, ſtudium armorum ad acquirendum, & augendum imperium, pro fine habetur; alibi voluptas quæritur; prout nimirum ipſa locorum natura, rerum ad tentandum aliquid utilium & neceſſariarum copia, vel inopia, & ſuus cuique populo proprius ſenſus, ſive genius, diverſi propoſiti cauſa fuerunt. Ita τὰ περὶ τοὺς χρηματισμοὺς ἔθη, καὶ νόμιμα, *quod ad rem familiarem augendam* attinet, melioribus Romanos quam Carthaginenſes moribus, atque inſtitutis, uſos tradit *Polybius*: d) παρ' οἷς μὲν γὰρ οὐδὲν αἰσχρὸν τῶν ἀνηκόντων πρὸς κέρδος· Παρ' οἷς δ' οὐδὲν αἴσχιον τοῦ δωροδοκεῖσθαι καὶ τοῦ πλεονεκτεῖν ἀπὸ τῶν μὴ καθη-

κόν-

b) *Pyrrhon. Hypotyp. l. 3. c. 2:4.*

c) *ad Verſ. Mathemat. f. m. 169.*

d) *L. 6. c. 54.*

κόντων, nam apud hos nil turpe, quod cum lucro ſit conjunctum: apud illos nil turpius, quam largitionibus corrumpi, & malis artibus rem facere. Cum itaque ratio legum fundamentalis ex ipſa conſociationis civilis indole, ſcopo & fine petita, veræ honeſtati repugnare poſſit, repugnetque haud raro, pro vero fundamento legum ferendarum non habemus niſi illam ſocietatem, quæ ad virtutem formanda eſt. Sic enim quæ de utilitate Grotius affirmat, quam *juri civili occaſionem dediſſe* notat, accipimus, ut cum *Cicerone*, c) *quod non eſt honeſtum, ne utile* quidem *eſſe* cenſeamus. c) 3. *Offic.*

§. 6. Recte autem à Grotio inter fontes juris civilis refertur *Vtilitas*. Inter media enim conſervandæ conſociationis civilis præcipuum locum obtinent Leges. Hæ quippe neceſſariæ ſunt ad continendos in officio feroces, ne pravæ cupiditates in pejus, & omnis generis libidines, eos detorqueant, quo peſſimis vivant moribus. Pauciores enim ſuopte ingenio honeſta petunt, nil contra morem cupientes, ita ut exuta æqualitate *pro modeſtia, ac pudore, ambitio & vis incedere malit*, ſi cum *Tacito* a) loqui licet. Ex neceſſitatis itaque hujus ſenſu legibus, à quibus non diſcederetur, civitatem contineri placuit, quibus omnes obligarentur ad conformandas ſuas actiones, prout bonum publicum, & finis iſte particularis, quem civitas intendit, illas fini huic obtinendo convenienter produci ur- a) 3. *Annal.* 26.

urgent. Accidit præterea, ut ex alia ratione multum variet hæc utilitas, prout diverſimode formatæ & conſtitutæ ſunt civitates. Jam enim nationes, & urbes, aut populus, aut primores, aut ſinguli regunt; jam qui imperant præcipue ſuum, ſecundario parentium quærunt commodum. Hujus σύστασις eſt δυναμικωτέρα, quam conſtitutio alterius; uti ſupra *Polybium* b) audivimus Romanam Laconicæ præferre hoc nomine Reipublicæ. Ita alia civitatis maritimæ, alia autem à mari remotæ conſilia eſſe, Reip. Romanæ & Carthaginienſis exemplo conſtat. Nata eſt hac occaſione magna illa legum diverſitas, quibus in ſuis civitatibus adminiſtrandis gentes utuntur.

b) *l. 6. c. 48.*

§. 7. Cuſtodiæ vitæ civilis ſubjicimus *pacta*, quibus civitas in unum cœtum civilem coaluit. Cum enim non ſolum varia ſint hominum ſtudia, diverſique quos intendunt fines, ſed etiam ex amore libertatis, ex ſuo potius arbitrio, quam aliena voluntate, agere malint, niſi vis præſens cogens adſit, pacta neceſſaria ſunt, quibus malis hiſce obex ponatur, ſive expreſſe ineantur, ſive ceu tacite facta legitime præſumantur. Primum pactum eſt, quo, quibus in unum cœtum coaleſcere animus eſt, inter ſe conveniunt, quod communi conſilio, ſic ut omnium una voluntas eſſe debeat, peragere velint ea, quæ ad finem ſocietatis, & commune omnium bonum facere videbuntur. Nondum vero talis ſocietas, & in

hoc

Digitized by Google

hoc placitum conventio, perfectam conſtituit civitatem, cum deſit adhuc ſummum imperium, *ſpiritus ille*, ut rurſus *Seneca* a) loquitur, *vitalis, quem tot millia trahunt.* Aliud itaque pactum priori addatur neceſſe eſt, quo certus imperandi & parendi ordo conſtituatur, definiaturque non ſolum certa regiminis forma, numerusq; illorum, quibus, vel cui ſummum imperium competere debeat; ſed etiam ratio obſequij, an ſimpliciter illud præſtari debeat, & in omnibus, an vero in certis tantum, modoque definito. Et ſic qui plures erant perſonæ phyſicæ, fiunt una perſona moralis. b) *Seneca* c) corpora diſtinguens, hoc genus corporis illorum numero habet, *quæ ſunt ex diſtantibus, quorum adhuc membra ſeparata ſunt: cum illi per quos iſta corpora efficiuntur, jure aut officio cohærent, natura diducti & ſinguli ſunt.* Juramento ejuſmodi pacta jam olim paſſim etiam confirmari ſolebant. Sic apud *Paul. Diacon.* d) populus, poſtquam cum proceribus Leonis II. Imp filium Imperatorem popoſciſſet, juravit, ſicut & proceres, *Imperatorem non admittendi, excepto Leone ſeu Conſtantino, ac ſemine ipſorum.*

a) 1. *de Clem.* 4.

b) *Grot. l. B. P.* 2. 9. 4.

c) *Epiſt.* 102.

d) *Hiſt. Miſc. l.* 23. c. 2.

§. 8. Imperantes ergo cum ex vi imperij, & ratione officij, communi utilitati, cujus gratia cœtus civilis coaluit, reluctantes, qui antea pacto in ejuſmodi curam communis utilitatis & ſecuritatis habendam conſenſerant, ad obſequium, ad quod ſe obligaverunt,

runt, cogere poſſint; vigore ejuſdem pacti jus habent, ejuſmodi legibus illorum dirigendi voluntatem, quibus ad finem ſocietatis optime perveniri poſſe credunt. Licet itaque poteſtas ferendi in civitate leges non oriatur ex pacto, quo de regimine ejuſque forma inter ſe convenerunt imperantes & parentes, cum imperium, inter cujus jura iſta poteſtas pertinet, ſanctiores habeat origines; modus tamen conſequendi non ſolum pacto peragitur, ſed & legitimum facultatis hujus exercitium à pacto dependet. Prout enim cives ſuam voluntatem, ejuſmodi ſive tacita, ſive expreſſa conventione, ſubmiſerunt voluntati ſummorum imperantium, & prout ſub imperio, cui ſe ſubjecerunt, aliquid comprehenſum vel exceptum fuit; ita tales imperantes jus ferendi leges habent. Uti enim aliud eſt imperium, aliud modus habendi, ita quoque aliud ferendi leges poteſtas, aliud modus habendi, qui variat; ita tamen, ut ex *Seneca* a) præcepto, *non alio animo rectorem ſuum intueantur, quam ſi Dij immortales poteſtatem viſendi ſui faciant, venerando ſc. colendoque.*

a) 1. de Clem. 19.

§. 9. Datur etiam tale pactum, quod ſubditorum ſeu populi conſenſum ad condendas leges, quibus obligentur, involvit, inter imperantes & parentes in ejuſmodi regimine, ubi uni, vel pluribus, ita populus abſolute ſubjicitur, ut regendi ſui jus plane in illum, vel illos, transſcripſerit, nulla ejus juris parte

parte retenta, *Grotio*, a), quibus ex cauſis id fieri poſſit, eximie explicante. Sive enim ſponte ſe abſoluto, & herili alterius imperio ſubjiciant homines, ſive bello victi abſolutum victoris arbitrium ſubire potius, quam occidi malint, hac tacita recepti ſunt conditione, quod velint ratum habere, quicquid is cujus poteſtati ſe abſolute permiſerunt, ſtatuerit, *Sanderſono* b) etiam obſervatum. Arioviſtus hinc apud *Iul. Cæſarem* c) ait, ſe à Gallis à ſe victis *ſtipendium capere jure belli, quod victores victis imponere conſueverint, & ſi pace uti malint, iniquum eſſe de ſtipendio recuſare, quod ſuâ voluntate ad id tempus pependerint.* Apud Turcas etiam idem ſenſus eſt, ut, ceu homines ad ſervitutem nati, cæca obedientia omnia perferant, ſibiq; imponi patiantur, quæcunque Sultanus fieri præcipit: Id quod inter principia ſtatus Turcici referri, *Ricaut* d) docet; ita ut Kara Muſtapha, Veziriorum ſupremus, dixerit, *que pour la conſommation de tous honneurs, & pour la juſte récompenſe de ſa fidelité, il luy manquoit encore le ſaint martyre, & le bonheur de mourir par le commandement du Grand Seigneur.*

a) *L. B. P. I. 3. 8.*

b) *de Oblig. Conſc. Præl. 7. §. 23.*

c) *1. de Bell. Gall. 44.*

d) *Hiſtoire de l'Empire Ottoman. livr. I. c. 3.*

§. 10. In quæſtione vero, *quænam res civili imperio ſubmitti*, legibusque dirigi, & imperari poſſint? illud parum difficultatis habet, quod leges ferri poſſe dicantur, cum de toto civitatis ſtatu, tum de civium perſonis, rebus & actionibus; vel quod lege civili cir-

ca illa ſtatuatur, quæ lex naturæ non attingit, prout ſalus atque uſus Reipublicæ exigit: Quæ vis ſit imperij civilis circa religionem, & an à cive illa imperantis voluntati ſubmitti potuerit, debueritque, paucis diſquirendum. Theocratiæ Ebræorum exemplum, qua ipſe Rector gentis DEUS religionem certam ex vi imperij in conſcientiam illorum præſcripſit, plane ſingulare eſt, ceu alibi explicatum. *Peculiaribus quippe legibus ſtatum populi Iſraëlitici, ſimulq; religionem DEVS formaverat, ita ut ſtatus religioni, & religio ſtatui innexa eſſet*, bene obſervante *Puſendorſio*; a) verum in Rebuspublicis humanis res ſe aliter habet. Quanquam enim apud alias gentes mos hic priſcis invaluerit temporibus, ut eoſdem reges & ſacerdotes haberent, ceu de antiquiſſimo Phrygiæ rege Mida ex *Iuſtino* b) conſtat, *qui ab Orpheo ſacrorum ſolemnibus initiatus, Phrygiam religionibus implevit*: Item de Anio, Apollinis filio, de quo ſic *Virgilius*: c) *Rex Anius, rex idem hominum Phœbiq; ſacerdos*: Ne de Melchiſedeco quid dicam, Salemi rege, qui & ipſe ſacerdos DEI fuiſſe dicitur *Moſi*; d) vel de Numa, quem *plurima ſacra obiiſſe Livius* e) ſcripſit: Imperio tamen civili, & voluntati imperantium, ita crude & nude ſuam religionem cives neque ſubmittere debent, neque poſſunt, cum pertineat ad jura ſuperioris, DEI ſcil. in quæ poteſtati inferiori nihil facultatis eſt. Licet vero leges imperantes ferre

a) *de habit. relig. Chriſt. ad vitam civil.* §. 9.

b) *l.* 11. 7. 4.

c) 3. *Aeneid.* v. 80.

d) *Gen.* 14. 18.

e) *Hiſt.* 1.

Digitized by Google

ſerre non poſſint, quibus ad religionem vel à ſe confictam, vel à majoribus traditam, ſubditos cogant, illorumque conſcientiæ vim inſerant, quod non ſolum injuſte, utpote contra jus ſuperioris, ſed & ſine felici ſucceſſu facient, quod verus de DEO ſenſus intellectus non voluntatis ſit objectum, qui argumentis perſuaderi mavult; attamen cum vere *Lactantius* f) exiſtimet, *religionem cuſtodire hominum inter ſe ſocietatem*, lege prohibere poſſunt, ne quis talia moliatur, quæ ad religionem turbandam & ſubvertendam faciunt; hæc enim libertati voluntatis ſubjacent.

f) *de ira l. l. 12.*

§. 11. Ex hoc conſenſu, prout ſe tenet ex parte ſubditorum, atque imperanti legis ferendæ poteſtatem concedit, oritur illorum obligatio ad non impediendum eum, in cujus imperium in perſonam ſuam, & jus ſibi leges præſcribendi conſenſerunt, quo minus cum efficaci obligatione ad obſequium leges ſuas proponat; cum *quod ab initio erat voluntatis, poſtea effectum habet neceſſitatis*, eximie ex *Sozomeno*, a) hoc illuſtrante *Grotio*, b) verbis Valentiniani Imperatoris ad milites parum modeſtos: *Vt me ad imperandum vobis eligeretis, in veſtra ſitum erat poteſtate, ô milites: at poſtquam me elegiſtis, quod petitis in meo eſt arbitrio, non veſtro. Vobis tanquam ſubditis competit parere, mihi quæ facienda ſunt cogitare.* Recte etiam Emericus Hungariæ Rex apud *Bonfinium* c) ad ſubditos, civesque re-

a) *Hiſt. Eccleſ. l. 16.*
b) *l B. P. l. 3. 8.*
c) *Rer. Vng. Dec II. l. 7. f. m. 275.*

belles habito ſermone, *non tam,* inquit, *ve-ſtra ſuffragia, & hæreditaria jura, quam Divi ac ſacra hujuſce coronæ Numen, me Vngariæ regem præſtitere.* Prior illa obligatio, quæ naturalis, ad origines juris civilis, poſterior ad effectum poteſtatis legiſlatoriæ referri, nec cum hac illa confundi debet.

§. 12. Quanquam vero quæ de conſenſu ſubditorum in curam, & officium imperantis providendi ne civitas detrimenti quid accipiat, diximus, ita ſe habeant; ferendo tamen leges, Magiſtratus conceſſam ſibi divinitus poteſtatem exercet, ſi rite hoc facit, & operatur in virtute ipſius DEI, & ex ejus ordinatione. *Per me reges regnant, & legum conditores juſta decernunt*, divina ait Sapien-

a) *Proverb.* 8. 15. *ſq.* tia, a) Egregie *Theodoretus,* b) *peccatum,* inquit, *inordinatam & indecentem rerum confu-*

b) *t. IV Opp. Orat. 7. de Provid. f.* 396. *ſionem introduxit.* Ὁ δὲ τῶν ὅλων πρύτανις τῇ ἀταξίᾳ τὴν τάξιν ἐπέθηκε, καὶ τῆς ἁμαρτίας τὴν ῥύμην, οἷόν τινι χαλινῷ τοῖς νόμοις ἀνέστειλε· τούτου δὲ τοῦ χαλινοῦ τὰς ἡνίας, καθάπερ ἡνιόχοις, τοῖς ἄρχουσιν ἐνεχείρισεν, *huic vero ſummus ille rerum omnium gubernator ordinem præſcripſit, & peccati impetum legibus quaſi freno quodam cohibuit, atq; freni hujus habenas Magiſtratibus, tanquam aurigis, commiſit.* Nec aliter ſaniores ex Gentilibus. Ex quibus *Plinius* c) ad

c) *Paneg. c.* 80. Trajanum ſuum, *mundi parens,* inquit, *te dedit, qui erga omne hominum genus vice ſua fun-*

Digitized by Google

fungereris. Legibus ergo talibus ut etiam obtemperemus, divini juris eſt.

§. 13. *Proxime* itaque *originem legum* civilium derivamus ex imperio imperantis in perſonam, & caput civis, & ex facultate in ejuſdem voluntatem, & actiones. Hinc enim juſſum ſuperiorum vim obligantem habet, quod imperium, quando ſuam vim in caput & actiones ſubditorum exerit, naturaliter, modo licet morali, voluntatem liget, ad certo modo ſe in ſuis actionibus conformandum. Hinc ſuis conſtitutionibus civile imperium caput civis ſibi devincire poteſt. Unde rurſus *Theodoretus*; a) Οἱ νόμοι δὲ τῆς πτέντων ἐξουσίας ἐδέοντο· οὐ μόνον δὲ τῆς τιθέντων, ἀλλὰ καὶ τῆς κολάζειν τοὺς παραβαίνοντας δυναμένων, *leges legiſlatorum poteſtate opus habent, imo non legiſlatorum modo, ſed illorum quoque, qui tranſgreſſores punire poſſunt.* Non vero tantum à vi legiſlatoris cogente, ſed & à prudentia ejuſdem dirigente proficiſcuntur leges. Nam lex, ut eſt in legiſlatore, non voluntatem tantum & imperium, ſed & judicium includit. In ferendis enim legibus id attendere decet legiſlatorem, ut leges accommodate ferantur ad genium & indolem illorum, quibus præſcribuntur. Dirigit hoc judicium neceſſario civilis prudentia, juſti item rectique amor. Ex his principiis naſcuntur dictamina practica, id quod in legibus honeſtum, æquum, & utile eſſe debet, legiſlatori dictitantia.

a) *l. c.*

Οὕτω

b) *9. de LL. f. 654.* Οὕτω διανοώμεθα, inquit *Plato*, b) ἀεὶ νόμοις δεῖν καλῶς γίγνεσθαι ταῖς πόλεσιν, ἐν παιδείας τε καὶ μηδὲν σχήμασι, φιλούντων τε καὶ νῦν ἐχόντων φαίνεσθαι τὰ γεγραμμένα. Perſicas etiam leges hoc

c) *de Cyr. l. 1. f. 3.* nomine potiſſimum laudavit *Xenophon*, c) quod *primum id procurarint*, μὴ τοιοῦτοι ἔσονται οἱ πολῖται, ὥστε πονηροῦ τινος ἔργου ἢ αἰσχροῦ ἐφίεσθαι, *ne prorſus ejuſmodi cives ſint, qui pravi alicujus fœdivi facinoru libidine ducantur.* Socra-

d) *Memorab. Socr. l. 4. f. 805.* tes etiam apud eundem, d) νόμιμον δίκαιον εἶναι, *quod legibus conſentaneum, juſtum eſſe* dixit.

§. 14. Diſpiciendum reſtat, quid circa originem Juris Civilis νομαθεσία Moſaica præſtet. Conſtabat Corpus Juris Ebræorum triplice lege, à DEO, qui civilis Principis munus in gente hac exercebat, per Moſen Proregem data, Morali, Ceremoniali & Forenſi. Lex Moralis itaque cum ſit ſolennis repetitio juris naturalis, civili licet modo etiam Ebræis fuerit propoſita, præcepta illius, ſi ſubſtantiam eorum ſpectes, inter fontes juris civilis eadem referre licebit ratione, qua ſupra leges naturales hoc loco habuimus. Mere Judicialia autem præcepta, (nam de Ceremonialibus res videtur manifeſta, quod hujus loci nō ſint) cum non habent vim obligandi ex ipſo dictamine rationis, ſed ſunt *determinationes præceptorum moralium ad ordinationem hominum*

a) *1. 2 q. 104. art. 1.* *ad invicem*, uti loquitur *Thomas*, a) quæ ex divina inſtitutione obligarunt gentem Ebræorum tantum, ad alios populos non pertinent.

Quan-

Quanquàm enim reduci poſſint ad præcepta Decalogi, quæ tam late patent, quam ipſa natura humana, & proinde omnes obligant mortales; non tamen propterea magis reliquas conſtringunt gentes, quam non aliarum civitatum leges reliquos ligant populos, quorum jura æque in lege morali fundantur, ut de jure Romano conſtat ex *collatione iſta Moſaicarum & Romanarum legum*, quam cum notis edidit *P. Pithæus*. *Grotio* b) equidem *valde probabilis* videtur *Scoti ſententia*, *fas non eſſe quenquam ad mortem damnare, niſi ob delicta quæ lex per Moſen data morte punivit, addito duntaxat, aut quæ his ſunt paria recta æſtimatione*. Dato hoc, ſequitur partem juris civilis, quæ de pœnis ſcelerum agit, ex jure Moſaico Forenſi rectius peti, quam ex placito ſummi civilis imperii. Verum enimvero cum leges Moſaicæ Forenſes Theocratiæ Ebræorum propriæ, nec aliis populis præſcriptæ fuerint, non apparet, qui in ratione ſupplicij capitalis, ob cauſam civilem inferendi, in noſtris Rebuſpublicis vim legis habere poſſint, ut proinde fas non ſit, quenquam mortis ſupplicio afficere, niſi ob delicta jure Forenſi Moſaico capitalia; cum Theocratia Ebræorum multa ſingularia habuerit, ſive Republicæ hujus conſtitutionem, ſive fines ejuſdem peculiares, ſive ſtructuram internam, ſive alias denique loci, temporis, & gentis hujus circumſtantias ſpectes, quæ hodie apud nos aliter ſe-

b) *l. B.P. II. 1. 14. add. Bachov. ad Treutler. vol. 2. diſp. 30. §. 3. lit. g. Anton. Matthæus de Crimin. tit. de furt. n. 6.*

c) *l. c.* habent. Inſtat equidem *Grotius,* c) *non videri notitiam divinæ voluntatis, quæ ſola animum tranquillat, aliunde in hoc negotio tam gravi haberi poſſe, quam ex illa lege, quæ certa mortu pœnam in furem non conſtituit.* Verum cum de divina voluntate, ſupplicia capitalia probante, non ſolum ex divinis ſcripturis, ſed & ex jure naturali evidenter conſtet, ſecundum divinam voluntatem etiam tuto aget judex, ſi ſecundum vitæ ſocialis neceſſitates, quæ modum puniendi præſcribunt, mortis pœnam irrogandam eſſe cenſuerit. Quod enim fit convenienter ſociali neceſſitudini humanæ ſocietatis, fit convenienter divinæ quoq; voluntati; vitam quippe ſocialem cuſtodiri DEUS vult. Unde cum Forenſes leges non ſint univerſales, nec omnibus ad obſervandum propoſitæ, ſed Ebræis tantum; hi ſoli, non reliqui populi, voluntatem DEI obligantem ex lege, quæ mortis pœnam in furem non conſtituit, & rationem ſupplicij capitalis inferendi, cognoſcere tenentur, olimque tenebantur.

§. 15. Illuſtrabimus dicta exemplo pœnæ, adulterio apud Ebræos conſtitutæ. Satis conſtat, divina per Moſen ſanctione, a) adulterio ſupplicij capitalis pœnam fuiſſe conſtitutam, quæ ex naturalis æquitatis ſenſu, ob multiplicem ſceleris hujus turpitudinem, etiam aliis gentibus placuit, & adhuc hodie placet; aliis licet alio pœnæ genere in delinquentes animadvertere viſum fuerit, videatur-

a) *Levit.* 20. 10. *Deut.* 22. 22.

turque. b) Uti vero qui ſecundum divinæ legis juſtam ſeveritatem noxium hoc Reipublicæ crimen ultimo ſupplicio vindicandum eſſe cenſent, merito bene audiunt; ita nec in divinam legem peccare illi dici debent, qui mitiori pœna utuntur. Singulares enim in Republica Ebræorum circumſtantiæ gravius hoc reddebant crimen, quæ in Chriſtianorum, & aliorum populorum, civitatibus delicto huic non accidunt. R. *Levi* quidem apud *Hottingerum*, c) rationem hujus ſanctionis pœnalis hanc tradit, *ut incolatur* ſcil. *mundus ad voluntatem* DEI. *Voluiſſe autem DEUM benedictum, ut omnes creaturæ mundi ſui proferant fructus ſecundum ſpeciem ſuam, neq; ſpecies cum ſpecie commiſceantur. Idem etiam obtinere voluiſſe in ſemine humano, ut conſtet cujus quodvis ſit, neq; hoc cum illo confundatur. Inſuper plures reperiri corruptiones in adulterio, quæ cauſa exiſtunt plurimorum mandatorum. Præcepiſſe nobis DEUM, honorare parentes: at illos filiis non innoteſcere. Eſſe etiam offendiculum plurimis illorum, quæ juſſi ſumus. Sic prohiberi congredi cum ſororibus, & aliis uxoribus multis: at omnia adulterium tollere, quod non norint homines propinquas ſuas.* Verum communia hæc ſunt omni adulterio, etiam apud alias gentes commiſſo, nec Ebraicum adulterium gravius olim reddiderunt, quam hodie eſt inter Chriſtianos commiſſum. Quod itaque apud Ebræos adulterium ſingulari qua-

tam

b) *Selden. Uxor. Ebraic.* l. 3. c. 11. *ſq.*

c) *Jur. Ebræor.* L. 35. p. 48.

dam ratione morali afficiebat, morale partim, partim ceremoniale erat. Morale fuit, quod viro uxorem ob fœditatem aliquam averſanti, ob σκληροκαρδίαν, ut Chriſtus loquitur, d) ne alienas fœminas incontinens pollueret, permiſſum erat, eandem dato libello divortij repudiare, ne adulterio vinculum matrimonij perrumperent irreconciliabiles conjuges. Minor itaque peccandi neceſſitas, ab adulteris prætendi uti poterat, præprimis ſi vera ſunt, quæ ex placitis Sammæanorum & Hillelianorum circa divortij cauſas doctiſſimus diſputat *Seldenus*, e) ita delinquentes majori peccabant προαιρέσει. Προαιρετικὸν enim ſecundum *Ariſtotelem* f) dicitur ita, ὡς ὂν πρὸ ἑτέρων αἱρετὸν, *tanquam quod ſit præ cæteris ſumendum.* Ratio vero hujus legis Ceremonialis reddi poteſt ex *Theodoreto*, g) ἵνα ſcilicet ἀκέραιον διαφυλαχθῇ τοῦ Ἰούδα τὸ σπέρμα, δι' οὗ τὴν εὐλογίαν ὁ Θεὸς τοῖς ἔθνεσιν ἀπηγγείλατο, *ut ſincerum conſervetur ſemen Iudæ, per quod DEVS benedictionem gentibus pollicitus fuerat.* Certe ſi ob hanc rationem DEVS *tribus Ebræorum diſtinctas eſſe ſtatuit*, contendente *Theodoreto*, h) nec abnuente *Brentio*; i) ſique lex *de ducenda fratria*, k) notante *Iohanne Muſæo*, l) populo Iſraëlitico *præſcripta fuerit, ad conſervandam diſtinctionem tribuum ac familiarum, cumprimis propter genealogiam Meſſiæ, ex tribu Iuda, & poſteritate Davidis oriundi, ut de ea certius conſtare poſſet*: multo magis hoc nomine

d) *Matt.* 19. 8.
e) *Vxor. Ebraic.* l. 3. c. 20. ſq.
f) 3. *Ethic.* 2.
g) t. 1. *Opp.* q. *in Num.* 51.
h) *l. c.*
i) *Comm. in Num.* c. 36. f. 1004.
k) *Deut.* 25. 5.
l) *de Conjug.* §. 123.

Digitized by Google

mine pœnæ gravitate adulteria in gente hac coërcenda fuerunt.

§. 16. Cæterum quanquam Leges Moſaicæ Forenſes vim legis in noſtris civitatibus hodie non obtineant, hunc tamen retinent adhuc uſum, ut de eo quod æquum eſt, atque juſtum, in legibus ferendis legiſlatorem informare poſſint, ita ut cæteris paribus leges ejuſdem ſenſus ferre liceat, pœnales inprimis, cujus ſunt leges Moſis Forenſes; ita ut quanquam hodie, poſtquam Ebræorum Reſpublica ſuum ſortita eſt finem, ad nullam gentem ſub ratione leg s obligantis pertineant, omnes tamen imperantes, velut exemplum aliquod, & ſpeculum optimæ cujuſdam νομοθεσίας, docere poſſint, quales ſe condere leges deceat; explicatum etiam ſecundum Theologorum diſciplinam *Hugoni du Roj.* a) Ut proinde & hoc quoque nomine à *Gregorio Nazianzeno* b) Moſes vocatus νομοθετῶν ἐπιφανέστατος, *ex legiſlatoribus illuſtriſſimus.*

a) *de eo quod juſt. l. 2. tit. 3. n. 8. ſq. p. m. 174.*

b) *Orat. dicta in præf. Greg. Niſſ. f. m. 35.*

§. 17. Quemadmodum itaque jus civile Romanum ob ſingularem æquitatem, qua inter alias gentium leges eminet, atque cum jure naturali convenientiam, tantam inter populos obtinuit auctoritatem, ut complures ex jure Romano juri ſuo civili ſtatuta inſererent, oſtendente id *Arthuro Duck,* a). atque *Lindenbrogio* b) obſervante, *etiam nunc in Galliæ Hiſpaniæq; Scholis, ob ſolam æquitatis rationisq; præſtantiam ſtudioſæ juventuti prælegatur;*

a) *de uſu & Auth. I C. R. in Dom. Princ. Chriſt.*

b) *Proleg. in Cod. LL. Antiq.*

tur; ita leges Moſaicæ Forenſes ſanctitate, æquitate & juſtitia, civiliq; prudentia incomparabiles, paſſim etiam Phœnicibus in uſu fuerunt, à quibus ad Græcos, & ab his ad Romanos tranſierunt. Multa etiam ex Ebræorum fontibus Pythagoras hauſit, quem per Charondam Catanæum, & Zaleucum Locrum, multis Italiæ civitatibus *leges ſciviſſe*, *Porphyrius* refert; c) cujus etiam diſcipulis civitates Italiæ *reſpublicas gerendas commiſiſſe*, idem ſcripſit. *Zaleuci leges*, inquit *Seneca*, d) *Charondaq; laudantur. Hi non in foro, nec in conſultorum atrio, ſed in Pythagoræ tacito illo ſanctoq; ſeceſſu didicerunt jura, quæ florenti tunc Siciliæ, & per Italiam Græciæ ponerent.*

c) *Vit. Pythag. p.* 189.

d) *Epiſt.* 90.

§. 18. Denique ex his, quæ de jure civili Ebræorum Forenſi hactenus diſputavimus, concludimus, quod etſi ratione doctrinæ, & exempli, omni alij juri civili præferri debeat, quod, uti *Hugo du Roy* a) rurſus loquitur, *accuratiſſime determinatum, ac principiis rectæ rationis accommodatum ſit, juxta populi iſtius ſingularem conditionem & ſtatum, cum naturalis ratio inter homines DEI reſpectu imperfecte admodum judicet, & in determinando eo quod juſtum eſt, non raro hallucinetur*: in genere tamen legis civilis non majorem apud nos habeat auctoritatem, atque vim obligandi, quam jus civile, quod alibi hodie à ſummis præſcribitur poteſtatibus: De quo ſupra prolixius egimus.

a) *l. c. l.* 3 *tit.* 8. *§.* 4.

§. 19.

§. 19. Cæterum cum & *ſine ſcripto jus veniat, quod uſus approbavit*, atque *diuturni mores conſenſu utentium comprobati legem imitentur*: a) quomodo conſuetudines in leges civiles tandem tranſeant, paucis videndum erit. Accidit id conſuetudini ſi rationabilis eſt, & generali, & ſpeciali ratione. Illud contingit, ſi facit ad finem omnibus civitatibus communem, qui eſt civilis felicitas, quæ vitæ honeſtate, & vivendi commoditate abſolvitur; hoc, ſi fini civitatis ſpeciali & proprio congrua eſt, atque privatorum etiam rebus, & commodo, favere creditur. Conjungens hinc *Hippodamus*, apud *Stobæum*; b) τὸ ἔθος καὶ τὸν νόμον *conſuetudinem & legem*, καὶ καλὸν, καὶ συμφέροντα, *honeſtam, juſtam & utilem eandem eſſe* vult. Cum enim conſuetudo tranſit in vim legis, Reipublicæ ſalutarem eandem eſſe decet, uti publicæ utilitatis cauſa leges ferri debent. Sicut enim lex ex ratione æſtimatur, ita quoque conſuetudo, quæ vim legis obtinet. Talis quippe potiſſimum hic intelligenda eſt conſuetudo, quæ ubi invaluit, uti *Monteſinus* c) loquitur, *habet vim legis obligantis communitatem, non quæ poſſit obtinere vim legis, quantum ad hoc, quod eſt facere perſonam aliquam habilem ad obtinendum aliquid*, h. e. vim privilegij alicujus perſonalis; aut quæ illa concernit, quæ ex mera liberalitate, urbanitate, ex ſola etiam libertate fieri conſueverunt. *Illa ſola conſuetudo*, ait

a) *Inſtit. de jure nat. Gent. & Civil.*

b) *Serm. 41. f. 249.*

c) *in B. Thom. tom. 2. diſp. 23. q. 13 n. 224.*

d) Flor. Theol. Pract. Voc. Conſuet. n. 7. — Baſſeus, d) *obligat, quæ inducta fuit per modum præcepti: Vnde non eſt obligatio ex juſtitia ſervandi conſuetudinem in iis, quæ ex mera liberalitate &c. fieri conſueverunt.* Nam ſi, quo ſimili Rebellus e) utitur, *millies peregrinum aliquem ad domum tuam receperis, non acquiret quaſi jus poſſeſſionis, ut debeat recipi.* Irrationabilis autem conſuetudo dicitur, quæ publicæ honeſtati, veræ etiam utilitati repugnat, iniqua, turpis & injuſta. Exempla collegit B. noſter Berneggerus, f) quando ſcil. *naufragorum bona loci Magiſtratus ſibi rapit, atq; ita afflictis afflictionem addit: quando maritus mortuus cum uxore viva Vulcano conſociatur: quando ſponſarum caſtitatis florem ſponſo debitum Dominus decerpit: quando nobilibus hominem occidentibus, certa pecunia cadaveri impoſita pœnam redimere licet, &c.*

e) de obligat. juſtit. Part. I l. 1. q. 5. ſ. 43.

f) Quaeſt. in Tacit. q. 107.

§. 20. Ab honeſtate itaque, atque utilitate, *initium ſortitæ conſuetudines* rationabiles, *in uſum per ſucceſſionem corroborantur*, uti loquitur Tertullianus, a) & in vim legis invaleſcunt opera illorum, qui leges condere poſſunt. *Conſuetudo enim*, ut bene monet Collega noſter honoratiſſimus, Dn. D. *Schragius*, b) *& lex non differunt quoad cauſam efficientem, & poteſtatem, ſed quoad modum.* Lex enim conſtituitur ab eo, & juſſu ejus, qui ſummam in civitate habet poteſtatem, & ſic ſecundum Bodini c) diſciplinam, *momento ſeſe exerit; cum conſuetudo*, populi multitudine eam

a) de Virgin. veland. f. m. 490.

b) Introduct. in Pandect. de LL. §. 8. p. 64.

c) de Rep. l. 1. c. 10. n. 154.

Digitized by Google

tam primo inducente, *ſenſim, & ſumma omnium voluntate in hominum animos illabitur, ac temporis diuturnitate vim acquirit*, ſupervenienti patientia & ſilentio ſummi imperantis, quod conjecturam voluntatis & conſenſus ejus in conſuetudinem, in vim legis obligantis invaleſcentem, naturalem ſuppeditat. d) Cum enim ab illo toleratur, ad quem pertinet multitudini leges imponere, hoc ipſo cenſetur id probare, quod uſu multitudo introduxit.

d) *Thom.* 1. 2. q. 97. *art.* 3. *Grot. de I. B. P.* 2. 4. 5.

§. 21. In conſuetudine itaque inducenda, quæ vim legis habeat, ſuum primo agit populi multitudo, utilitate conſuetudinis, ad antiquum vel præſentem civitatis ſtatum comparatæ, invitata, & ratione impulſa; dein ſummus in Republica imperans, vel illi, penes quos eſt in civitate ſumma poteſtas. Populus ſubditus ad agendum vel *prater*, a) vel *contra*, vel *ſecundum* LL. ratione motus, per actus id facit (1.) voluntarios, & liberos tam ab errore intellectus, quam à vi metuque juſto: Cum, uti apud *Senecam* b) lege definitur, *per vim metumq; geſta, rata eſſe non debeant.* Nec à populo conſuetudo induci dici poteſt, ſi inducendi non habet voluntatem, aut errore deceptus ignorat quid agat. (2.) Sunt actus plures. Conſenſus enim totius populi, vel majoris partis, ex uno aliquo actu non ita colligi poteſt, ut per illum conſuetudo, in vim legis obligantis tranſiens, introducta dici poſſit. Quod ſi plures ſint, & (3.) continui, nec in-

a) *Molin. t.* 1. *de I. & Iuſt. diſp.* 77. *n.* 1. *ſq. Rebell. de obligat. P.* 1. *l.* 1. *q.* 5. *n.* 4.

b) *Controv.* IV. 26.

terrupti, *ſæpiusq; reiterati, omnes in poſterum hoc jure uti velle intelliguntur Franzkio*: c) quod etiam à *Monteſino* d) diſputatur contra *Sylv.* & *Angelum*. Ipſe etiam *Thomas*, e) *per actus exteriores multiplicatos interiorem voluntatis motum, & rationis conceptum, efficaciſſime declarari ait, quod ex deliberato rationis judicio provenire videatur, cum aliquoties fit.* (4.) Debent quoque eſſe actus diuturni. Ut enim conſequatur conſuetudo vim novum jus inducendi, & in legem obligantem tranſire queat, *opus eſt*, ſecundum *Rebellum*, f) *ut ſit præſcripta per ſufficientem temporis longitudinem.* Anni hujus, in quibus numerandis variant, g) jure naturali non determinantur; ſed *tempus, quo illa conſuetudo effectum juris accipit, eſt*, *Grotio* h) monente, *arbitrarium, quantum ſatis eſt, ut concurrat ad ſignificandum conſenſum.* Variare enim hoc, uti ipſa conſuetudo in vim legis invaleſcens variat, negari nequit. Quæ enim contra legem inducitur, uti vim legem poſitivam abrogandi habet, ita quin ad præſcriptionem majus temporis ſpatium requirat, quam conſuetudo ſecundum, vel præter leges invaleſcens, dubium non eſt. Bene B. noſter *Bœclerus*: i) *Prout plus minusve probabilitatis eſt in conſuetudine, eo majori minorive tempore ut convaleſcat, naturaliter opus habere videtur*; quod etiam de conſuetudine affirmat, *prout dignior & indignior eſt, quæ in communionem juris veniat.*

Ean-

c) *Inſtit. de L. N G & G. §. 9 pag. 21 ſq*

d) *in II Thō. tom. 2. diſp. 23 q. 13. n. 234*

e) *l. c. reſp.*

f) *de Obligat. l. c. n 2.*

g) *Dian. Reſol. Moral. P. VI. tract. V. Reſol. 2 ſqq ſ. m. 124 ſqq.*

h) *de I B. P. 2. 4. 5.*

i) *Com. in Grot. l. 2. de I. B P c. 4. p. 115.*

Eandem longi temporis præſcriptionem urget *Hierocles* apud *Stobæum*, k) Οὐχ, inquiens, *δ' ἧττον τῶν νόμων καὶ τὰ ἔθη φυλακτέον τά γε ὄντως πάτρια, καὶ τάχα που πρεσβύτερα καὶ τῶν νόμων αὐτῶν, conſuetudines revera patrias, & fortaſſis ipſis legibus vetuſtiores, nihil minus quam leges obſervandas eſſe.* k) *Serm.* 38. *f.* 229.

§. 22. Cæterum ut hanc vim plene conſequantur conſuetudines, ut fiant *lex non ſcripta, optimi legiſlatoris nomen inſcriptum habens,* uti loquitur *Hierocles*, a) conſenſus ſummi in civitate imperantis accedat neceſſe eſt, ſive expreſſus, ſive tacitus, qui colligitur ex ſcientia, & diuturna patientia ejuſdem in diſſimulandis legum tranſgreſſionibus, vel aliis actionibus; quibus conſuetudo etiam præter, vel ſecundum legem introducitur. Ut autem patientia, & ſilentium imperantium, valeat ad præſumendum conſenſum & conjecturam voluntatis, qua creduntur non voluiſſe ulterius legem valere, cujus contrarium per longum temporis ſpatium fieri permiſerunt, vel voluiſſe conſuetudinem invaleſcere in vim legis, requiritur, ut ſit ſcientium & libere volentium. Habet enim hæc conjectura, quam ſilentium & patientia ſuppeditat, *naturalem hanc*, ut B. *Bœclerus* b) cum aliis obſervat, *exceptionem; niſi appareat temporis cauſa, & peculiari ratione, atq; adeo non ſimpliciter, ſed cum adjunctione, neceſſitatis, ſeu temporaria* uti-

a) *l. c.*

b) *l. c. p.* 115. *add. Rebell. l. c. f.* 40. *n.* 14.

utilitatis, viam increbeſcenti contra legem conſuetudini non præcluſam eſſe.

§. 23. Originem *Iuris publici* quod attinet, cum diverſum apud diverſas gentes detur, cujuslibet populi ſapientibus atque peritis, hujus ſui juris Origines atque principia explicare relinquimus. In genere, quid cujusque civitatis jus ſit publicum, loquendo, recte Dn. *Maurit.* a) illud *nihil diverſum eſſe videtur à legibus, quæ directo & principaliter, h.e. intentione & executione, ad conſtitutionem & conſervationem alicujus Reipublicæ ſpectant.* Hujus origines, & principia, non dubitamus ex communi omnium bonarum legum fonte, lege DEI æterna, derivare. Etſi enim de conſtitutione, & conſervatione Reipublicæ, de juribus item imperantium & parentium determinate, quoad ſpeciem, nihil præcipiat, nec definitam regiminis civilis formulam præſcribat, leges tamen & ſtatuta hominum ad iſtam legem æternam dirigi debere, æque Gentiles atque Chriſtiani agnoverunt. Sic enim *Cicero,* b) *ergo eſt,* inquit, *lex juſtorum, injuſtorumq́; diſtinctio ad illam antiquiſſimam, & rerum omnium principem expreſſa naturam, ad quam leges hominum diriguntur, quæ ſupplicio improbos afficiunt, defendunt, & tuentur bonos.* Unde cum, quemlibet ſuo jure frui, legis hujus æternæ placitum ſit, publicum quoque jus in nullius civis injuriam tendere debet. Cum itaque vis legis æternæ per jus naturæ, ejuſdem-

a) *de Princ. I. Publ. Germ. c. 2. n. 2.*

b) *2. de Legg.*

Digitized by Google

demque dictamina, in mortalibus ſe exerat, eoſdemque ut in omni, ita in publico quoque jure formando dirigat, ex fonte legis DEI æternæ, atque ejus rivulo jure naturali, jus publicum emanare manifeſtum eſt; ita ut quicquid æqui & juſti in illo continetur, & ad felicem cœtus civilis conſociationem pertinet, in legibus iſtis æternis radicetur.

§. 24. *Fundamentum* & ratio propior, minusq; univerſalis, eſt ipſa civitatis conſtitutio, prout illi, qui in ejus ordinationem prævio pacto, ut ſupra explicatum, conſenſerunt, ſtatum illius formari, ex ratione boni publici privatique, finis item particularis, quem vel ex genio civium, vel ex natura locorum, Reſpublica aliqua intendit, eſſe iudicarunt. Ita variavit olim Spartæ, & Athenis, juris publici ratio, eximie id explicante *Xenophonte.* a) Cum enim Athenienſes ad potentiam ſuam augendam ſua convertorent ſtudia, rei navali eam dederunt operam, ut, *Thucydide* b) ſcriptore, præ aliis iſtius periti fuerint. Forma popularis, judice *Xenophonte,* c) ad finem hunc conſequendum quam maxime erat accmmodata, *δίκαιον τόδε, ὅτι ὁ δῆμος ἐστιν ὁ ἐλαύνων τὰς ναῦς, καὶ ὁ τὴν δύναμιν περιτιθεὶς τῇ πόλει, quod plebs & rem navalem expediat, & potentiam civitati conciliet.* Addit idem de *gubernatoribus, & incitatoribus nautarum, & remigibus quinquaginta præfectis, & proretis, & navium fabricatoribus, quod multo magis Rei-*

a) *de Rep. Lacedam. f.* 683. *de Rep. Athen. ib. f.* 691. *ſqq.*

b) *l. 7. bell. Pelopon. f.* 171.

c) *l. c.*

publicæ potentiam amplificarint, ᾗ οἱ πολῖται, καὶ οἱ γενναῖοι καὶ οἱ χρηστοὶ, *quam cives, quam nobiles, quam homines frugi.* Finis vero hic cum ex Lycurgi inſtituto Reip. Spartanorum non eſſet, ſed ſui tantum conſervatio; (hunc enim

d) *l 6 hiſt. c.* 46. potius cum *Polybio* d) Lycurgum civitatis, quam formabat legibus, habuiſſe ſcopum credimus, quam ſtudium alios ſubjugandi, iiſ-

e) *l.* 2. *Polit. c.* 7. demque dominandi, uti ab *Ariſtotele* e) accuſatur:) ſtatum optimatum introduxit prudens legiſlator. Colligitur hoc ex verbis etiam

f) *l.* 1. *f.* 7. *Thucydidis*, f) quando de Spartanis negat, quod *habuerint imperii ſui ſocios tributarios*, cum καθ' ὀλιγαρχίαν *Rempublicam adminiſtraverint accommodate*, σφίσιν αὐτοῖς μόνον ἐπιτηδείως, *ad ſuum morem.* Neceſſariam inſuper atque ſalutarem fuiſſe hanc juris apud Lacedæmonios conſtitutionem,

g) *t. I. Opp. Lyc. f.* 42. *Plutarchus* g) docet: Αἰωρουμένη γὰρ ἡ πολιτεία, καὶ ἀποκλίνουσα νῦν μὲν ὡς τοὺς βασιλεῖς ἐπὶ τυραννίδα, νῦν δὲ ὡς τὸ πλῆθος ἐπὶ δημοκρατίαν, οἷον ἕρμα τὴν τῶν γερόντων ἀρχὴν ἐν μέσῳ θεμένη, καὶ ἰσορροπήσασα, τὴν ἀσφαλεστάτην τάξιν ἔσχε καὶ κατάστασιν, *ſuſpenſa enim Reſpublica & nunc ad reges in tyrannidem vergens, nunc ad plebem in multitudinis arbitrium, ſenatus potentia inſtar obicis interjecta, æquilibrium retinens, tutiſſimum ordinem & ſtatum ſervavit.* Facta hæc ſunt non ſine pacto prævio, & conſequente, ceu ex *Plutarcho*, h) & *Ju-*

h) *l. c.*
i) *l.* 3. *c.* 3. 11. *ſtino* i) conſtat; quo & hodie jure Publico apud gentes multa conſtituta ſunt.

§. 25.

Digitized by Google

§. 25. In originibus juris publici explicandis etiam ad *Conſuetudines,* in vim juris invaleſcentes, recurrere nonnunquam licet. Illuſtre hujus rei exemplum ſuppeditat jus Publicum Germanicum, in quæſtione de Origine Electorum. Satis enim ab *Onuphrio Panvinio* a) communis illa eſt diſcuſſa ſententia, quæ lege Ottonis III. Electores conſtitutos fingit, cum ex ſcriptoribus rerum Germanicarum ſatis conſtet, Fridericum II. Ottone IV. à Pontifice excommunicato, conventu Principum, cui Rex Bohemiæ, Dux Auſtriæ, Dux Bavariæ, Landgravius Thuringiæ, & complures alij interfuerunt, fuiſſe electum, notante *Vrſpergenſi*, b) qui σύγχρονος fuit ſcriptor; cum, eodem memorante, c) *adhuc in cunis vagientem Principes Allemanniæ pene omnes in regem aſſumſiſſent.* Etſi vero, uti *aliarum conſuetudinum origo ignoratur, nec in conſiderationem venit,* ſecundum *Weſenbecium*; d) ita hujus quoque, *antiquæ laudabilis conſuetudinis*, uti *Aurea Bulla* loquitur, e) qua ſoli Electores Cæſaris eligendi jus habent, certa origo, ſive tempus ſpectes, ſive modum quo inducta fuit, explicari non poſſit: Etſi non dubitemus illam deberi magno iſti interregno Imperij Germanici, quo poſt exceſſum Conradi IV. uſque ad Rudolphum I. Germaniæ inſtauratorem, Reſpublica Germanica varie concuſſa fuit; quo minus tamen conſuetudine introductus hic mos dici queat, antequam ſo-

a) *de Comit. c. 6.*
b) *Chron. ad an. 1210. f. m. 327.*
c) *l. c. f. 318. b.*
d) *Paratitl. Dig. de Leg. §. 9.*
e) *c. 1.*

ſenni lege confirmaretur, nil impedit, annuente *Conringio*. f) Dimiſſa quippe ulteriori diſquiſitione hiſtorica, quæ ad liquidum forte vix perducetur, ulterius ex ſcriptoribus iſtorum temporum nil probabitur, quam actus ſingulares, electiones ſcil. à ſolis Septemviris inſtitutæ, quæ in notitiam & uſum in Imperio Germanico tranſierunt, nemine contradicente, id quod in probanda conſuetudine ſufficit. Actus enim illi, ceu ex ſupra dictis conſtat, introducere conſuetudinem ſolent, qui ſunt 1. voluntarij & publici, 2. rationabiles, 3. plures, 4. diuturni, 5. non contrario facto interrupti; g) cum, uti Moralium Doctores diſputant, *unicus actus contrarius probet non obſtare conſuetudinem, non obſtantibus mille actibus qui ſtent pro conſuetudine*. h) Tales vero actus tantum ex Scriptoribus rerum Germanicarum, de more eligendi Regis Romanorum per Septemviros, obſervare licet; unde, niſi conjecturas certioribus monumentis præferre velimus, munus Electorum in eligendo Romano Principe ſola conſuetudine invaluiſſe, donec ſuperveniente lege ſoleñi confirmaretur, ſimpliciſſime, & forte certiſſime omnium dicitur. Poſſet equidem credi, non fuiſſe actus ad inducendam conſuetudinem ſatis multos & diuturnos, i) cum jam Rudolphi I. ætate jus hoc Electorum certum fuerit. Verum cum hoc ex ſcriptore iſtorum temporum potius probari malim, quam ex *Alberto Argen*-

f) *Exercit. de Rep Imp. Germ. V. §. 32.*

g) *Dn. D. Schrag. Introd in Inſtit. de Iure N G. C. §. 94.*

h) *Suarez de LL. l. 7. c. 8. n. 14.*

i) *Lamped. de Republ. Rom. Germ. P. III. c. 4. n. 2.*

tinenſi, qui ſtylo ſuorum potius temporum fuit uſus, quam ſuperiorum, vel ex *Fragmento* aliquo *Hiſtorico* ſcriptoris cujuſdam incerti, certiora & liquidiora minus certis atque liquidis præferenda cenſeo. Puto itaque Rudolphi I. temporibus jus Electorum Cæſaris dicendi, nondum ita certum fuiſſe: ut cæteri Principes nō amplius potuerint contradicere, atque ſe ſuis juribus privari queri, quam erat tempore Adolphi Naſſovij, vel Alberti Auſtriaci; conſenſerint licet, partim propter exemplum Wilhelmi Hollandi, quem ex Chronico Ultrajectino *Iohannu Bekæ*, *à ſolis Septemviris, Papæ inſtinctu*, electum eſſe *Contringius* k) docet; partim propter autoritatem Pontificis, cujus fulmina iſta tempeſtate omnes metuerant, quem eoſdem Septemviros pari modo rurſus juſſiſſe conventus agere, ad eligendum Imperatorem, cognoverant. Credi hinc cœpit in ſequentibus temporibus à multis, Septemviros iſtos Electores, quod officiales eſſent Imperij, à Pontifice fuiſſe inſtitutos, quem errorem etiam, ut complures alios taceam, erravit cordatus alias rerum Germanicarum ſcriptor *Aventinus*. l)

k) *Annot. ad Lampad. l. c. p. 149.*

l) *Annal. Boj. l. 7. f. 576.*

§. 26. Pari ratione ſuperius de Origine juris civilis dicta, ad *Origines juris municipalis* explicandas, applicari poſſunt. Non minus enim & hoc ex fonte legis DEI æternæ per rivulos juris naturalis deſcendit, ita ut quæ in civitate à legiſlatore feruntur leges, præcipi-

 endo

Google

endo, prohibendoque actiones, quas ut tales lex naturæ non attingit, ad iſtam legem æternam dirigi debeant. Graviter B. *Auguſtinus* a) ait: *Conditor legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit æternam, de qua nulli animo judicare datum eſt, ut ſecundum ejus incommutabiles regulas, quid ſit pro tempore jubendum, vetandumve, diſcernat.* Hoc vero non impedit, quo minus pro utilitate, & neceſſitate multiplici privatorum, leges ferantur, cum mutua ope & indiſcreta unitate, ad felicitatem civilem obtinendam, honeſtum & utile convaleſcere debeant, licet civilis obligatio proxime ſit à voluntate illius, penes quem eaſdem ferendi eſt poteſtas. Interim non repugnat, quo minus etiam ex inſtitutis civilibus aliarum civitatum petantur, quæ corpori legum noſtræ civitatis inſerantur; prudenter modo id fiat, cum temporum mutatio, locorum varietas, diverſi hominum mores, ſtudia, affectus, atque animorum motus, leges quoq; variare jubeant, quæ neque omnium temporum, neque omnium locorum ſunt. Rationis ergo opus etiam LL. civiles ſunt, ex generalibus rationis dictaminibus, determinatis & applicatis ad certas ſpecies facti, prudenter ratiocinando collectæ concluſiones: quæ determinatio atque accommodatio præceptorum J. Nat. vel etiam J. Gent. aut aliarum civitatum, ad actiones no-

a) *t. 1 Opp. de ver. relig. c. 31.*

noſtrorum civium, cum peculiari obligatione novam juris conſtituit ſpeciem.

SUBSECTIO III.

De

JURE ECCLESIASTICO.

§. I.

INnotuit hæc juris ſpecies variis nominibus, & appellationibus, tam olim, quam hodie. Recentior eſt vocis *Iuris* uſurpatio, quæ tum potiſſimum invaluit, cum juſto DEO judicio permittente, Romani Pontifices Imperatorum, & Regum, jura atq; eminentiam, pedibus ſuis ſubjicere molirentur, ſubjicerentque; annuente *Paulo Lanceloto*, a) *libros juris Pontificij*, quod ſic appellat, *ad quandam imitationem illorum, qui in jure civili extant, fuiſſe conſcriptos atq; digeſtos.* Recte vero notavit B. *Zieglerus*, b) *potius ad æmulationem id factum dici poſſe, eo ſcil. tempore, quo avulſa eſt à Pontificibus Eccleſia ex Regimine Imperatorum & Principum, & quo primum ſtabilita eſt Monarchia Eccleſiaſtica.* Antiquior ſane Eccleſia *κανόνος*, *canonis*, h. e. *regulæ*, vocabulo uſa eſt; quanquam & *νόμους*, *leges*, iſtos *κανόνας*, *regulas* appellarint. Sic enim *Theodoretus*: c) Συνελθόντες εἰς τὸ συνέδριον, περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς πολιτείας νόμους ἔγραψεν εἴκοσι, *in concilium rurſus Epiſcopi convenientes, leges viginti*

a) *Inſtit. l. Can. Proœm*

b) *Not. ad Lancel. proœm.*

c) *l. 3. Opp: H. E. l. 1. c. 7.*

d) *H. E. l. 1. c. 22.*

viginti conſcripſere. Et *Sozomenus* d) ſimiliter Concilium Nicænum, ait, *ad mores eorum, qui in Eccleſiis ætatem degunt, rite inſtruendos omni cura & cogitatione incumbens, leges ſanciviſſe,* quibus *etiam Eccleſia gubernaretur.* Leges autem dicti ſunt iſti Canones, non ob Epiſcoporum poteſtatem leges ferendi, qua illi penitus caruerant; ſed quod vel *tacite*, vel Edicto & autoritate Conſtantini M. Canones iſtos probantis, vim legum accepturi erant, acceperantque, ipſo Imperatore parte Concilij Nicæni una exiſtente, qui ſe hoc nomine *συνθεράποντα*, *comminiſtrum* Epiſcoporum in eodem Concilio appellavit. e) Quanquam vero *Eccleſia Occidentalis ante Concilium Nicænum nullos noviſſe Canones Petro de Marca* f) dicatur, *quam moribus tantum, & jure non ſcripto, fuiſſe rectam*, affirmat; recte tamen obſervat idem, *Eccleſiam Orientalem plures Synodorum Canones fuiſſe amplexam*, & quidem ſub *κανόνων*, *regularum* potius, quam *νόμων legum* nomine. Celebrat hoc nomine *Matthæus Blaſtar* g) Canones *Dionyſij, Alexandrini* Patriarchæ; *Petri* item *Alexandrini*, Martyris; Canones item Synodicos, Conciliorum *Antiocheni primi, Ancyrani*, & *Neocæſarienſis*; dubium etſi non ſit, quod plures fuerint, perierint licet. Sæpius enim tam ſecundo, quam tertio ſeculo conventus egiſſe Epiſcopos Orientis, cum doctrinæ, tum diſciplinæ Eccleſiaſticæ cauſa, ex *Euſebio* h) conſtat. Enarravit illos B. D. Be-

e) *Epiſt. ad Epiſc. abſent.*

f) *de Concord. Sac. & Imper. l. 3. c. 2.*

g) *Syntagm. Alphabet. Præfat.*

h) *Hiſt. Eccleſ. 5. c. 22. 23. ſq. l. 6. c. 32.*

Bebelius i) noſter. Horum numero an *Canones Apoſtolorum* etiam fuerint, dubitatur. Certum nobis eſt, Apoſtolos horum Canonum autores non eſſe, cum diſciplina illis contenta ſeculo Apoſtolorum ſit recentior, in ſe antiquiſſima licet. *Matthæo Monacho*, ſeu *Blaſtari*, k) videtur εἰκὸς, τοὺς ἄκρους τῶν Ἀποστόλων τῷ πολλοῦ ἤδη χρόνον τῆς συνουσίας αὐτῶν ἀπολελαυκότι, τούτους ὑπαγορεῦσαι, καὶ γράφειν δοῦναι κελεῦσαι, *veriſimile, ſummos Apoſtolorum ei qui tamdiu illorum præſentia fruitus eſt, illos dictaſſe, & juſſiſſe, ut ſcriptis mandaret.* Aſt Vir doctiſſimus, *Petrus de Marca*, l) Canones hos ſeculo tertio vindicat, *illorumque corpus complexum fuiſſe* affirmat *traditiones, quæ ab Apoſtolis per Orientem manaverunt, ad diſciplinam Eccleſiaſticam conſtituendam.* Sed *Beveregio* m) vetuſtiores adhuc videntur, qui *vel labente Speculo ſecundo, vel ineunte tertio,* illos conſtitutos opinatur: Statuente contra B. *Dorſchæo*, n) cum *Wittakero*, o) *poſt Antiochenum Concilium, & tempora Conſtantini, Canones hos collectos, & majoris autoritatis gratia Apoſtolicos appellatos.* Nobis Canones hi, quorum nimium rigorem ipſe *Balſamon* p) notavit, ſtatum Eccleſiæ ſeculi tertij potius labentis, & ſeculi quarti, quam ſecundi, notare videntur; prout etiam eximie obſervavit *Gabriel Albaſpinæus*. q) Nulli proin dubitamus, quin priſcis iſtis temporibus magnam partem juris Eccleſiaſtici, apud Græcos obſervati, con-

i) *Antiq. Eccleſ. t. I. p.* 324. & 951.

k) *l. c. Præfat. de Canon. Apoſt.*

l) *de Conc. Imp. & Sac.* 3. 2, 2. *f.* 143.

m) *Annot. in Can. Apoſt. f.* 4.

n) *Exerc. ad Concil. Nic.* διατυπ. *de S C p.* 100.

o) *de Script. S. cont. l. q.* 6. *c.* 12. *p. m.* 644 *ſqq.*

p) *Schol. ad Can. Apoſtol. IX*

q) *Obſerv. l.* 1. *c.* 13. *p. m.* 55.

continuerint Canones iidem. Quæ prolixius exequi, hujus inſtituti non eſt. Veteres autem Doctores Eccleſiæ, Concilia item œcumenica, ad *Canones antiquos* provocando, ſemper ad Canones Apoſtolicos reſpexiſſe, plane incertum eſt: Cum nil obſtet, quo minus dicatur, intellexiſſe eos interdum etiam Canones Conciliorum ſecundi & tertij ſeculi.

§. 2. Ἀπὸ τοῦ κανόνος dicitur *Canonicum*. Id cum ſecundum *Franciſcum Bernardinum Ferrarium* a) non eodem modo accipitur; Jus Eccleſiaſticum non repugnabit etiam *Canonicum* appellari; ſeu Canonicum idem ſit, quod *Conciliorum Canonibus introductum & confirmatum eſt*; ſive Canonicum ſumatur pro *eo, quod ad Eccleſiam, & Chriſtianæ religionis negotium, quoq; modo pertinet*; licet hæc poſterior appellatio magis adæquata ſit. Εὖ γὰρ καὶ τοῖς μεγάλοις, inquit alias *Blaſtar*, b) Βασιλείῳ τῷ πάνυ καὶ Γρηγορίῳ τῷ Θεολόγῳ δοκεῖ, χρῆναι κανόνας Ἐκκλησιαστικοὺς ἐκείνους λέγειν τε καὶ νομίζειν, οὓς οὐ καθ᾽ ἑαυτόν τις, ἀλλὰ πλείους ἅγιοι πατέρες εἰς ταὐτὸ συνιόντες κοινῇ γνώμῃ καὶ μεμεριμνημένῃ βασάνῳ διετάξαντο, *bene enim magnis, Baſilio præſtantiſſimo, & Gregorio Theologo placitum eſt, eos Eccleſiaſticos dicendos & cenſendos eſſe Canones, non quos ſuo quiſpiam arbitrio, ſed quos plures ſancti Patres, eodem in loco congregati, communi ſententia, & ſolicita rerum diſquiſitione conſtituerunt.*

a) *de antiquo Epiſtol. Eccleſ. gen. l. 3. c. 2.*

b) *Syntagm. Alphabet. Præfat.*

§. 3.

§. 3. *Ius Eccleſiaſticum* hinc non male etiam dicitur, quod ſc. ſeu Eccleſia de illis, quæ ad bonum & decentem ordinem conſtituendum, ad rectum item cultum conſervandum, collapſum autem reſtaurandum, diſciplinam denique Eccleſiaſticam pertinent: Vocabulo *juris* accepto pro *lege*. Cui Legi Eccleſiaſticæ ſi quid conforme, *juſtum* audiet, quod ſcil. Eccleſiaſtice tale, ſeu à Canonibus Conciliorum conſtitutum ſit, ſeu non ſit. *Conſtitutionis* autem *Eccleſiaſticæ* nomine etiam veniſſe Canonum placita, ex Actis Conciliorum conſtat. Cum hac acceptione non debet illa altera *juris* ſignificatio confundi, qua notat facultatem agendi, & habendi aliquid, ſeu divino, ſeu humano jure, & conceſſione, competat Eccleſiæ. Hujus generis ſunt poteſtas verbi & ſacramentorum; libertas à jugo legis Moſaicæ, Ceremoniarum, & traditionum humanarum, a) jus Clavium, & ſimilia. b) Variæ item im̃unitates, privilegia, conſuetudines, atq; LIBERTATES, quas ſic vocant. Ita Eccleſia Gallicana ſuas habet Libertates, quas in *uſu antiqui juris communis*, novo tamen non penitus excluſo, conſiſtere ait *Petrus de Marca*; c) qui illas etiam erudito opere explicatum ivit, in multis licet diſſentiens ab aliis *Libertatum Gallicanarum Conſarcinatoribus*, quos ſic appellavit, d) Viris licet Clariſſimis, & Romanæ etiam communionis, *Carolo Molinæo*, *Fauchetio*, *Paſquierio*, *Pithœo*, &c.

Ha-

a) *Aug. Cõf. art.* 26.

b) *Dannhauer. Hodoſ pag.* 155. *ſqq.*

c) *de Conc. Sac. & Imp. l.* 3. *c.* 5. *n.* 7. *f.* 139.

d) *Prolegom. oper. cit. f.* 70.

Habet & ſuas Eccleſia Germanica Libertates, egregio Comentario illuſtratas à Dn. D. *Ioh. Schiltero*, c) oppreſſas olim licet, & in arctum redactas à Pontificibus Romanis, Gregorio VII. præprimis, qui ſub libertatis Eccleſiæ, in fraudem Imperij & poteſtatis ſecularis, facta extenſione, veram Eccleſiarum, Germanicarum præprimis, libertatem peſſumdare aggreſſus eſt, acerrime contranitente Henrico IV. Imp. Principe fortiſſimo, ſed infelici, ceu rerum Germanicarum iſtius tempeſtatis ſcriptoribus prolixius explicatum eſt.

c) *de libert. Eccleſ. Germanic. Libb. 7.*

§. 4. Leges itaque Eccleſiaſticas quod attinet, ſive *canonum* & *regularum* nomine primo tantum venerint; quod factum, cum Chriſtiani nondum jus ſummi civilis imperij, & poteſtatis legiſlatoriæ obtinerent; ſive ſub verarum *Legum* titulo propoſitæ fuerint; quod peculiare lege, imperante *Iuſtiniano*, & ſolicite inter *ſacras & divinas regulas*, atque *ſuas, quæ illas ſequi non dedignentur, leges* diſtinguente, a) factum conſtat; *ſanciente*, b) eodem, *vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas debere, quæ à ſanctis quatuor conciliis expoſitæ ſunt, aut firmatæ*, Nicæna ſc. Conſtantinopolitana, Epheſina I. Chalcedonenſi; conſiderari illæ poſſunt, vel in theſi, vel in hypotheſi. Poſterior hæc diſquiſitio hiſtorica potius eſt, quam moralis, futura, inſtituenda de *Iure Eccleſiaſtico* tam *Orientali*, quam *Occidentali*, hujusque *facie* tam *antiqua*, quam

a) *Novell. 83. c. 1.*
b) *Novell. 131. c. 1.*

re-

recentiori: de *Iure* item *Eccleſiaſtico Francorum*, in *Capitularibus Regum Francorum* contento, imo & de particularium adhuc magis *Eccleſiarum Agendis*. Verum inſtituti noſtri hoc non eſt, præprimis cum ab aliis id eximie ſit præſtitum, *Beveregio* eximie origines & progreſſus *Iuris Canonici Orientalis* explicante; c) *Blaſtare* autem hieromonacho, *Syntagma* κατὰ στοιχεῖον, *alphabeticum rerum omnium, quæ in ſacris, diviniſq; Canonibus comprehenduntur*, exhibente. De *occidentali* vero *jure Canonico*, tam *antiquo*; cujus cognitioni plurimum inſervit *Reginonis Prumienſis* opus de *diſciplina Eccleſiaſtica veterum*, à *Ioachimo Hildebrando* editum; quam *recentiori*, ejusque initiis, atque incrementis, egit *Zieglerus*; d) in explicanda hiſtoria juris Eccleſiaſtici, in Francorum Regum *Capitularibus* contenti, præclaram operam locante *Stephano Baluzio*. Quare prolixior hiſtoria in præſenti curæ nobis non erit.

c) *Pandect. Can. Eccleſ. Græc. t. I. proleg.*

d) *Diſſert. de Orig. & incr. I. C.*

§. 5. Ipſam vero juris hujus diſciplinam quod attinet, pro ſpecie juris humani id habemus, quod ab hominibus, qui poteſtatem condendi jura Eccleſiaſtica habent, conſtitutum ſit. a) Dari talia jura, ipſa praxis, omnium ſeculorum N. Teſt. hiſtoria, & Sapientum conſenſus evincit. Nulla enim celebrata ſunt Concilia, quin ad exemplum Concilij Hieroſolymitani, cujus Acta *Lucas* exhibet, b) *decretum Synodicum* promulgaretur; quod licet

a) *Dn. D. Schrag. Introduct. in Ius Canon. l. 1. c. 6. p. 37.*

b) *Act. 15.*

non omnem Eccleſiam, certas tamen Diœceſes, quarum nimirum Epiſcopi, & Eccleſiæ, congregati fuerant, canonice, & ex conſenſu, obligaret. A Concilio *Chalcedonenſi* Oecumenico demum, quod Marciano imperante, in cauſa Eutychiana habitum fuit à ſexcentis triginta Patribus, *Balſamone* & *Zonara* c) autoribus, Canones cujuscunque Synodi, S. Patrum obſervari, ſtatutum fuit. Sic enim *Canon* I. laudati habet Concilij: Τὺς παρὰ τῶν ἁγίων πατέρων καθ' ἑκάστην σύνοδον ἄχρι τοῦ νῦν ἐκτεθέντας κανόνας κρατεῖν ἐδικαιώσαμεν, *qui à S. Patribus, in una quaq; ſynodo, hucuſq; expoſiti ſunt, obſervari Canones æquum cenſuimus.* Fuiſſe Canones notat *Zonaras*, d) τὺς μὲν εἰς δογμάτων συντελῦντας ἀκρίβειαν, τὺς δὲ εἰς ἐκκλησιαστικὴν ἀφορῶντας κατάστασιν, καὶ τὰς ἐκκλησίας ῥυθμίζοντας, *fidei dogmatibus ſtabiliendis, & Eccleſiaſticæ diſciplinæ, moribusq; ſanciendis inſervientes.* Collectio hæc Canonum in unum volumen audivit *Codex Canonum Univerſæ Eccleſiæ.* In hæc etiam tempora, non in priora, cadit illud, quod *Chriſtophorus Juſtellus*, Vir cætera doctiſſimus, affirmavit: e) *In Conciliis duos illos Codices, divinum & Canonicum, in medio conſeſſus poni ſolitos, ut ex eorum jure Epiſcopi inter ſe dogmata pietatis explorarent, obortas hæreſes refutarent, & controverſias ad diſciplinam Eccleſiaſticam, ſacramq; politiam pertinentes, dirimerent.* In Concilio Nicæno certe hoc nondum fuit obſervatum. Tantum

c) *Schol. ad Can Concil. Chalc. Præf.*

d) *Schol. ad Concil. Chalc. Can. I.*

e) *Præfat. in Cod. Canon Univ. Eccleſ.*

Scri-

Scripturæ S. Codicem Epiſcopis Conſtantinum M. commendaſſe ait *Theodoretus*. f)

§. 6. Cum vero de Jure Eccleſiaſtico, qua eſt humanæ ordinationis, in præſenti tantum nos agere diximus, manifeſtum eſt, nos illud diſtinguere à *Iure Eccleſiaſtico Apoſtolico*, non quidem quatenus id *Canonibus Apoſtolorum*, quos ſic vocant, continetur, ſed quod in Synodo Hieroſolymitana prima ſancitum fuit. Hujus enim decretum Synodicum, quod, ut Canones aliarum ſynodorum, quarum norma fuit, circa doctrinam fidei & morum, diſciplinæque Eccleſiaſticæ conſtitutionem occupatum erat, non homines, ſed immediate ipſum Sp. S. habet autorem, & proin non immerito *Ius Eccleſiaſticum divinum* Eccleſiæ iſtorum temporum continere dicitur. Obligaverat etiam iſte Canon Synodicus ad *certum* tantum *tempus*, a) quod ἀδιάφορα attinebat, & conſtitutionem *de non veſcendis idolothytis, ſanguine & ſuffocato*, à quibus concordiæ cauſa, in gratiam infirmorum ex Ebræis fratrum, abſtinere Gentiles converſos volebat Eccleſia, *donec libertas Chriſtiana illis paulatim magis ac magis innotuiſſet*, explicante B. *Arculario*. b) Non enim ſubſcribendum eſſe cenſemus B. *Schickardo*, c) cenſenti, quod *in primitiva Eccleſia Chriſtianorum gentibus converſis, loco Moſaicæ legis rigidiſſimæ, ex decreto Apoſtolorum, & Synodi Hieroſolymitanæ, præcepta Noachica impoſita fuerint:* Quem erraſſe

f) *Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 6.*

a) *Aug. Conf. art. ult. p.* 44.

b) *Comm. in Act c. 15. p.* 567.

c) *de Iur. Reg. Ebr. c. 5. theor.* 17.

P 2 oſten-

d) *Annot. ad Act. Apoſt. p. 202.* oſtendit ex noſtris *Ioh. Tob. Major*; d) ex Reformatis *Seldenus*, e) *Heideggerus*, f) & *Spencerus*. g)

e) *de I. N. G. l. 7. c. 12.*
f) *de Sang. & ſuffoc. c. 13. p. 145.*
g) *de LL. Hebr. ritual. l. 2. pag. 442. ſqq.*

§. 7. Exemplum hoc, ceu normam agendi, ſecuta Eccleſia, paria in pari neceſſitate urgente, ſibi licere cenſuit. Etſi enim Reipublicæ, qua Chriſtiana eſt, & Eccleſiæ, arctiſſima ſit unio & conjunctio, hæcque in illa habitare, illaque huic tutas præſtare ſedes recte dicatur: Attamen, quemadmodum homo, qui ex anima & corpore conſtat, aliter quoad animam curatur, nec eidem eadem quoad animam & corpus, à Theologo & Medico præſcribuntur; ita nec Reipublicæ Chriſtianæ eadem jura eſſe poſſunt, qua eſt cœtus civilis, & qua, ut cum *Apologia* A. C. a) loquar, *eſt congregatio ſanctorum, qui habent inter ſe ſocietatem ejuſdem* Evangelii, *ſeu doctrinæ, & ejuſdem Spiritus ſancti; ſocietatem item externarum rerum & rituum*: variare ritus hos licet interdum contingat. Interim ſicut diverſa ſunt anima & corpus hominis, licet à ſe invicem non ſint diviſa; ita diverſa ſunt, conſtituere cœtum civilem, & conſtituere cœtum Eccleſiaſticum, licet idem cœtus civilis ſimul, & Eccleſiaſticus eſſe poſſit, nec à ſeipſo neceſſario ſit materialiter diviſus, vel diſtinctus. Sequitur hinc, quod quemadmodum, cum omnis ſocietas vinculo juris continetur, ſocietas humani generis qua civilis eſt, ſacræ ſocietati qua tali contradiſtincta, legibus dirigitur civilibus, ita eadem, qua eſt

a) *de Eccleſ. p. 145.*

Ec-

Digitized by Google

Eccleſiaſtica, dirigatur, & contineatur jure Eccleſiaſtico.

§. 8. *SOCIETAS ECCLESIASTICA externa*, quæ in præſenti nobis inprimis curæ eſt, qua religionis & ſalutis æternæ cauſa homines conſociantur; ejusque finis tam *internus*, qui eſt animarum ſalus, & religionis puritas, quam *externus*, qui eſt, *Apoſtolo* a) explicante, ut ſub Magiſtratu civili, etiam gentili, *ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν, ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ, καὶ σεμνότητι*, *placidam ac honeſtam vitam degamus, cum omni pietate & honeſtate*, recte pro *fundamento* & *ratione* Canonum, & LL. Eccleſiaſticarum, *proxima* habetur. Unde cum *Marco Antonio de Dominis*, b) viro in Antiquitate Eccleſiaſtica verſatiſſimo, obſervante, *homo non minus in rebus ſpiritualibus, quam temporalibus, ſocialis* ſit; non incongrue SOCIALITATEM SPIRITUALEM & ECCLESIASTICAM, qua eſt ſecundum Evangelium Chriſti, ejuſque analogiam, pro ratione juris Eccleſiaſtici, qua humanum eſt, ejuſque utilitate, & neceſſitate, allegari dicimus. Negari enim nequit, quod, licet ad fidem ipſam ſimpliciter neceſſarium non ſit, credentes in unum cœtum viſibilem congregari, ad melius tamen fidei exercitium faciat, unitatemque ejus magis promoveat, atque conſervet, ſi id fiat; & quod hoc nomine fideles congregari malint in cœtibus, in quibus dogmata ad ſalutem neceſſaria docentur, & ſa-

a) 1. *Tim.* 2. 2.

b) *de Rep. Eccleſ. l.* 1. *proœm.*

& ſacramenta adminiſtrantur. Unde cum huic congregationi *in hac vita multi hypocritæ, & mali admixti ſunt,* ut loquitur *Auguſtana Confeſſ.* c) & cum illa *Apologia,* d) & horum intuitu leges Eccleſiaſticæ conſtitutæ ſunt, & feruntur, quo illorum impietas & ferocia coërceatur, bonus & decens in Eccleſia ordo non turbetur, diſciplina autem Eccleſiaſtica conſervetur. Appellatur hinc jus hoc Eccleſiaſticum ab *Epiphanio* e) κανονικὴ τάξις. Imo ipſis piis & fidelibus adhuc *adjacet malum, ut non faciant bonum, quod volunt, ſed malum potius, quod nolunt,* f) *carne concupiſcente adverſus ſpiritum, & ſpiritu adverſus carnem.* g) Hujus concupiſcentiæ ne in actus externos erumpant, obicem Canones veterum poſuerunt hujuſmodi pruritui, *Euſebio* h) obſervante. Vincula *ſocietatis* hujus *externæ* ſunt, eximie explicante poſt *Hülſeman.* i) B. *Ioh. Muſæo,* k) *doctrina fidei profeſſio, & converſatio, vitaq; per mutua fraternæ charitatis officia communio.* Illa ſincera, ſcripturis conformis, & orthodoxa eſſe debet; Solvit enim diſſonantia fidei unitatem Eccleſiæ, ejuſque conſociationem Eccleſiaſticam, graviter præcipiente *Iohanne,* l) ne, qui *doctrinam Chriſti non affert, in domum recipiatur, vel ave ei dicatur. Ob hanc cauſam,* uti ſcribit *Apollinarius Hierapolitanus,* ſcriptor Eccleſiaſticus, m) *fideles per Aſiam ſæpe numero, & multis Aſiæ locis, conveniebant, ac nuper natas doctrinas examinabant, & profanas* pro-

c) *art.* 8.
d) *p.* 146.
e) *Hæreſ.* 70. *n.* 10. *f. m.* 822.
f) *Rom.* 7. 18 *ſqq.*
g) *Gal.* 5. 17.
h) *H. E. l.* 6. *c.* 21.
i) *Brev.* 17. 17.
k) *de Eccleſ. diſſ.* II. §. 134.
l) 2. *Ep.* 10.
m) *ap. Euſeb. H. E. l.* 5. *c.* 14.

Digitized by Google

pronunciabant, hæreſimq; iſtam probantes Eccleſia ejiciebant & excommunicabant. Hæc, converſatio ſcilicet, ſancta eſſe debet juxta *Petri* n) præceptum, & honeſta, ne diſſidia inter membra Eccleſiæ, & hinc natæ offenſæ, atq; ſcandala data, cœtum fidelium diſſocient, monente *Paulo:* o) Εἰ ἀλλήλους δάκνετε καὶ κατεσθίετε, βλέπετε μὴ ὑπὸ ἀλλήλων, ἀναλωθῆτε, *quod ſi alius alium viciſsim mordetis, & devoratis, videte ne viciſsim alius ab alio conſumamini.* Canonum ergo vinculo opus fuit, ad publicam in Eccleſia conſervandam diſciplinam, pertinentem ad morum emendationem, & præcipiendum, quid cujuslibet conditionis hominem, qui ſocietatis Eccleſiaſticæ membrum eſt, deceat, cum civitatum Rectores, Ethnicis ſuperſtitionibus addicti, eundem negligerent; ne morum corruptione inter Chriſtianos invaleſcente, adverſus eos illi irritarentur, & de noſtra male ſentirent religione. Unde malo huic obviam iturus *Iuſtinus Martyr,* p) quod *ſi quos,* inquit, *etiam inter nos tales eſſe ſcitis,* qui ſcil. pecuniæ, gloriæ, voluptatum amore, impia, blaſphema, & injuſta docent & faciunt, ἀλλ' ἔγγε τὰς γραφὰς, καὶ τὸν χριστὸν διὰ τοὺς τοιούτους μὴ βλασφημῆτε, καὶ παρεξηγεῖσθαι σπουδάζετε, *non continuo ea de cauſa ſcripturas, & Chriſtum, maledictis proſcindite, aut interpretatione ſiniſtra depravare ſtudete.* Fluit hæc *externa ſocietas* Eccleſiæ ex *ſocietate* ejus *interna* fidelium cum DEO, & inter ſe, quæ fit

n) 1. Petr. 2. 11. ſq.

o) Gal. 5. 15.

p) ad Tryphon. f. m. 309.

per *fidem*, qua cum Chriſto, ceu capite, uni-
q) *Rom.* 12. 5. mur tanquam membra unius corporis; q) &
r) *Gal.* 5. 6. 1. *Joh.* 3. 23. per vinculum *Charitatis*, r) quo ad mutua ejus
præſtan.a officia connectimur, explicante
s) 1. *Cor.* 12. 18 *ſqq.* *Paulo.* s) Teſtatur enim de hac interna fidei
ſocietate per charitatem, externa conſocia-
tio, quæ ſignis exterioribus ſocietatis iſtius
t) *Epiſt. ad Magneſ. p. m.* 30. *ſqq.* interioris abſolvitur. Eximie etiam hæc do-
cuit glorioſus Martyr *Ignatius*. t)

§. 9. Eccleſia collectivum nomen eſt, dicitque quandam multitudinem, & multorum congregationem. Sic enim rurſus *Iuſti-*
a) *contra Tryphon. f.* 261. *nus Martyr*: a) Καὶ δῆμος, ϗ Ἐκκλησία, πολλοὶ τὸν ἀριθμὸν ὄντες ἄνθρωποι, ὡς ἓν ὄντες πρᾶγμα, τῇ μιᾷ κλήσει καλοῦνται, ϗ προσαγορεύονται, *& populus, & Eccleſia, permulti numero mortales, perinde atq; una res forent una voce vocantur, atq; appellantur.* Ordinatam hanc oportet eſſe multitudinem æque, atque Cyclopica eſſe neſcit, ubi οὐδεὶς οὐδενὸς ἀκούει, qua eſt civilis. Ordine enim carere non poteſt Respublica, ſive quoad civilem conſociationem & communionem civium ſpectetur; ſive eorundem, ut fidelium, communionem & ſocietatem intueamur. Unam quippe Remp. eamque regularem, conſtituit civilis, & Eccleſiaſtica eorundem civium, & ſubditorum, ſocietas externa. Hæc de jure cum Republica, tanquam pars cum toto, ſemper conjuncta, & unita eſſe debet, minime conſtituens peculiarem Rempublicam, *ſacram* ſcil. *Civili* con-

tra-

Digitized by Google

tradiſtinctam, cum *omnem animam poteſtatibus ſupereminentibus ſubditam*, b) & civilem imperantem cuſtodem utriusque Tabulæ Decalogi eſſe deceat: c) De quo poſt alios, etiam erudita egit diſquiſitione Dn. D. *Ioh. Schilterus* d) noſter. Ne de eo quid dicam, quod religioni Chriſtianæ cum vera Politica optima intercedat concordia, explicante *Puſendorſio*. e)

§. 10. Cæterum ordo hic in Republica, quoad hanc ſocietatem civium Eccleſiaſticam externam, requirit certam aliquam *πολιτείαν*, quæ ab *Ariſtotele* a) dicitur eſſe *πόλεως τάξις, ordo civitatis*; κατὰ τὸν Θεὸν, ſcil. καὶ τὸ Εὐαγγέλιον, uti loquitur *Baſilius*. b) Externa hæc eſt, nec illam conſociationem credentium ſub Chriſto Rege, & Capite Eccleſiæ unico, tollit; & conſiſtit in certo perſonarum ordine, complectiturque certum modum adminiſtrandi ſtatum Eccleſiæ externum, & quæ ad illum pertinent; dirigendi item, ordinandique perſonas, res, actiones, negotia Eccleſiaſtica, diſciplinam item, quæque ad Eccleſiaſticam diſciplinam referuntur, ad Eccleſiæ tranquillitatem, bonum etiam, atque decentem in ea ordinem conſervandum. Deinde cum hic ordo perſonarum & actionum in Eccleſia citra *regulas*, quæ certum agendi modum præſcribant, ſervari non poſſit, præter *conſtitutionem* hujus *ordinis*, etiam neceſſario dabitur poteſtas *juriſdictionis alicujus Eccleſiaſticæ coërcitivæ*, vigore libertatis à Chriſto

b) *Rom.* 13. 1.
c) *Deut.* 17. 18. *ſq.*
d) *Libert. Eccl. Germ.* *l.* 1. *c.* 1. §. 5. *ſqq.*
e) *Diſſert. ſelect. p.* 428.

a) 3. *Polit.* 4. *al.* 6.
b) *in Aſcet.*

c) *Matt.* 18. 17. Eccleſiæ conceſſæ, c) & à *Paulo* d) aſſertæ. Nec vero obtinebit hos fines Eccleſia, niſi ſuas habeat regulas, & leges, quibus obligentur illi, qui in Eccleſiaſticam ſocietatem ſunt recepti. Etſi enim in ſcripturis ſacris ſufficienter continentur ea, quæ ſcitu, creditu, factu & ſperatu ſunt neceſſaria; non male tamen *Beveregius* e) monet, *quantum ad Eccleſiaſticam ſpectat diſciplinam, divina illa oracula non eo fine ſcriptis mandata eſſe, ut iſtam in ſingulis determinent.*

d) 1. *Cor.* 14. 40.

e) *Pandect. Can. Eccleſ. Græc. Prol.* f. 2.

§. 11. Licet itaque quæ ad fidem & charitatem pertinent, in ſcripturis contineantur; ἀδιάφορα tamen Eccleſiaſtica, à Majeſtate Divina non determinata, & ceu ἀδιάφορα ab ea relicta, *objectum* ſunt LL. Eccleſiaſticarum, & Canonum, ſeu juris Eccleſiaſtici. *Perſonale* hoc eſt, *& reale*. Illud ſunt tam Laici, quam Clerici; (liceat enim ita jam loqui) tam infantes, quam adulti; & quidem tam hi, quam illi, ſecundum diverſos ſtatus, atque qualitates ſpectati. De quibus non ſolum Canones Conciliorum varia conſtituerunt, ceu ex *Blaſtaris* Syntagmate Alphabetico, *Reginonis Prumienſis* libris de diſciplina Eccleſiaſtica, *Caranzæ* Canonibus Conciliorum, & aliis conſtat; ſed de quibus etiam ſecundum analogiam ſacrarum literarum, & ſecundum illarum præſcriptum Eccleſiarum extant ordinationes. *Reale* objectum illa dicuntur, quæ *cauſam fidei* a) concer-

a) *Concil. Tolet. IV. Can.* 3.

Digitized by Google

cernũnt, vel ad cultum DEI externum pertinent, atque divini cultus externa adminicula ſunt; ritus: Sic enim cum quidam ſtatueret, *intra octavum diem infantem non eſſe baptizandum*, Concilium à *Cypriano* coactum ſtatuit, *infantes recens natos non debere a baptiſmo prohiberi*: b) Mores corrupti & ſcandaloſi invaleſcentes, tam Clericorum, quam Laicorum, qua emendandi, & ad diſciplinam Eccleſiaſticam conformandi, & quæ aliæ fuerunt actiones, & negotia Eccleſiaſtica, Patet hoc ex verbis *Gelaſij Cyziceni*, c) cum ἐγὼ δὲ, inquit, τὰ ἐν αὐτῇ τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ περὶ τῆς καθολικῆς καὶ ὀρθοδόξου πίστεως, τῆς τε σεβασμίου ἑορτῆς τοῦ ἁγίου πάσχα, πάντα τῆς ἐκκλησιαστικῆς θείας λειτουργίας διατυπώσεων, πάντα περὶ τῆς ἐν αὐτῇ εὐταξίας κανόνων, κριθέντα καὶ ὁρισθέντα ἐν τάξει καταπαύσω τὸν λόγον, *ego autem, cum, quæ in ipſa S. Synodo de Catholica & orthodoxa fide, & veneranda ſancti Paſchatis feſtivitate, de divini officij Eccleſiaſticis conſtitutionibus, & de ipſius diſciplina Canonibus judicata & definita ſunt ordine propoſuerim, huic ſermoni finem imponam*. Ex recentioribus *Petrus de Marca* d) objectum conſtitutionum in Conciliis Canonicarum, & finem earum, notat, cum Ludovicum Pium cum Lothario filio præcepiſſe ſcribit, *ut Antiſtites regni in quatuor locis congregarentur, Moguntiæ videlicet, Pariſiis, Lugduni, & Toloſæ, tractaturi de rebus ad religionem Chriſtianam, morumq; emendationem pertinen-*

b) *Cyprian. l. 3. Ep. 8.*

c) *Act. Conc. Nic. P. II. p.* 199.

d) *de Conc. Sac. & Imp. P. II. l. 6. c. 27. n. 1. f.* 170.

tinentibus, ac præterea ſignificaturi, quæ virtutum opera incumbant Principibus, Epiſcopis, & cujuslibet conditionis hominibus.

§. 12. *Ius* circa talia conſtituendi, & *leges Eccleſiaſticas ferendi*, ad ipſam pertinet Eccleſiam, & totius eſt Eccleſiæ. Huic ſua jura debentur primo, immediate & habitualiter, a) ſecundum illud *Pauli*: b) Πάντα ὑμῶν ἐστι, *omnia veſtra ſunt.* Actuale vero illorum exercitium, quo κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην, c) cuncta in Eccleſia, & ab Eccleſia fiant & gerantur, ad certas hierarchias, quarum quælibet ſuum agit, certo & harmonico ordine & communicatione, pertinet. In ſpecie enim quod attinet *poteſtatem Eccleſiaſticam* νομοθετικὴν, d) quæ eſt poteſtas Eccleſiæ in rebus externis, ad ſanciendum utiles & ſalutares Canones & conſtitutiones, verbo DEI non repugnantes, & ad τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην externam in Eccleſia reſpicientes, circa ritus & ceremonias, diſciplinam item, & rectam vivendi rationem, cuſtodiam etiam dogmatum fidei, & veræ religionis: Non unius ordinis illa eſt, nec ad ſolum Miniſterium & Epiſcopos, ſed etiam ad Magiſtratum Politicum, ceu cuſtodem utriusque Tabulæ Decalogi pertinet, & cum conſenſu Eccleſiæ exerceri debet; e) quicquid ſit de conſequente pacto, & conventione, qua circa hujus juris, & poteſtatis Eccleſiaſticæ exercitium, ordinis gratia ſta-

a) *Dannh. Hodoſ. p.* 154. 133.
b) 1. *Cor.* 3. 22.
c) 2. *Cor.* 14. 40.
d) *Gerh. de Miniſt. Eccleſ.* §. 193.
e) *Hülſem. Brev. c.* 19. §. 18. *c* 20. §. 7. *ſqq.*

ſtatus inter ſe convenerunt, ſalvo uniuscujusque jure.

§. 13. Cum vero primis N. T. ſeculis gentiles Magiſtratus Eccleſiam negligerent, nec vellent, uti decebat, atque fieri debebat, cooperari ad exercitium poteſtatis Eccleſiaſticæ, Apoſtoli primum, dein illorum ſucceſſores, curam Eccleſiæ tam internam, quam externam, in ſe ſuſceperunt, convocato, urgente ſic Eccleſiæ neceſſitate, Hieroſolymitano Concilio, a) cum non eſſet Princeps, vel Magiſtratus Chriſtianus, qui id faceret. Sic ex Apoſtolorum inſtituto, annuente, ſi modum agendi Apoſtolicum conſideramus, b) *tota Eccleſia*, loco Sabbathi legalis, nulla obligatione divina in N. T. certum cultus publici diem determinante, dies Domini, ſive, ut *Iuſtinus Martyr* loquitur, *dies ſolis* fuit definitus, de quo eximie *Chemnitius* c) egit. Egregie huc pertinet locus *Iuſtini Martyris* d) ejuſdem: e) Τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, *ſolis qui dicitur die, omnium qui vel in oppidis vel ruri degunt, in eundem locum conventus fit.* In ſequentibus explicatur à glorioſo & doctiſſimo Martyre, qua ratione publicus externusque cultus in Eccleſia fuit peractus. Paulus etiam, in Corinthiorum Eccleſia, non ſolum varia ad bonum & decentem ordinem in Eccleſia facientia conſtituit; f) ſed & ipſi Eccleſiæ hujuſmodi ordinationum facultat in con-

a) *Act.* 15.

b) *Act. I.* 14. *ſqq. c.* 15. 13. 22.

c) *Loc. P. II. de Leg. Dei f.* 54. *ſq.*

d) *Apol. II. f.* 98.

e) *l. c.*

f) 1 *Cor.* 14.

g) 1. Cor. 14. 40. conceſſit. g) Paſchalis quoque controverſia, provocante Polycrate cum Epiſcopis per Aſiam ad Philippi & Johannis Apoſtolorum, Polycarpi item, & aliorum Martyrum, exemplum & traditionem, apud *Euſebium*; h) Victore autem ad ſuorum prædeceſſorum ſtatuta; oſtendit diverſas Apoſtolorum & Epiſcoporum in Eccleſia, etiam circa eandem rem, conſtitutiones. Horum diſſenſus non fidei diſſonantiæ, vel diſcordiæ nota fuit, ſed quod conſtitutiones ejuſmodi, & regulæ, ſtatum Eccleſiæ externum, & Chriſtianorum mores concernentes, pro temporis, perſonæ, loci, & aliarum circumſtantiarum ratione fiant, atque varient, & proin libertas hic locum habere debeat. Et ſic etiam intelligenda ſunt B. *Irenæi* verba in Epiſtola ad Victorem, i) cum ait: *Neq; Anicetus*, Epiſcopus Romanus, *Polycarpo ſuadere poterat, ne ſervaret, quæ cum Iohanne, diſcipulo Domini noſtri, ac reliquis Apoſtolis, quibuſcum fuerat converſatus, ſemper ſervaverat*: Nec Polycarpus *Aniceto ſuaſit, ut ſervaret: qui ſibi presbyterorum, quibus ſucceſſerat, conſuetudinem ſervandam eſſe dicebat.*

h) *H. E. l.* 5. c. 21.

i) *Euſeb. H. E. l.* 5. 23.

§. 14. Conſtituti ab Apoſtolis paſſim in Eccleſiis Epiſcopi, & Presbyteri, & Diaconi; ut Pauli juſſu in Creta Titus fecerat, a) atque *Clemens* Romanus alios etiam Apoſtolos feciſſe ſcripſit; b) uti de regimine Eccleſiaſtico æque participarant, & in eo conſtituti fuerant, ita & de poteſtate ordinandi ea, quæ ad

a) *Tit. I.* 5. *Phil. I.* 1.

b) *Epiſt. ad Corinth.*

Digitized by Google

ad formam Eccleſiæ externam, Mores Chriſtianorum, diſciplinamq; Eccleſiaſticam pertinebant, quod etiam *Blondellus* c) oſtendit. Etiam Canones Apoſtolorum primas ſuas origines Apoſtolorum debere ſucceſſoribus, putat quidem doctiſſimus *Albaſpinæus*, d) ſed non probat. Paulus e) in forenſes Chriſtianorum contentiones invectus, reprehendit, quod *non detur inter eos ſapiens, qui poſſit judicare inter fratrem*, ſed quod *ſub infidelibus*, levi ſcil. ex cauſa, nec ſine ſcandalo, litigent. Hinc mandato huic Apoſtolico obſecuturi primitivæ Eccleſiæ Chriſtiani, Presbyteris & Epiſcopis litium ſuarum cognitionem, & deciſionem, ex compromiſſo permittebant. B. *Zieglerus* f) obſervavit, *primis temporibus, uſque ad ætatem Conſtantini M. morem hoc nomine ad Epiſcopos eundi, fuiſſe uſurpatum*. Extant apud *Blondellum*, g) virum in Antiquitate Eccleſiaſtica egregie verſatum, verba Epiſtolæ *Clementis*, quæ ſic dicitur, ad Jacobum F. D. *Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſeculi non judicentur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ, quicquid illud eſt, dirimatur, & omni modo obediant ſtatutis eorum*. Duplices erant hi Presbyteri; *Clerici*, quorum erat verbum prædicare, & ſacramenta adminiſtrare; & *Laici*, qui mores Chriſtianorum obſervabant externos, utque bonus ordo, & doctrina conſervaretur, curam agebant: Judicabant etiam poſt modum de

his

c) *Apol. pro ſent. Hierō. p.* 199.

d) *Obſerv. l.* 1. *Obſ.* 13. *n.* 3. *p. m.* 56.

e) 1. *Cor.* 6. 1. 5.

f) *Diſſ. de Orig. & incr. I. C. p.* 15.

g) *l. c.*

his rebus cum Presbyteris Clericis. *In nullis*
ſeculis quidem *Wilhelmus*, *Cantuarienſis Archi-*
h) *Orat. ad* *epiſcopus*, h) in Eccleſia *de Laicis Presbyteris ali-*
Reg. ann. *quid auditum eſſe opinatur, uſq; ad Calvini no-*
1636. *vum Genevenſe commentum*: Sed Apoſtolorum
tempore jam tales fuiſſe Presbyteros, qui in
verbo & doctrina non laboraverant, & tamen
Chriſtianorum cœtui præfuerant, manifeſte
i) 1. *Tim.* 5. *Paulus* i) docet, explicaturq; *Hülſemanno*. k)
17.
k) *Brev. c.* Presbyterio huic & Epiſcopo, cum poteſtas
19. 18. *Dia-* δογματικὴ circa doctrinam, & fidei dogmata,
lyſ. Apolog. tum διατακτικὴ, circa mores fidelium, tam
p. 412. *add.* Laicorum, quam Clericorum, ſeu Eccleſiæ
Gerh. Com. Miniſtrorum, competebat, licet reliqua non
in 1. *Petr. p.* excluſa Eccleſia: Quemadmodum nec huic
721. citra miniſterium aliquid ad Eccleſiam perti-
nens inſtituere, & ordinare, licuit. Sic enim
l) *Epiſt. ad* *Ignatius* l) ad Smyrnenſes: Μηδεὶς χωρὶς τοῦ
Smyrn. p. ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκ-
m. 6. κλησίαν· Ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ
τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ, *nul-*
lus ſine Epiſcopo aliquid operetur eorum quæ con-
veniunt in Eccleſiam: Totius ergo Eccleſiæ
jus eſt aliquid conſtituendi, & ordinan-
di in Eccleſia: *Illa firma gratiarum actio re-*
putetur, quæ ſub ipſo eſt, vel quam utiq; ipſe
conceſſerit. Rurſus: Οὐκ ἐξὸν ἐστὶν χωρὶς τοῦ ἐπι-
σκόπου, οὔτε βαπτίζειν, οὔτε ἀγάπην ποιεῖν, *non*
licitum eſt ſine Epiſcopo, neq; baptizare, neq; a-
gapen facere. Boni ordinis gratia, ut in Ec-
cleſia is ſervaretur, non quod vel jure divino

Ecci-

Epiſcopus Presbytero eſſet ſuperior, vel poteſtate νομοθετικῇ proprie tali gauderet, à glorioſo Martyre hæc ita monebantur: quod ſane non eſt *ineptis & frivolis rationibus, quantum in ſe eſt, Apoſtolicam Eccleſiæ gubernationem evertere*, uti de his Epiſtolis Ignatianis, inter quas adulterinas dari, lubentes agnoſcimus, judicat *Salmaſius*. m) Cæterum hæc ratio juris conſtituendi, antequam Eccleſia fideles haberet Magiſtratús politicos, non quoad cauſas Eccleſiaſticas, & diſciplinam ſingularum Eccleſiarum tantum obtinebat, ſed etiam exemplo Apoſtolorum n) in *Conciliis*, in quibus majoris momenti res, fidem & mores, cultumque externum, Miniſterij item actiones & ordinem &c. concernentes, diſceptabantur, fuit uſurpata. Patet hoc ex *Cypriano*, o) cum de Concilio Carthaginienſi ſcribens ad Quirin. *Epiſcopos*, ait, *plurimos, cum Presbyteris & Diaconis in unum convenisse, præſente etiam maxima parte plebis; & lectas eſſe literas Iubajani ad Cyprianum factas*. Quid plebem hûc confluere opus fuiſſet, niſi quoad conſtitutionem juris Eccleſiaſtici ejus aliqua pars eſſet, κατὰ τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην licet. Patet ex dictis, jus Eccleſiaſticum ante tempora Conſtantini M. ab Eccleſia fuiſſe conſtitutum, tam *extra Concilia*, quam *in Conciliis*.

m) *Apparat. p.* 55.

n) *Act.* 15.

o) *Oper. f. m.* 332.

§. 15. Non vero lex proprie talis erat, quod ſic decernebatur in Conciliis, vel ab Eccleſia conſtituebatur, ſed appellatum fuit

δόγμα ἐκκλησιαστικὸν, decretum Eccleſiaſticum, ab
a) *Hiſt. Eccleſ. l. 5. c. 21.* *Euſebio.* a) *Canonum* etiam, ſeu regularum
nomine, Eccleſiæ & Chriſtianis commendabatur, de quo ſupra ex *Blaſtare. Statuta patrum* etiam audiebat. Sic enim *Concilium Agathenſe*: b) *In primis id placuit ut Canones, & ſtatuta Patrum, per ordinem legerentur.* Hæc à
b) *Canon. I.*
c) *Concord. inter Sacerd. & Imp. l. 3. c. 4. n. 1.* *Cæſario Arelatenſi*, apud *Petr. de Marca*, c) dicuntur *Epiſcoporum præcepta*, item *Canonum ſtatuta.* Audiverunt etiam *Capitula*, docente *Baluzio.* d) Neque enim vel Apoſtoli, vel ſequentium temporum Eccleſiæ & Epiſcopi, ad Conſtantinum M. uſque, uſi ſunt imperio proprie tali, & coactivo, ne ipſe quidem Romanus Epiſcopus. Noluit *Petrus* e) Presbyteros eſſe *ὡς κατακυριεύοντας τῶν κλήρων ἀλλὰ τύπους γινομένους τοῦ ποιμνίου, ceu Dominium exercentes adverſus cleros, ſed ſic, ut ſint exemplaria gregis*; ut ſcil. exempli gravitate, & autoritate, moveant: Nec, ut *Gerhardus* f) explicat, *eo modo præſint auditoribus ſuis, quo Magiſtratus politicus dominando, & imperium coactivum exercendo ſubditis præeſt.* Ἐπισκοπεῖν, g) curam agere, & de neceſſariis proſpicere debent, ne falſa doctrina invaleſcat, aut publica ſcandala, ad vitæ & morum improbitatem fideles ſeducant, explicante *Iſidoro.* h) Προσέχειν, *attendere ſibi, & univerſo gregi* debent, & *paſcere Eccleſiam DEI*, ex Pauli i) præcepto. Συμπρεσβύτερον hinc ſe Apoſtolus vocat παρακαλοῦντα, *exhortantem*, non imperantem. Simili-

d) *Cap. Regg. Franc. t. 2. l. Proleg. n. 4.*
e) *1. Ep. 5. 3.*
f) *Comm. h. l. p. 717. 751. ad Hülſem. Brev. c. 20. §. 7.*
g) *Petr. I. Ep. 5. 2.*
h) *Etymol. 7. 12.*
i) *Act. 18. 28.*

militer Paulus k) ἐρωτῶμεν, inquit, ὑμᾶς καὶ παρακαλοῦμεν, ἐν κυρίῳ Ἰησοῦ, *rogamus vos & adhortamur per Dominum Ieſum.* Mox appellat παραγγελίας, *præcepta,* non νόμους κατακυειδόντων, *leges dominantium,* quæ Theſſalonicenſibus *per Dominum Ieſum dederat.* Quibus nihilominus obſequium debebatur, l) graviſſimis urgente Apoſtolo illud rationibus, & pro ipſius DEI contemtu præceptorum ſuorum contemtum interpretante, annuente ipſo filio DEI; m) nec minus & obedientiam paſtorali munere paſcendi oves Chriſti, Apoſtolis à Chriſto demandato, ex finis hujus neceſſitate, poſtulante: Diverſa quanquam alias fuerit illorum ratio, quæ quoad res Eccleſiæ tam internas, quam externas, ex jure divino, & autoritate, licet humana, Apoſtolica tamen, pro ſtatu Eccleſiæ præſenti externo, τάξεως καὶ εὐσχημοσύνης gratia, iidem inſtituerant, *Majeſtatu Cæſareæ, aut regiæ juribus prorſus inviolatis,* ut loquitur *Conringius*; n) nec in directione externa, & quoad ἀδιάφορα, majorem Monarchiam & majus imperium, quam in interna affectantes. Ita precibus ad obedientiam obtinendam egit *Ignatius*: o) Τῷ ἐπισκόπῳ προσέχετε, ἵνα ὁ Θεὸς ὑμῖν, *Epiſcopo attendite, ut & DEUS vobis*; mox mentionem faciens, τῶν ὑποτασσομένων τῷ ἐπισκόπῳ, πρεσβυτέροις, διακόνοις *ſubjectorum Epiſcopo, Presbyteris, Diaconis, cum quibus* optat *ſibi partem fieri capere in DEO.* Concilia autem quod at-

k) *1. Theſſ.* 4. 1. *ad. 2. Cor.* 1. 24. 1. *Cor.* 3. 5. 9.

l) *Ebr* 13. 17. 1. *Theſſ.* 4. 8.

m) *Luc.* 10. 16.

n) *de Maj. Civ. autor. circa f.* §. 137.

o) *Epiſt. ad Polycarp. p. m.* 14 *ad Philadelph. p.* 42.

attinet, & Conciliorum Canones, nulla illa, ut recte monet B. *Zieglerus*, p) *ex ſe habent poteſtatem νομοθετικὴν, & patres in illis congregati, judicium tantum directivum, & declarativum rerum credendarum, aut agendarum, non vero ſimul poteſtatem præſcribendi per modum legis habent: Niſi igitur Principis acceſſerit autoritas & mandatum, non aliter valebit, quod ita concluſum eſt, quam pactum aliquod ex conventione reſultans*: Quoad effectum ſc. in vita exteriori, ut patuit exemplo Pauli Samoſateni, à Concilio Antiocheno excommunicati, cui ille ſe oppoſuerat. In foro interno interim obligabant jure divino, quoad illa, quæ ex verbo DEI præcipiebant; & quoad adiaphora in genere, quatenus hæc pertinebant ad τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην, à *Paulo* q) præceptam, atque Eccleſiaſticæ ſocialitatis cauſa quodlibet membrum ad totum cœtum ſe conformare debet, uti jure naturali etiam præcipitur. Imo poteſtate ſeculari coactiva uſque eo abſtinuerunt Epiſcopi & Concilia, ut, cum Paulus Samoſatenus, ob hæreſim excommunicatus, & Epiſcopatu privatus, parere nollet, Aurelianum Imp. hoc nomine interpellarent, à quo, *Euſebio* r) memorante, *ſumma cum ignominia Eccleſia fuit expulſus*.

§. 16. Cæterum poſtquam Eccleſia Chriſtianos experta eſt Rectores, conſtitutionum Eccleſiaſticarum, Canonumque, major & conſtrictior vis obligandi eſſe cœpit. Quæ enim

p) *Diſſ. de Orig. I. C. p. 34. add. not. ad Lancel. I. C. proœm. lit. l. ſ. a.*

q) 1. Cor. 14. 40.

r) *H. E. l. 7. c. 29.*

enim per modum regularum, ex reverentia, & obedientia Epiſcopis debita, obſervabantur, & obſervari debebant, per Chriſtianos Imperatores, Reges, cæteroſque Magiſtratus, vim legum conſequebantur. Sic enim *Iuſtinianus* Imp. a) non ſolum *ſanctas Ecclesiaſticas regulas, quæ à ſanctis quatuor Conciliis expoſitæ ſunt & firmatæ, vicem LL. obtinere ſanxit*; ſed & *M. Antonius de Dominis*, b) ex Actis Concilij Valentini, c) ſub Lothario Imper. habiti, in quo Patres congregati multa pro Eccleſiaſticæ diſciplinæ reparatione ſtatuerant, refert, quomodo, *ſtatuta ſua, alioqui vim legis non habitura*, à Principe confirmari debere, cenſuerint, *ſuppliciter poſtulando, omnino pij Principis autoritate illa muniri.* Idem apud Reges Francorum alios obtinuiſſe, & moris fuiſſe, probat, refertque ex *Franciſco Florente*, d) doctiſſimus *Stephanus Baluzius*, e) quod *per tempora* Carolingiorum *in conſilium regium adhibiti fuerint Epiſcopi, una cum regni Proceribus, in conventibus publicis, qui à regibus noſtris indicebantur, in quibus Conciliorum ſanctiones examinabantur, res ad Eccleſiaſticam Politiam ſpectantes ordinabantur, & ad omnium utilitatem Capitula, ſeu leges, promulgabantur omnium ordinum conſenſu.* Additque, *Capitula* tali modo *conſtituta à Principe, lecta fuiſſe coram populo, & poſtquam omnes conſenſerant, novis illis Capitulis*, ſeu conſtitutionibus Eccleſiaſticis, *omnes ſubſcribebant.* Et hoc eſt quod

a) *Novell.* 131. *c.* 1.

b) *de Rep. Eccleſ. l.* 6. *c.* 5. *ſ.* 88.

c) *c.* 23.

d) *Differt. de I.C. p* 70.

e) *Capp. Reg. Franc. t.* 1. *Præfat. n.* 7. *ſq.*

f) *Epiſt. 48.* B. *Auguſtinus* monuit: f) *Serviant Reges terræ Chriſto, etiam leges ferendo pro Chriſto.*

§. 17. Hæc etiam eſt diſciplina, quæ in noſtris Evangelicis Eccleſiis invariatæ Auguſt. Confeſſioni addictis, adhuc hodie, de conſtitutione *Iuris Eccleſiaſtici*, ſeu legum Eccleſiaſticarum, docetur. Sic enim Theologus noſtras, plane eximius, B. *Gerhardus*: a) *Conſtitutionum cum verbo DEI congruentium, decorum & ordinem ſpectantium 1. Cor. 14. v. 40. quarum quædam reſpiciunt ritus & ceremonias, quædam diſciplinam, rectamq́ vivendi normam, ſanctio, non ad ſolum Miniſterium, ſed etiam ad Chriſtianum Magiſtratum, utriusq; Tabulæ Decalogi cuſtodem pertinet, ac cum conſenſu Eccleſiæ fieri debet*: ceu ſupra jam monuimus. In juris hujus poſſeſſione, & uſurpatione, cum magna pars libertatis Eccleſiarum conſiſtat; recte Dn. D. *Schilterus* b) diſputavit de *reductione regiminis Eccleſiaſtici ad ſtatum Carolinum*. Ex quo etiam patet, appellationem ad Curiam Romanam, de jure fieri non debere. Sub Rectoribus ergo Chriſtianis, quod haud raro Epiſcopi adhuc pergerent Laicorum cauſas decidere, ut prioribus ſeculis facere conſueverant, Laicis & Apoſtolicum conſilium, c) prioribus temporibus probatum, reſpicientibus, & ab illorum integritate optima quæque ſibi promittentibus, ex mera Principum conceſſione, privilegio, & gratia, factum eſt. Quod exinde ſatis patet, quod, *Petro de Mar-*

a) *de Miniſt. Eccleſ. §. 193.*

b) *Iib. Eccleſ. Germ. l. 3. 5.*

c) *1. Cor. 6. v. ſqq.*

Digitized by Google

ca d) etiam obſervante, *ordo, quem ſequi oporteret in judiciis Canonicis, à Principe fuerit præſcriptus.* De LL. Juſtiniani Imp. teſtatur id *Ivo Carnotenſis,* e) epiſtola ad Leſiardum Sueſſionem Epiſcopum, *de inſtitutis Legum novellarum,* quod *Eccleſia Romana illas commendet & ſervet.* Secundum quarum præſcriptum etiam, vim legis licet non exeruerint in Gallia, idem *Ivo* ad caſum ſibi propoſitum reſpondit. Prolixius etiam in hoc eſt *Marcus Anton. de Dominis,* f) ut oſtendat, quomodo Principes leges *ſcripſerint ſervandas in & ab Eccleſia, moderantibus etiam res ipſas Eccleſiaſticas.* Eadem inſequentibus temporibus Capitularium, à Regibus & Imperatoribus Francorum promulgatorum, fuit autoritas, graviter & ſerio injungente *Carolo Calvo* g) Capitularium horum obſervantiam; neve *Epiſcopi ſub occaſione, quaſi autoritatem habeant Canonum, ſuis conſtitutis reſultent, aut negligant, ſed potius Canones ut intellegendi ſunt intellegere, & in cunctis obſervare procurent:* Hoc eſt, ut utrumque faciant; & ſuas conſtitutiones nimirum ut ſervent, quas concordiæ gratia inter Epiſcopos & Presbyteros proviſionaliter fecerat; & Canones non contrarios ſuis LL. recte intelligant. Prolixius eſt in hoc docendo *Baluzius,* h) qui ſimul oſtendit, ipſum Pontificem obedientiam LL. his Eccleſiaſticis promiſiſſe.

d) *de Conc. c. 1. l. 4. c. 20. §. 6.*

e) *Epiſt. 283. p. m. 233.*

f) *l. 6. de Rep. Eccleſ. l. 6. c. 6. ſ. 105. ſqq.*

g) *Capitul. tit. 5. c. 8. t. 2. Capp. Regg. Franc. ſ 26*

h) *Capp. Regg. Frãc. t. l. Præfat. n. 18. ſqq.*

§. 18. Si hiſtoricum foret noſtrum inſtitutum, doceremus, quomodo in ſequentibus

bus temporibus hæc ratio juris Eccleſiaſtici conſtituendi multum fuerit immutata. Contra jura quippe tam divina, quam naturalia, id quod ad totam Eccleſiam, & omnes ejus hierarchias, ſeu ſtatus Eccleſiæ, pertinere oſtendimus, Gregorius VII. ad ſe pertrahere tentavit. Satis hoc teſtantur illi DICTATUS, atque Capitula, quæ leguntur apud *Baronium*: a) Ex quibus, quod ſeptimo loco legitur, ita habet: *Quod Papa ſoli liceat pro temporis neceſſitate novas leges condere, novas plebes congregare, de Canonica Abbatiam facere; & è contra; divitem Epiſcopatum dividere, & inopes unire.* Inter cauſas hinc aucti novi juris refert *Petrus de Marca*, b) quòd *ſuprema poteſtas, quam in plerisq; cauſis judicandi Synodi provinciales obtinebant, penitus extincta ſit, & ad ſolum ſummum Pontificem revocata.* Hoc ſcil. eſt libertatem Eccleſiæ, quam iſta tempeſtate hoſtes poteſtatis ſecularis præ ſe ferebant, aſſerere! Utique, ſi Eccleſiæ nomine ipſe Pontifex intelligitur, ſecundum receptam apud Curiales interpretationem. Sed res clara eſt. Novo nimirum jure opus erat, quo dominatui Pontificio ſuum non deeſſet robur. Impudens etiam eſt aſſertum, quo Reges, qui LL. Eccleſiaſticas condiderunt, ad reſtaurandam diſciplinam Eccleſiaſticam, id ex permiſſu & nutu Epiſcoporum, imo Romanorum Pontificum autoritate feciſſe, Curiales Theologi fingunt, caſtigante hoc nomine pro me-

a) *Annal. tom. XI. ad ann. Chriſt. 1076 f. m. 479.*

b) *de Conc. Sac. & Imp. l. 3. c. 6. § 4. f. 161.*

Digitized by Google

merito *Gretſerum* doctiſſimo *Baluzio.* c) Patet denique ex dictis, à vero aberrare *Bellarminum*, d) cum in Eccleſia Romana *ſemper creditum eſſe* fingit, *Epiſcopos in ſuis diœceſibus, & Romanum Pontificem in tota Eccleſia, eſſe veros Principes Eccleſiaſticos, qui poſſint ſua autoritate, etiam ſine plebis conſenſu, vel Presbyterorum conſilio, leges ferre, quæ in conſcientia obligent, judicare in cauſis Eccleſiaſticis, more aliorum judicum, ac demum punire.* Olim enim non erat ſic, ut oſtendimus: Et opponimus his aſſertis ea, quæ hac de re *M. Antonius de Dominis* ſcripſit contra hos Curiales. Recuperarunt etiam Proteſtantium Eccleſiæ hæc jura conſtituendi LL. Eccleſiaſticas, per ſeceſſionem à Romana Eccleſia. Sententia autem noſtrarum Eccleſiarum continetur in *Auguſt. Confeſſ.* e) & vindicatur à *Dannhawero.* f)

c) *Cap. Regg. Fran. t. I. proleg. n.* 10.

d) *de Rom. Pontif. l.* 4. *c.* 15.

e) *art.* 28.

f) *H. P. P. I. p.* 657. *ſq.*

§. 19. Magiſtratui civili ſuum jus circa legum Eccleſiaſticarum conſtitutionem ſic aſſerimus, ut ne *infidelem* illo privandum eſſe cenſeamus. Gaudet enim Magiſtratus civiles hoc jure, & qua Magiſtratus, & qua Magiſtratus Chriſtianus eſt, & orthodoxus. Hoc modo dupliciter, illud ſibi vindicat. *Primo*, qua auditor Chriſtianus eſt, qui cum cæteris Eccleſiæ membris, ut de aliis Eccleſiæ juribus, ita quoque de jure & cura conſervandi verum DEI cultum, collapſum reſtaurandi, cæteraque quæ ad vitam Chriſtiano homine dignam utique agendam, atque ad diſciplinam Eccleſia-

cleſiaſticam ordinandam ſpectant, habituali-
ter, ideo quia membrum Eccleſiæ eſt, par-
ticipat. Ἀδελφοί, *fratres*, inquit Apoſto-
a) *Phil.* 4. 8. lus, a) Ergo quouſque, & ad quos, nomen
fratru, in Eccleſia ſe extendit, tam late patet
jus cogitandi de illis, quæ ad diſciplinam inter
Chriſtianos conſervandam pertinent. Ὅσα
ἐστὶν ἀληθῆ, ὅσα σεμνά, ὅσα δίκαια, ὅσα ἁγνά,
ὅσα προσφιλῆ, ὅσα εὔφημα, εἴ τις ἀρετὴ, καὶ εἴ τις
ἔπαινος, ταῦτα λογίζεσθε, *quæcunq; ſunt vera,
quæcunq; honeſta, quæcunq; juſta, quæcunq; pu-
ra, quæcunq; accommoda, quæcunq; boni nomi-
nis, ſi qua virtus, ſi qua laus, hæc cogitate:*
Quod citra rationem ad vitam Chriſtianorum
privatam tantum reſtringitur. *Dein* qua
Chriſtiani cœtus Rector Chriſtianus eſt. Hoc
nomine tenetur, tanquam cuſtos utriusque
b) *Deut.* 17. 18. Tabulæ Decalogi, b) præcipere ea, quæ ad
recti cultus conſervationem, corrupti reſtitu-
tionem, diſciplinam Eccleſiaſticam, & exter-
nam Eccleſiarum gubernationē: & ad hos ob-
tinendos fines, pertinent. Imo ad hoc obliga-
tur etiam *qua Princeps*, ſeu qua Magiſtratus.
Etſi enim qua talis eſt, non ſtatim habet ido-
neitatem judicandi de illis, quæ veram religio-
nem, ejuſdemque conſervationem, diſcipli-
nam item Eccleſiaſticam, & alia objecta regi-
minis Eccleſiaſtici concernunt; id quod con-
tingit, ſi Magiſtratus veræ Eccleſiæ non eſt
membrum: Ex vi tamen poteſtatis circa ſa-
cra, quæ abſtracte conſiderata, de eſſentia
ſum-

ſummi civilis eſt imperij, & ſic qua Princeps, jus habet diſponendi de cultu publico, decenti item ſacrorum ordine, & diſciplina externa, vitæ ſanctimoniam reſpiciente. Licet itaque in uſu ſui hujus juris Princeps externus, & qui non eſt Chriſtianus, corruptum vel idololatricum cultum pro vero habendo, graviſſime peccare poſſit, genuinum DEI cultum impediendo; quod ſi tamen idoneitas in Magiſtratu acceſſerit, ita ut de qualitate cultus, aliisq; objectis ad Eccleſiæ conſtitutionem, & externam gubernationẽ pertinentibus, recte judicare noverit, uſus ad hoc, ſi ipſe per ſe non eſt idoneus, illo genere hominum, quos DEUS pro rerum harum interpretibus habet, h. e. orthodoxis Theologis, & ſic legitime proceſſerit, jure quoque hoc legitime utetur. Jure ſane Mahometes II. Conſtantinopoli expugnata, hyperepiſcopiam Eccleſiæ Chriſtianæ exercuit, cum, memorante *Martino Cruſio*, c) cognita ex *Gennadio Scholario* Pariarcha Conſtantinopol. fidei Chriſtianæ doctrina, illi non ſolum Epiſcopale pedum manu ſua tradiderit, *ſed & edicto propoſito gravia minatus ſit illis, quicunque moleſtarent, aut calumniarentur, aliquem Chriſtianorum, in eosq; graviter animadverti juſſerit.* Ex *Euſebio* etiam ſupra audivimus, quomodo Chriſtiani in diſciplina Eccleſiaſtica, adverſus Paulum Samoſatenum exercenda, auxilium Aureliani Imper. imploraverint, quod etiam, qua Princeps præſtitit,

c) *Turcograec. p.* 107.

ſtitit. Non ſane id feciſſent noſtri, niſi ἐπι-ſκοπὴν externam etiam in Gentili Principe, & ſic in Principe qua tali, legitime licet, ceu dictum, exercendam, locum habere crediſſent; vigore nimirum ſummi, & divini in his terris Vicarij Imperij, quod in ſubjecto infideli, æque divinas agnoſcit origines, atque in Chriſtiano. Pro *Regibus hinc & omnibus in eminentia conſtitutis, Paulus* d) præcipit *fieri* δεήσεις, προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας, quo ſic erga Eccleſiam & religionem Chriſtianam ſe gerant; ceu hoc fine etiam à DEO conſtituti, *ut placidam & quietam degamus vitam, cum omni pietate & honeſtate.* Ergo ſi *de debito*, ob poteſtatem divinitus conceſſam, & munus DEI his in terris Vicarium, loquimur, Princeps qua Princeps tenetur, ſecundum Apoſtoli diſciplinam, ſubditos ſuos & pios, & honeſtos reddere: quicquid ſit de aptitudine, quam qua Princeps eſt Gentilis non habet. Finis *à* DEO *poteſtati Magiſtratus conſtitutus, non abſolvitur*, inquit B. *Hülſemannus*, e) ſola *tranquillitate & honeſtate vitæ civilis, ſed introductione & conſervatione omnis pietatis*, 1. Tim. 2. 2. *qua voce non omnem qualemcunque DEI cultum, ſed unicum, eumq; Chriſtianum, purum & ſalvificum definiri*, ex ſcripturis conſtat. Omnes etiam tenentur ad *aperiendas Chriſto portas*, f) modo omnes hanc ſui officij partem recte agnoſcere vellent, nec ob infidelitatem, vel per-

d) 1. *Tim.* 2. 1. *ſq.*

e) *Brev.* c. 20 *ſupp.* n. 3 §. 7.

f) *Pſal.* 24. 7.

Digitized by Google

perverſum de rebus divinis ſenſum, debita aptitudine in tantum deſtituerentur: De quo alia occaſione plura. Diſtinctio inter *poteſtatẽ internam*, & *externam*, quæ hic locum habet, ſolidior eſt, quam ut tam facile everti poſſit.

§. 20. Variante itaque ſtatu Eccleſiæ externo quoad Hierarchias, quæ pars ſunt ordinis, à *Paulo* a) imperati, & in genere licet notati, atque politiam externam, ita ut aliter ea ſe habuerit tempore Apoſtolorum; aliter ſub Epiſcopis ante Conſtantini M. tempora; aliter ſub Chriſtianis Imperatoribus, & Regibus, ante Gregorium VII. aliter poſt ejus tempora ante Reformationem, ſub Monarchia Curiæ Romanæ; aliter denique poſt Reformationem, apud Proteſtantes inprimis, ubi Eccleſiæ reſtituta fuit libertas, quam habuit olim ſub Imperatoribus, & Regibus Francorum: Variante, inquam, toties ſic ſtatu Eccleſiæ externo, variavit etiam ſimul jus Eccleſiaſticum: Sicut etiam illud variaſſe oſtenderunt doctiſſimi *Petrus de Marca*, *Beveregius*, *Baluzius*, *Zieglerus*, & alij. Unde cum, in genere de illo loquendo, illud primo conſtaret, & compoſitum eſſet ex legibus & præceptis divinis, ex S. literis deſumtis, quibus ea, quæ conſtituebantur, aſſerebantur; Canonibus Apoſtolorum, atque Conciliorum, ſcitis etiam Patrum; poſtea acceſſerunt Epiſtolæ veterum Pontificum; quas genuinas non eſſe, ſatis conſtat, quod & doctiſſimi quique ex Pontificiis

a) 1. *Cor.* 14. 40.

ipſis

ipſis agnoſcunt; & aliæ in ſequentium Pontificum conſtitutiones, & decreta &c. Obtinuerunt etiam traditiones, & Conſuetudines, ad quas in quæſtionibus Juris Eccleſiaſtici fuit provocatum, quas etiam infringendas eſſe negavit *Ivo Carnotenſis*. b) Hodie Eccleſiæ Proteſtantium poſtquam jure divino competentem recuperarunt libertatem, ita quid juris Eccleſiaſtici apud illos ſit, ex ſingularum Eccleſiarum *Agendis*, quæ *particularum Eccleſiarum* Sanctionibus reſpondent, cognoſcitur, & *Ius Eccleſiaſticum particulare* appellari poſſunt.

b) *Epiſt.* 65.

§. 21. Obligationem Juris hujus Eccleſiaſtici quod attinet, obligat illud per modum Legis poſitivæ humanæ, quatenus autoritate & juſſu Civilis Imperij promulgatur. Quæ ex divino jure aſſumuntur, jam ante uti vim obligandi habuerant, ita demum per propoſitionem, & promulgationem humanam, talem non acceperunt. Si quæ autem circa ἀδιάφορα ab Epiſcoporum conventibus conſtituta ſunt, ad bonum & decentem ordinem in externa ſocietate Eccleſiaſtica faciendum, & conſervandum, licet talia ex miniſteriali poteſtate iſti præceperint, a) Eccleſiæ tamen, cujus ſunt miniſtri, à quolibet membro hoc debetur, ne, cæteris paribus, τάξις καὶ εὐσχημοσύνη turbetur, vigore præcepti Πάντα. b)

a) 1. *Cor.* 4. 5. 2. *Cor.* 4. 5. *Coloſſ.* 1. 25. 2. *Cor.* 8. 8. b) 1. *Cor.* 14. 40. 1. *Pet.* 5. 5.

§. 22.

Digitized by Google

§. 22. Species Juris humani denique cum ſit Jus Eccleſiaſticum, patet, pro circumſtantiarum varietate, illud quoque varie mutari, limitari, & abrogari poſſe. Priſci ſane Canones, mutata facie Eccleſiæ hodie, magna ex parte uſum amplius non habent. Jus autem Canonicum quod attinet, etſi *Petrus Mattheus*, a) *jus Pontificium prima laude tot ſeculis obſervatum, miros Eccleſiaſticæ diſciplinæ fructus attuliſſe* exiſtimet, licet etiam ex illo præſidia veritatis adverſus Pontificios peti poſſint, ceu *Saccius* b) oſtendit; non defuerunt tamen, nec deſunt, qui ſub initium, & tempore Reformationis, Jus Canonicum à Proteſtantibus penitus antiquari, & è Scholis noſtris eliminari debuiſſe, opinantur, quod in Jurisprudentia Eccleſiaſtica explicanda illud multi incaute ſecuti fuerint, & ſequantur. Pertinaciter illis non contradixerim. Conſtat enim quod rerum Theologicarum & Moralium, Antiquitatis etiam Eccleſiaſticæ cognitione, vel aliis etiam præſidiis non ſatis inſtructi, non ſolum interdum parum caute illud ſequantur; ſed quod etiam quoad ea, quæ in noſtris Rebuspublicis, & regimine Eccleſiaſtico externo, uſum habere, & habitura eſſe credita fuerunt, à quolibet ſtatu Proteſtantium ſimilia conſtitui potuerint. Cum vero id nunc vix fieri poſſit, bene fit, quando oſtenditur, quid in Pontificij juris diſciplina Eccleſiam & Rempublicam turbet, quod B. Zieg-

a) *Præfat. ad 7. decretal.*

b) *de latit. in I. C. docum. Conf. Orthod. p. 12. ſqq.*

Zieglerus in *Lanceloti* explicatione præſtitit, quod & Dn. D. *Schilterus*, & Dn. D. *Schragius*, JCti noſtrates, monuerunt in Jure hoc docendo occupati.

ARTIC. III.

De
JURE PRÆCEPTIVO, ET PERMISSIVO.

§. I.

JUre jam aliquid præcipi, jam aliquid tantum permitti dicitur. Jus hinc aliud præceptivum, aliud permiſſivum vocatur; etſi cum ſolum præceptivum vim obligandi habeat, hoc etiam ſolum proprie legis nomine venire poſſit, permiſſione *non niſi*, ut *Grotius* a) loquitur, *alium ab eo cui permittitur obligante, ne impedimentum ponat*: hoc eſt *Zieglerus* b) explicante, *non reſpectu agentis, ſed ejus, qui reſiſtere, aut impedire agentem alias potuiſſet*. Conſiderari hinc vult *Cicero*, c) *utra lex jubeat aliquid, utra permittat. Nam id quod imperatur, neceſſarium: illud quod permittitur, voluntarium eſt.*

§. 2. *Præceptivum* dicitur *jus* jam *laxiori*, jam *ſtrictiori* ſenſu. *Hoc* juſſionem tantum ſignificat, poſitive, & affirmativis verbis præcipientem, prohibitioni negative conceptæ contradiſtinctam: *laxiori* autem acceptio-

a) *l. B. P. l.* 1. 9.
b) *in Grot. l. c.*
c) 2. *de Invent. P.* 80. *b.*

ceptione tam negativum, quam affirmativum præceptum complectitur, cum & interdictum ſuo modo ſit præceptum, ne aliquid fiat, & æque ex imperio in perſonam, & actiones civis, exoriatur, atq; juſſio, qua præcipitur actus aliquis honeſtus, ut fiat. Ne dicam, quod & *Puſendorfio* a) obſervatum, *quodvis præceptum affirmativum virtualiter continere interdictum omnis oppoſiti, cum quando jubetur diligere proximum, eo ipſo vetatur inferre illi omnia, quæ dilectioni repugnant.* Legem hinc *Cicero,* b) quam *permittenti* contradiſtinguit, aliam *jubentem,* aliam *vetantem* eſſe dicit. *Senecæ* c) dicitur *lex, quæ quid oporteat quærit.*

a) *de Offic. homin. & civis, Præfat.*

b) *l. c.*

c) *IV. Controv. 25.*

§. 3. Jus præceptivum effectum eſſe imperij in caput & actiones ſubditi, ſatis conſtat. Non enim cum efficaci obligatione inferiori ſuperior præcipere, ſuisque conſtitutionibus, & juſſionibus, eum ligare & cogere poſſet, niſi hic ejus jubendi, imperandique poteſtati foret obnoxius, quæ virtute ſua in capite & actionibus ſubditi hunc producit effectum, ut ejus voluntas regatur ad arbitrium imperantis. Agnoſcens hoc M. Terentius, ob Sejani amicitiam accuſatus, ad Tiberium, *Tibi,* inquit apud *Tacitum,* a) *ſummum rerum judicium Dij dedere, nobis obſequij gloria relicta eſt.* Et cum vis juris præceptivi in hoc conſiſtat, ut compellat ſibi obnoxium ad omnia, quæ finis civitatis, ſive conſociationis, qui & omnium bonarum legum finis, requirit, ma-

a) *6 Annal. 8. 5.*

niſeſtum eſt, *ſi ubi jubeantur, quærere ſing*
liceat, pereunte obſequio, imperium intercid
b) 1. *Hiſt.* 83. 6. uti de diſciplina militari differens Otho loq
tur apud *Tacitum.* b)

§. 4. Cæterum quemadmodum i
perium ſuperioris jus parit præceptivum,
diverſum legiſlatoris propoſitum præce
jam affirmativa, jam negativa ſancit. *Et*
ſolum præcipere, ſed & prohibere ipſum, jube
a) *Hieron.* *t. II. Opp.* *f. 7.* *eſt*, ſcribit *Autor Epiſtolæ ad Demetriad.* a) v
go *Hieronymo* adſcriptæ. Cum enim hic b
ni legiſlatoris finis ſit, ut non ſolum id qu
juſtum & honeſtum eſt præcipiat, ſed &
peccandum proclives à malo revocet, il
per *præcepta affirmativa*, hoc per *negativa* c
tinere intendit; non ſemper tantum, ſed &
ſemper his obligantibus, ad malum vitandu
cum illa ſemper quidem, ſed non ad ſem
b) *Marchât.* *Tribun.* *tom. II.* *tract. 2. tit.* *1, q. 1. f. 186.* obligent. b) Illius ratio eſt, quia malu
quod præcepto negativo prohibetur, nu
unquam tempore perpetrare licet: Huj
quod à bono aliquo faciendo, quod præce
affirmativo præcipitur, nonnunquam, c
cumſtantiis ita ferentibus, ceſſare liceat, i
neceſſe ſit. *Accendas vitia, irritesq; vetan*
temporibus ſi non aggrediare ſuis, canit Po
c) *Ovid.* 1. *Remed. am.* ta. c) Certum vero eſt præterea, quod pr
cepta negativa non ſolum propter comm
peccata, ne in poſterum rurſus delinquat
proponi queant, ſed & ne unquam comm
tantur, uti ipſe DEUS præcepto, *de ligno*
co

Digitized by Google

comedas, d) in ſtatu integritatis Protoplaſtos à peccato revocatum ivit; cum uti doctè monet Dn. D. *Alberti*, e) *ad illa ſancienda ſufficiat libertas contrarietatis, agendi bona perinde ac mala, etſi ad hæc nulla detur inclinatio.*

d) *Gen.* 2. 17.

e) *Comp. I. N. P. l. c.* 1. §. 46.

§. 5. Cum vero, ſecundum *Modeſtinum* a), *virtus legis ſit, non tantum imperare, vetare*, ſed & *permittere*, *Ciceroni* quoque agnita, bene jam B. *Bœclerus* b) monuit, *non illo laxo ſenſu ſumi permittendi vocem, quomodo permitti dicuntur, quæ intra terminos abnutivos non vetantur, id eſt ſilentio prætereuntur, non attinguntur verbis legis: ſed ut lex ipſa, permitti aliquid indicat*: Quod etiam fieri cenſendum eſt, ſi in ſenſu legis continetur, vel per neceſſariam conſequentiam eidem ineſſe cognoſcitur. Non enim loquimur de eo quod quocunque modo permiſſum eſt, ſed de eo, quod jure aliquo, hoc eſt legis actione, non omnis plane actionis negatione permittitur, quando ſcil. lex in vetando occupata aliquid non prohibet. Sic enim non agendo lex agit, hoc eſt permittit, & cenſetur permittere, quod in prohibendo occupata neque κατ' ῥητὸν, neque κατὰ διάνοιαν vetuit, cum uti jam diximus, verba legis cavillanda non ſint, ſed mens inſpici debeat. *Multa* quippe, *Pufendorf.* c) monente, *continentur in ſenſu legum, & ex neceſſaria conſequentia, aut propter ſimilitudinem ultro ineſſe intelliguntur.* Et hoc ſenſu etiam intelligi debet illud *Tertulliani*: d) *Quod non*

a) *l.* 7. *dig. de LL.*

b) *Commet. Grot. P. I. l.* 1. *p.* 145. *ſq.*

c) *de I. N. O.* 1. 6. 15.

d) *de Coron. Milit. c.* 2.

prohibetur, ultro permiſſum eſt. Ab hoc jure permiſſivo multum differt illud genus permiſſionis, quod ex propria cujusque libertate exoritur; vel quod nulla plane legis alicujus exiſtentis, quoad objectum aliquod data actione naſcitur. Quarum permiſſionum origines diſtinctius ſunt evolvendæ.

§. 6. *Origines* itaque *juris permiſſivi* quod attinet, quod non ſine omni legis actione, cujuscunque indoli tamen conveniente, concipi debet, eaſdem æque in imperio legiſlatorio quærendas eſſe conſtat, atque ex illo jus præceptivum derivari debet. Idem enim imperium, quod ex poteſtate, quam in caput hominis habet, vim ſuam exerit actiones ejuſdem ad certam agendi normam adſtringendo, ex vi ejuſdem poteſtatis declarare quoq; poteſt, quid in cujusvis arbitrio agendi relictum eſſe debeat, ut à nemine cogi poſſit ad illud vel ſuſcipiendum, vel omittendum. a) Uti vero hæc agendi libertas eſt effectus à lege factæ permiſſionis; ita diverſi generis eſt illa permiſſio, quæ ex propria cujusque libertate provenit, vigore cujus à nemine mihi aliquid præcipitur, vel vetatur, quo minus legitime, & cum effectu morali, actionem aliquam edere poſſim. Eſt enim *libertas*, uti *Vasquio* b) definitur, *naturalis facultas ejus, quod cuiq; facere libet, niſi quid vi aut jure prohibeatur.* Sicut itaque impedimentum, quo minus lege aliquid permiſſum dici poſſit, ipſa legis eſt prohi-

a) *Selden. l. N. G. l. 4. p. 52.*

b) *Controv. Illuſtr. l. 1. c. 17. n. 5.*

hi-

hibitio; ita quo minus ex propria cujusque facultate aliquid licere, & permiſſum eſſe dici queat, impedimento ſunt agenti, vel vis externa, vincula, vel alterius jura potiora, & quæ alia extrinſecus accedere poſſunt obſtacula. Libertas, cujus effectus eſt hæc ſecundi generis permiſſio, *Platoni* c) dicitur αὐτοκράτεια ἐπὶ παντὶ, *ſumma in ſeipſo cujuſlibet rei poteſtas*; & pertinet plene ad ſtatum hominis naturalem. Nam quilibet homo naturaliter ſui juris & poteſtatis eſt, quæ non niſi facto humano, & jure adverſus tam liberum animal quæſito, minuitur, limitatur, tollitur. Prioris generis permiſſio non dicit omnimodam actionis legis negationem, ceu explicatum; in hac lege plane nihil agente: Etſi quod ex naturali libertate, nulla lege per verba permittentia agente, conceſſum eſt, lege etiam permitti, nec abſurdum, nec ſemper ſuperfluum ſit. Ita licet viatori neceſſariæ defenſionis ergo arma geſtare liceat; viſum tamen fuit Friderico Imp. d) expreſſa id *permittere* conſtitutione. Defenſio ſui, & ſuarum rerum, homini ex naturali quidem competit facultate, & proinde *naves non bellicas ob fines non bellicos è portu proficiſcentes armare, naturaliter*, ut *Bœclerus* e) loquitur, *illis licet, quibus itineris maritimi poteſtas facta eſt*; interim tamen, *Meterano* f) notante, placuit Ordinibus Belgij Confœderati, expreſſa etiam lege, ad Orientis Indos navi-

c) *in definit. f. m.* 748.

d) *Conſtit. Sicul. l.* 1. *tit.* 14.

e) *Civit. Marit. c.* 3.

f) Rer. Belg. *l.* 23. *f.* 159.

vigantibus defenſionem ſui contra aggreſſores injuſtos *permittere*.

§. 7. Diverſa denique ab explicatis hiſce permiſſionis ſpeciebus illa adhuc eſt permiſſio, qua aliquid permitti dicitur, non quod lege per verba permittentia conceſſum, vel ab eadem inter vetita neque expreſſe, neque tacite, numeratum fuerit, aut quod ejus exercitium ſit naturalis facultatis; ſed quod nulla plane legis actione attingatur, ceu extra rationem illius objectivam poſitum. Quod enim legis alicujus objectum non eſt, id à lege iſta neque præcipi, neque prohiberi, neque ſic permitti poteſt, ut ille cui aliquid ita permiſſum eſt, tale jus agendi conſequatur, ut à nemine in illius exercitio turbari debeat. Cum itaque tertij hujus generis permiſſio, quam *negative* talem, *nudi* item *facti*, poſſumus appellare, nec in lege aliqua, quam in hoc caſu non dari ponimus, ullave ejus actione, nec in propria agentis facultate, ſuas inveniat origines, ſed tantum in negatione alicujus impedimenti, ne quid fiat prohibentis, patet, permiſſum ita dici, quod nil obſtet. Nullum ſc. impedimentum, neq; pœna, quo minus fiat; & quod qui ſic agere vult, ab impedimentis & pœnis ſit liber. Ad hoc genus permiſſionis referimus Proditiones, quæ inter gentes belli tempore exercentur, ceu permiſſæ; ad eas licet Gentium jus actione permittente ſe non extendat.

Com-

Digitized by Google

Complura etiam hujus numeri ſunt, quæ non niſi temporis, aut neceſſitatis cauſa tolerantur.

§. 8. Cæterum quæ primi generis eſt permiſſio, exercetur legitime circa res indifferenies, prout illas prohiberi, vel permitti, ſocietatis, quæ legibus ejusmodi dirigitur, intereſſe prudens judicat legiſlator; vel etiam in malis, quibus Reſpublica non eſt par, de quibus celeberrimi Dn. *Rechenbergii* doctiſſima extat diſſertatio, a) ubi conſultius videri putat, vitia adulta, vel minus malum majoris avertendi cauſa tolerare, & connivere, quam *intempeſtivis remediis delicta accendere*, uti in ſedandis Judææ motibus Felicem Præfectum feciſſe, *Tacitus* b) tradit; cum, quod de morbis corporis *Seneca* c) monuit, id de vitiis quoque interdum verum ſit, *nihil* nimirum *magis eſſe periculoſum, & pernicioſum, quam immaturam medicinam: cum haud raro remedia non ſuſtineant, nec ſe tangi ac tractari patiantur.* Ipſe certe DEUS ſanctiſſimus in gente Ebræorum divortium ſic permiſit, d) ut Chriſtus iſtius permiſſionis atque tolerantiæ aliam nullam allegaret cauſam, præter σκληροκαρδίαν populi. e) Illa vero permiſſio quæ ſic dicitur, quod in cujusvis arbitrio atque propria facultate ſit poſita, nec in ulla legis actione permittente ſuas agnoſcat origines, potiſſimum cognoſcitur in illis, quæ ex ratione incolumitatis & commoditatis ab his, qui ex

a) *de Vitiis quibus civit. impar.*

b) *Annal.* 13. 54. 3.

c) *Conſolat. ad Helv. matr. c.* 1.

d) *Deut.* 24. 1.

e) *Matth.* 19. 8.

proprio arbitrio facultatem agendi habent, fiunt & geruntur ratione extraordinaria & ſubſidiaria. Talia ſunt quæ ex ratione ſtatus atque belli fiunt ab illis, qui ex proprio arbitrio Rempublicam & bellum adminiſtrant, Quanquam & privatorum negotia, & neceſſitates, in ejuſmodi ſtatum haud raro deducuntur, ut ex proprio judicio, arbitrio, atque facultate agere etiam modo quodam extraordinario liceat, nulla lege, quæ talem rerum ſtatum & habitum concernat, exiſtente. *Sæpe tempore fit*, ait *Cicero*, f) *ut quod plerumq; turpe haberi ſoleat, inveniatur non eſſe turpe.* Non enim niſi de in ſe licitis hæc permiſſio intelligi debet; ad quam accommodes illud *Senecæ*: g) *Quam anguſta innocentia eſt, ad legem bonum eſſe. Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt, quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.* Quæ enim non niſi de nulla lege prohibente, & ſublato impedimento, exemptione item à pœna, gloriatur permiſſio, quicquid libet impudenter licere contendens, cum agat impune, & nemine impediente, & ſic licentioſe tantum; eandem in inhoneſtis, non tanquam illicitis tantum, ſed & vere pudendis, verſari dicimus; cui objicias illud *Auguſtini*: h) *Si correctio pigra eſt, ſaltem aſſit Pudor.*

f) 3 *Offic.* 4.

g) 2. *de ira* c. 27.

h) *c.* 7. *Opp. contra literr. Petil. l.* 1. *c.* 18. *f.* 82. *add. Grot. J. B. P. III.* 4. 2.

§. 9. De *effectu permiſſionis* notandum, quod qualiſcunque illa ſit, & cujuscunque

Digitized by Google

que etiam legis, nunquam tamen ſit efficax contra jus ſuperioris. Non enim, bene monente *Puſendorſio*, a) *poteſt permiſſio legis civilis efficere, ut actus aliquis non ſit contra jus divinum, aut extra pœnæ divinitus imminentis metum.* Variat alias effectus permiſſionis, prout variat ipſa permiſſio, ejusque modus. Et quidem, quantum primi generis permiſſionem concernit, quæ lege fit, & *permiſſio juris*, ſive *jus permiſſivum* etiam appellatur, fit illa à legiſlatore, qui autor hujus juris eſt, per legem vel plene & perfecte, vel imperfecte. Illud contingit vel *poſitive*, per verba permittentia, quibus permiſſio decernitur, v. c. in LL. XII. Tabb. b) prout eas *Lipſius* collegit, ita conſtituitur: *De furto paciſci liceto*: Vel *negative*, per præteritionem ſcil. *non quidem*, uti B. *Bœclerus* c) monet, *ſimpliciter*, ſed ſi id conſtet *ex formula & conſilio legis ita concepta, ut legiſlator oſtenderit, ſe voluiſſe plena enumeratione partium defungi*: Tum enim permiſiſſe cenſetur, quod neque præcepit, neque vetuit. Effectus hujus permiſſionis hic eſt, ut cæteri obligentur ad non impediendum eum, quo minus jure ſuo fruatur, cui iſta facta eſt permiſſio. Qui, ſi contra fecerint, non ſolum permittens illos jure punire poterit, ſed & defendere læſos tenebitur, niſi ſuis legibus, privilegiis, atq; reſcriptis, impune illudi pati velit. Promittimus nos, inquit Sigismundus II. Poloniæ Rex d) apud *Chytræum*, *tam Principi* ipſi

a) *l. N. G.* 1. 6. 15.

b) *Leg.* 42.

c) *Comm. Grot. P. I. p.* 149.

d) *Liter. Proviſ. inter Reg. Pol. & Livon. ap. Chytra. Sax. f.* 530.

ipſi (Curlandiæ), *quam civitatibus aliis, vel ſubditis ſuis, cujuscunq; ordinis vel ſtatus fuerint, liberum uſum religionis, cultusq; divini, & receptorum rituum, ſecundum Auguſtanam Confeſſionem, in ſuis Eccleſiis, totiusq; rei Eccleſiaſticæ integram adminiſtrationem, ſicut eam hactenus habuerunt, libere permiſimus, nec in ea ullam mutationem facturos, neq; ut ab aliis fiat permiſſuros.* Ægre proin tulit Elector Brandenburg. ann. 1665. in Palatino Neoburgico, c) quod Proteſtantes in Juliacenſi & Bergenſi Ducatibus *contra violentiam* Romano-Catholicorum non defenderit.

c) *ap. Londorp. Act. Publ. t. 8. f. 913.*

§. 10. Imperfecta autem permiſſio, quæ & minor plena dicitur, eſt, quæ pœnam remittendo tantum, non ab omni culpa abſolvendo, nullum actui ponit impedimentum. Referunt huc ex jure Ebræorum divortium; ex jure civili Romano autem lupanaria, concubinatum, &c. Bene vero hic diſtinguit D. *Zieglerus*, a) inter objectum voluntatis legislatoris, & inter objectum permiſſionis ejusdem. *Dum*, inquiens, *permittit legiſlator, permittit immediate malum; dum vero vult permittere, non vult immediate malum, ſed vult permiſſionem mali, quæ in hoc negotio proximum & immediatum eſt objectum voluntatis.* Fit vero hæc imperfecta permiſſio vel actione legis, vel tacite. Actio legis primo ipſum actum in medio relinquit; ſecundo agentem, non à culpa, ſed à pœna tantum exteriori abſol-

a) *Not. in Grot. l. c. §. 17.*

ſolvit; denique malum limitat, & certis cir-
cumſcribit terminis, ne ulterius exorbitet, ſi
impune velit committi. Illuſtrant hoc exem-
plo divortij in Republica Ebræorum; b) cu- b) *Calov. Bibl. Illuſtr. in Deut. 24. f. 603.*
jus limitationem legem divinam, hoc nomine
latam, fuiſſe tradunt. Tacite autem permiſ-
ſa, voluntate licet factum conſequente, iſta
cenſeri poſſunt, quæ, cum contra legem com-
mittuntur, temporis aut neceſſitatis cauſa to-
lerando, connivendo, tranſmittuntur, quia
tutius pœna condonatur. Referri huc poteſt
locus *Taciti.* c) *Nec illis honorare eam cadem jus* c) *Hiſt. 3. 51. 2.*
hominum; aut ulciſci, ratio belli permittebat.
Effectus hujus permiſſionis non eſt jus licite,
interne ſcil. & in foro conſcientiæ, agendi:
Et pertinet huc illud *Tertulliani*: d) *Prohibetur* d) *de Coron. Mil. c. 2.*
quod non ultro eſt permiſſum. Nec de alia,
quam externa in foro civili licentia, & impu-
nitate loquitur *Cyprianus*, e) quando de cor- e) *l. 2. Ep. 2.*
rupti ſeculi moribus corruptis diſſerens, *con-*
ſenſere, inquit, *jura peccatis, & cœpit eſſe lici-*
tum, quod publicum eſt: Cum in fraudem le-
gis naturalis inferior humana poteſtas facere
nil poſſit. Hic vero eſt permiſſionis hujus ef-
fectus, ut is non puniri ſoleat, cui ſic agere
placuit, factum licet minime ſit probandum,
legeque non laudetur. Ἐπειδ' οὐδ' ὁ νόμος
ἑταίραις ὁμιλεῖν ἀπαγορεύει τοῖς πολλοῖς, ἀλλὰ καὶ
προστιθέμενος ταῖς ἑταίραις τὸ μίσθωμα, ἐπονείδιστον
ἡγεῖται μετρίοις ἀνδράσιν, καὶ αἰσχρὸν τὴν περὶ
ταύτας ὁμιλίαν, *enimvero lex vulgus non prohibet,*

no

ne meretricibus conſueſcat : ſed à meretricibus ipſa mercedem exigens, hominibus tamen media tantum bonitatis probroſam, & turpem, cum meretricibus cenſet conſuetudinem, ait *Porphyrius.* f) Huic impunitatis effectui addimus effectum conſuetudinis, in quam frequens actuum exercitium tandē invaleſcit, cujus tandem etiam hic effectus eſt, ut legem priorem contrariam abroget, *veris,* quod per malos mores Romæ accidiſſe apud *Salluſtium* g) Cato queſtus eſt, *rerum vocabulis amiſſis,* ipſaque jura peccatis conſentire videantur. Idem eſt effectus permiſſionis, quæ *nudi* tantum *facti* dicitur, quæ naſcitur ex non lata lege, de tali ſimilive facto aliquid conſtituente, vel illud attingente, vel non dato alio impediente factum. Nam nulla plane permiſſione fieri poteſt, ut actus is non ſit contra jus naturæ, qui eidem contrariatur. De effectibus autem permiſſionis, quæ ex naturali exoritur libertate, & agendi poteſtate, in ſequentibus dicetur, ſuo loco.

f) *de abſtinent. l. 4. c. 18. p. m. 1 1.*

g) *Bell. Catil. c.*

§. 11. Quæ *de interpretatione juris permiſſivi* à B. *Bæclero* a) noſtro diſputantur, eruditiſſima ſunt, & ſic comparata, ut non tantum in diſquiſitione de juris civilis permiſſivi interpretatione locum habeant, ſed & ad omne jus permiſſivum interpretandum adhiberi poſſint. Bene vero de eo quod jure permiſſum eſt judicaturos, oportet ante omnia jus præceptivum bene cognoviſſe. Si enim quid præcipiatur lege ſatis innotuit, ad judi-

a) *Comm. Grot. T. I. p. 151.*

can-

Digitized by Google

candum de permiſſis, h. e. quæ neque vetantur, neque præcipiuntur, conferet id non parum. Nam, quæ *Seldeni* b) eſt Philoſophia, *præſcriptum jus obligativum ex ipſius conſtituentis autoritate tam actus reſiduos, ſeu ad quos nolit ille obligationem attinere, permiſſos deſignat, ſeu licitos eſſe indicat, quam alteros iſtos pro juris ſuperinducti formularum diſcrimine illicitos. Ita ferme, quemadmodum perpetuus limitis in finibus regundis diſterminantis rigor indicat tam extraclufam, quam aſſignatam agri partem, ſeu ut diameter ſeu linea, ſive ſegmentorum, ſive ſectorum circuli utramq; pariter, quæ circumjacet aream arcusq; diviſos.* Ita pro permiſſo habere licet, hoc eſt, quod lege nec præceptum nec vetitum, cui ratio præcepti vel interdicti non reſpondet, ſi quidem id manifeſtum ſit, illam rationem cauſam præcepti vel interdicti unicam eſſe. Quomodo vero *à ratione legis ſtricta, ſeu limitata, ad reſtrictionem ipſius legis; & à ratione legis ampla, ſeu generali, ad extenſionem ipſius legis valeat conſequentia,* docet *Everhard.* c) Id autem præcipue hic difficultatis eſt, quo pacto in ſingulis juris ſpeciebus ratio iſta certo inveſtigetur, de quo infra.

b) *de I. N. G. l. 1. c. 4. p. 52.*

c) *Loc. arg. legal. p. 467. ſqq. 481. ſqq.*

§. 12. Similiter, quando lege aliquid permittitur, diligenter quæ ſit illius permiſſionis ratio conſiderandum eſt, an moralis & juris, an vero conſilij, & ab utili deſumta illa ſit. Hoc enim uti variat, ita quod jam permiſ-

miſſum tale eſſe deſinit, ceſſante permiſſi-
ratione; certe à prudenti legis interprete
non amplius permiſſo declarari debet,
a) *l. c.* *Bœclero* a) monente, *quæ tolerantur temp*
& neceſſitatis, aut temporarij conſilij cauſa,
ris veri, & juſtitiæ nomine æſtimari non poſſ
b) *t. II. Opp. Apophr. f. 191.* Ageſilaus certe cum, *Plutarcho* b) autore,
cladem Leuctricam Spartanorum in med
progreſſus, ἐκέλευσε τοὺς νόμους, *juſſerit le*
jubentes πάντας τοὺς τρέσαντας ἀτίμους εἶν, ig
minia omnes affici, qui trepidaſſent, ἀπὸ
αὔριον κυρίους εἶν, *à craſtina die ratas eſſe;*
jus permiſſivum proponere, ſed æquam l
in ignavos latæ interpretationem facere int
c) *Controv. 4. 27.* dit. Bene *Seneca*: c) *In lege, inquit, nihil*
cipitur, ſed multa, quamvis non excipiantur,
telliguntur: Et ſcriptum legis anguſtum eſt,
terpretatio diffuſa. Quædam vero tam ma
feſta ſunt, ut nullam cautionem deſiderent. U
de quanquam jure permiſſivo turpia expr
ſe non excipiantur, intelliguntur tamen
cepta, & ſola honeſta, vel honeſtati non rep
gnantia, conceſſa. Legibus etiam ad ment
legiſlatoris illa ſunt permiſſa, quæ ſi juxta n
dam legis literam forent omittenta, non n
abſurde omitterentur.

§. 13. Conſuetudinibus denique,
que moribus receptis, magnam juris permiſſ
partem contineri, inde conſtat, quod ab il
ſæpius ratio pro eo, quod licite & recte fit, p
ſoleat. *Mos majorum tum ut lex valebat,*

Ci

Digitized by Google

Cicero, a) verba faciens de vetere Romanorum Republica, quam *omnium veterum optimam* fuiſſe dicit. *Supplementum* hinc juris permiſſivi mores *Bœclerus* b) vocavit. Loquimur autem de conſuetudinibus quæ ſunt, manentque rationabiles; non de moribus corruptis, qui in licentioſam invaluerunt conſuetudinem; in quos invectus *Plautus*, c) *utinam*, inquit, *veteres mores veteresq; parſimoniæ potius majori honori hic eſſent, quam mores mali. Nam nunc mores nihil faciunt quod licet, niſi quod lubet. Mores leges perduxerunt jam in poteſtatem ſuam. Leges mori ſerviunt, mores autem rapere properant, qua ſacrum, qua publicum.* Fraudulentæ autem juris hujus permiſſivi interpretationes quo pacto à callidis excogitari, excogitatæque in ruborem dari queant, patere poteſt ex illis, quæ alibi *de eo quod ſit in fraudem legis* diſputavimus.

a) 2. *de Legg.* p. 174.

b) *l. c. p.* 151.

c) *in Trinum. Act.* 4. *ſcen.* 3.

§. 14. Applicabimus paucis dicta ad unam & alteram juris ſpeciem. Cumque in ſuperioribus origines *Iuris Naturæ*, *Gentium* & *Civilis*, *Eccleſiaſtici* etiam explicavimus, facile cognoſcitur, ex quibus fontibus jurium horum præcepta & permiſſiones derivari debeant. *Fundamentum*, & ratio remota *juris naturalis præceptivi*, eſt ipſa indoles & natura actuum, qui jure hoc præcipiuntur, atque prohibentur. Cum enim, uti *Grotius*, a) loquitur, illis ex eorundem *convenientia aut diſconvenientia cum ipſa natura rationali inſit mora-*

a) *Iur. B. P.* l. 1. 10.

lis

lis turpitudo, aut neceſſitas moralis, ceu alibi probatur; ne homo in agendo ſibi ipſi diſformis relinqueretur, lege, naturæ ipſius ut rationalis creatura eſt proportionata, ad ea agenda cum DEUS, ſapienter & ſanctè *res omnes per conſentanea media in ſuos fines dirigens*, ſecundum *Auguſtinum*, b) impulit, & talia quæ naturæ ipſius ſunt immutabiliter congrua, eidem legis hujus lator præcepit. Unde enim legis alicujus origines petuntur, inde quoque vis ejuſdem, cum obligatione præcepti derivanda eſt. Et cùm DEUS cum homine per naturam agit in conſcientia, c) omnes hinc, quotquot divino imperio ſumus ſubjecti, vim divini præcepti per leges naturales in foro hoc ſentimus. Hic tacita quædam vis interna mentem mortalium urget, & delinquentibus ſuperioris offenſam denunciat. Vim hanc credunt, judice *Cicerone*, d) *ad rectè facta vocare, & à peccatis avocare, & non modo ſeniorem eſſe, quam ætas eſt populorum & civitatum, ſed æqualem illis, cœlum atq; terras tuentis, & regentis* DEI. Plura Gentilium dicta allegare opus non eſt. Ex noſtris *Chryſoſtomus* e) hæc dixit: ἐξ ἀρχῆς πλάττων ὁ Θεὸς τὸν ἄνθρωπον νόμον αὐτῷ φυσικὸν ἐγκατέθεικε· Καί τί ποτέ ἐστι νόμος φυσικός; τὸ συνειδὸς ἡμῖν διήρθρωσε, καὶ αὐτοδίδακτον ἐποίησε τὴν γνῶσιν τῶν καλῶν, καὶ τῶν οὐ τοιούτων; *ab initio rerum, cum formarit hominem DEVS, ipſi indidit legem naturalem. Et quid eſt lex naturæ? Conſcientia nobis explicavit;*

b) 1. *de lib. Arb. c. 5.* & *c. 6. t. I. opp. f. 672.*

c) *Rom.* 2. 15.

d) 2. *de Legg. P.* 171.

e) *Orat.* 12. *ad Pop. Antiochen.*

tavit, & ex ſe notam fecit notitiam rerum tum honeſtarum, tum earum quæ hujusmodi non ſunt.

§. 15. *Effectus* hujus *juris præceptivi* non eſt hic, ut præcipiendo reddat actus in ſe moraliter bonos vel malos, ceu quales jam ſunt ex conditione objecti, & ſubjecti agentis, ante omnem divinæ voluntatis actum legiſlatorium, qui humanam naturam ad illos, ceu immutabiliter ei convenientes, & hoc nomine etiam neceſſarios, tantum obligat. Nec ulla hic, quoad præceptum ipſum, legum naturalium mutatio, vel etiam diſpenſatio, poteſt habere locum, cum contra rerum immutabilem veritatem agendo, ſummum & perfectiſſimum agens deficeret. In hoc enim conſiſtit rigor hujus legis præ jure poſitivo, etiam divino, quod cum hoc diſpenſationem admittit, illa omnem penitus reſpuat. Multa etiam in reliquis juris ſpeciebus diſſimulantur, quæ jus naturæ rigide urget; ceu erudite hoc & ex inſtituto oſtendit B. Dn. D. *Alberti.* a)

a) *Erot. Lipſ. diſſ.* 12.

§. 16. *Termini juris præceptivi*, ultra quos ejus obligatio ſe non extendit, cognoſcuntur partim ex indole actionum, partim etiam ex fine ſocietatis humanæ. Qui enim actus naturæ hominis rationali & ſociali per ſe ſunt convenientes, atque neceſſario ordinati deprehenduntur ad finem ſocietatis ratione utentium, recte creduntur jure naturali eſſe præcepti. Τῷ θείῳ νόμῳ κανὼν τῶν δικαίων ἐστὶν, οὐ τὸ τύχης, ἀλλὰ τὸ τῆς φύσεως ἐναρμόνιον, *lex*

divina, qualis etiam eſt lex *naturæ, regi*
juſti, non fortunæ, ſed naturæ congruen
a) *de LL. ſpec.* *ficit*, ait *Philo*. a) Quicunque itaque a
ſuæ decentiæ rationem in ipſa natura hu
na, qua rationalis & ſocialis eſt, & in fine
cietatis humanæ, proxime & immediate
bet, vel ex ea deducitur, recte creditur à
naturali præceptus. Hinc enim repete
eſt ratio juſti univerſalis, quo univerſum
nus humanum obligatur ex divino immedi
imperio, ad ſervandam iſtam humanæ con
ciationis unitatem, quam lex DEI æterna
tendit, atque præcipit per ſuum rivulum
gem naturalem. Explicans autem ſeipſ
b) *de Migrat. Abr. f.* *Philo*, b) alibi ſic loquitur: γίνεται δ᾽ ὅταν ὁ
εἰς τὴν ἀτραπὸν τῆς ἀρετῆς ἐλθών, κατ᾽ ἴχ
ὀρθοῦ λόγου βαίνῃ, καὶ ἕπηται Θεῷ, *fit vero* (ut
turæ ſcil. conſentienter vivatur) *cum anim*
ſemitam virtutis ingrediens, per veſtigia
ctumq; rectæ rationis ambulat, & ſequitur D
VM. Concernit itaque hoc juſtum unive
ſale, quicquid DEO, ſibi ipſi, & proximo qu
libet debet. *Primum officium juſtitiæ eſt*,
c) *l. 6. inſt. c. 10.* *Lactantius*, c) *conjungi cum DEO, ſecundu*
cum homine. Solicite vero in hoc juſto un
verſali diſtinguendum cenſemus inter juſtun
ipſum, & modum agendi: Ipſum juſtum,
quod ex vi hujus intrinſeca proficiſcitur,
juris naturalis præceptivi; modum vero a
gendi quod attinet, variantibus circumſtan
tiis, humano is eſt permiſſus arbitrio, mod

ac

Digitized by Google

adverſus jus univerſale ipſum non peccetur. Multa quippe dantur, ubi parum intereſt ad rationem juſti univerſalis, hoc vel illo modo fiant, quæ proinde, an hoc vel illo modo fieri debeant, ex circumſtantiis, diverſimode objectum aliquod veſtientibus, definienda ſunt; quorum definitionem J. N. prudentiæ humanæ, modo non in ſuam ſanctionem peccetur, permiſit. Juſti univerſalis regula eſt, *ne bono publico repugnet, quicquid ſtatuitur.* Cum vero variæ dentur actiones, quæ nunc obeſſe, nunc prodeſſe poſſunt, illas qua tales lex naturæ nec exigit, nec prohibet, id ſaltem præcipiens, ne illas legiſlator præcipiendo, prohibendoque, in regulam juris univerſalis, de cura publici boni habenda, peccet. Concludimus itaque cum B. *Bœclero*: d) *Quicquid jure naturali ac divino obligativo, ſive præceptivo, non continetur, illud permiſſum eodem jure cenſeri debet, ſive juris permiſſivi naturalis eſſe.*

d) *Comm. Grot. P. I. p.* 147.

§. 17. Non tamen ejuſdem generis, ſive naturæ, illa ſunt, quæ *juris naturalis permiſſivi* eſſe dicuntur. Conſilia enim rectæ rationis, etſi non obligent, ſuadent tamen, aut diſſuadent, ita ut licet à jure naturali talia non exigantur, ab eodem tamen commendentur. *Conſidera*, inquit *Autor Epiſtolæ ad Demetriad.* quem B. *Hieronymum* a) crediderunt, *quantum à conſilio diſtet imperium. Ibi invitat ut facias, hic niſi feceris comminatur.* Unde non ſimpliciter permittere, ſed ſuadere vel diſſua-

a) *t.* 2. *Opp. f.* 7.

dere aliquid, J. N. dicitur. Hujus ordinis illa audiunt, quæ, cum in ſe factu non ſint neceſſaria, melius tamen aliis præferuntur atque fiunt, ob certas ex re ipſa deſumtas rationes. Conſilio hinc reſpondet obſequium, propter rem ipſam, legi autem propter voluntatem præcipientis, obſervante *Hobbio.* b)

b) *de Civ. c.* 14. §. 1.

§. 18. Quod vero attinet *origines juris Gentium præceptivi*; fundamentum & ratio remota eſt cum gentium ſocietas, tum ipſa indoles, & natura actuum, qui jure hoc præcipiuntur. Ex hoc enim quod actus iſti Gentium ſocietati ſint quam maxime congrui, & hoc nomine etiam neceſſarij, factum eſt, ut gentes, ſi non ex affectu ſociali, certe ex neceſſitatis & mutuæ indigentiæ ſenſu ſocialiter judicantes, in receptionem iſtorum actuum, ad publicum populorum commercium pertinentium, cum mutua obligatione ipſo facto, ut ſupra explicatum, conſenſerint. *Omnes,* inquit *Salvianus,* a) *ad affectum atque appetitum utilitatis ſuæ, naturæ ipſius magiſterio, atq; impulſione ducuntur.* Pactum hoc publicum, atque publica qua illud nititur fides, cujus intuitu illa quæ ſunt juris gentium præſtiterunt priſcis temporibus, & adhuc præſtant gentes, jubet & vetat agere, nexuque reciproco obligat ad invicem eaſdem ad certa officia, ſic ut delinquens vel ſatisfacere, vel juſtam vindictam expectare teneatur. Qua vero ratione ea quæ ſic Juris gentium præceptivi

a) *l. 2. de Avar.*

Digitized by Google

ptivi eſſe dicuntur, talia ſint vel *abſolute*, in quovis gentium ſtatu præcipientia; vel *ſecundum quid*, pro certa rerum conditione, quæ, prout res humanæ ſunt inconſtantes, variat, atque *ex hypotheſi*, ex ſuppoſitione ſcil. certarum circumſtantiarum, aut actuum ab humano, gentium ſcil. arbitrio dependentium; alibi b) prolixius explicatur.

b) *de Orig. Iur. Gent. art. 9. §. 15. ſqq.*

§. 19. Oritur vero modi hujus *præcipiendi diverſitas* exinde, quod objectum Juris gentium, gentium nimirum conſociatio, atque publicum illud commercium, quod inter gentes conſociatas qua tales intercedit, varios admittit ſtatus atque reſpectus. Alia quippe rerum facies eſt tempore pacis, alia tempore belli; *alia hinc* etiam *belli, alia pacis jura* ſunt, *Livio* a) monente; alia hinc jure gentium præcipiuntur ex ſuppoſitione pacis & amicitiæ inter gentes, v. c. non lædere, ab omni invaſione hoſtili abſtinere; alia ex ſuppoſitione belli. Δεῖ τοὺς ἀδικουμένους ὑπὲρ ἑαυτῶν πολεμεῖν, ἢ ὑπὲρ συγγενῶν, ἢ ὑπὲρ εὐεργετῶν, ἢ συμμάχοις ἀδικουμένοις βοηθεῖν, *oportet*, inquit *Ariſtoteles*, b) *ut injuria provocati pro ſeipſis bellum ſuſcipiant, aut pro cognatis, aut pro iis qui benefici erga nos fuerint, aut ut ſociis belli injuria affectis ſint auxilio.* Contingit etiam, ut aliquid ex ſpeciali & ſingulari ratione, & ſic certo tantum caſu, fieri debeat. Nec minus dantur jure gentium præcepta, ſed quæ exceptionem habent neceſſitatis, & mutationis temporum.

a) 5. *Hiſt.* 27.

b) *Rhetor. ad Alex.* c. 3.

c) *l.* 120. *f.* 781. Ita cum Angli apud *Thuanum*, c) *haud obſcure minus conſtantem in fœdere voluntatē Gallorum*, cum Hiſpanis paciſcentium, *arguerent*, *uno verbo ſatisfactum* ſcribit laudatus Autor: *Reges non aliter pacem & fœdera inter ſe facere, quam cum hac tacita conditione, ut quod rebus ſuis utile eſt, ſemper amplectantur, quod perniciosum eſt, caute devitent.* Dantur denique præcepta, quæ uti in ipſa gentium, & univerſi humani generis, conſociatione fundantur, ita abſolute quoque in quovis ſtatu populos obligant, qualia præcepta ſunt de ſervanda fide, de non violandis legatis. Nunquam enim ipſa ſocietas in ſe ſoluta cenſeri debet, acri licet bello inter ſe digladientur gentes, ſuſpendantur licet ad tempus illi ſocialitatis actus, qui cum bello ipſo componi non poſſunt.

§. 20. *Permiſſionis I. G.* ſeu, ſi mavis, *conceſſionis*, hic eſt *effectus*, ne genti à gente impedimentum ponatur, quo minus facta conceſſione fruatur. Unde Eliſabetha Angliæ regina, Hiſpanis contradicentibus Indicum Oceanum ab Anglis navigari, id ægre tulit, queſta de *Hiſpanorum in Anglos iniquitate, quos commercia contra jus gentium*, conceſſi-

a) *Eliſab. ad an.* 1580 *f.* 309. vum ſcil. *prohiberent*, ſcriptore *Camdeno*. a) Permitti autem cenſentur illa, quæ finis ſocietatis gentium ita præciſe non urget, & ſub iiſdem circumſtantiis hoc vel illo modo fieri, non improbat: Quo ſive fiant, ſive omittantur, reliquarum gentium de jure non in-

ter-

Digitized by Google

tereſt. Quæ denique ſic comparata ſunt, ut ad populorum privatam conducant utilitatem, ſine aliorum læſione, qui lædi non debebant, & ſic ut bono gentium communi, qua id ſalvum eſſe decet, nihil decedat. Hujus generis ſunt res innoxiæ utilitatis, quarum uſum, quamdiu tales ſunt, Gentium jus cuilibet, qui non eſt hoſtis, concedit. Nam & in magna illa gentium ſocietate, *omnium rerum, quas ad communem uſum hominum natura genuit, eſt ſervanda communitas*: ſic ut *quicquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto*; uti habet notus *Ciceronis* b) locus. Conceditur quoque jure hoc victori, bello captos facere ſervos. Eliſabetha, Angliæ Regina, contra Hiſpanos aſſertura, apud *Camdenum*, c) *nil obſtare, quo minus cæteri principes commercia in Indorum regionibus exerceant, & colonias ubi Hiſpani non incolunt deducant, jure gentium non violato*; inde probat, quod *maris & aëris uſus omnibus ſit communis*: *Nec jus in Oceanum populo, aut privato cuipiam poſſit competere, cum nec natura, nec uſus publici ratio, occupationem permittat.* Liberæ enim gentes paucioribus malunt alligari, nec in jus, quod ſit norma actuum publicorum, conſenſiſſe præſumi poſſunt, quo illarum ſumma libertas, atq; paritas, juſto arctius conſtringitur. Fieret hoc, ſi liberi populi ad alia adſtringerentur, quam finis conſociationis gentium, ejusque neceſſitas, requirit. Cum itaque

b) 1. *Offic.* 16.

c) *l. c.*

que per conſociationem gentes jura libertatis, quæ ſecundum *Platonem* d) eſt αὐτοκράτεια ἐπὶ παντὶ, non amittant, patet ex hoc fonte illud profluere, quod gentium jus quoque neceſſario illa concedat, quæ populi, & civitates liberæ, ad ſui defenſionem, conſervationem & incrementa, honeſte facere, atq; pertinere, crediderint, modo alius non lædatur, cum omnium juribus id velit conſultum. Juris ergo gentium conceſſivi fuit, quod, ut ſupra jam fuit relatum, an. 1659. flagrante inter Septentrionis reges bello, Gallia, Anglia, & Belgij Confœderatæ Provinciæ inter ſe convenerint, de firma fidaque pace inter belligerantes reducenda; e) ſed & ejuſdem conceſſionis fuit, quod Carolus Guſt. Sueciæ Rex, *ad iſtas pacis Hagienſis leges alligari noluerit, ſed pacem ex more gentium, & libere, tractari voluerit*, ita commemorante *Loccenio*: f) publice hoc nomine coram mediatoribus Legatis proteſtatus apud *Londorpium*, g) prolixius hæc exponentem. Variare alias conceſſionem hanc, & nonnulla abſolute, nonnulla vero ſecundum quid; alia item perfecte, alia imperfecte concedi; denique conceſſionem hanc non niſi ordinatam eſſe; alibi h) jam monuimus.

§. 21. Cum hac Juris gentium *conceſſione* non debet confundi *I. G. conniventia*, de cujus originibus aliter philoſophandum eſt. Nimirum quod juri civili accidit, ut quædam non laudabilia transmittat, quæ impune commit-

d) *Def. f. 758.*

e) *Diar. Europ. Contin. I. p. 229. ſqq.*

f) *Hiſt. Suec. l. 9. p. 845.*

g) *Act. Publ. t. 8. f. 615.*

h) *de Orig. I. G. art. 10. §. 20. ſqq. art. 11. §. 19. ſqq.*

mittuntur; ita quoque gentium jus ad multa connivet per meram tolerantiam, eaque transmittit, etſi pudor homines à talibus revocare debeat. Hujus generis ſunt proditiones in bello, & illa *ſcelera quæ*, uti *Seneca* a) Trag. loquitur, *ſucceſſus honeſta facit.* Cauſa quare gentes ita connivere ſoleant, vel etiam impune complura permittant, quæ à juſti rectique regula deflectunt, partim eſt rerum humanarum conditio, quæ ob multiplicem imperfectionem, & mortalium ferociam, non omnia in ordinem redigi patitur, ita ut propter illorum σκληροκαρδίαν melius ſit connivere, quam *intempeſtivis remediis delicta accendere*, ut *Taciti* b) huc accommodemus verba. Summa præterea ſoloque DEO inferior gentium libertas, cum maxima potentia haud raro conjuncta, jubet quibuſdam actibus effectum juris tribui, & ad illos connivere potius, majoris mali vitandi gratia, quam rigide omnia cenſendo, majoribus & diuturnioribus difficultatibus rem involvere. Mediatores hinc partes etiã belligerantes monere ſolent, verborum aſperitate erga ſe invicem velint abſtinere, nec omnium, quæ bello facta ſunt, rationes poſtulare. Placuiſſe hac de cauſa, ſcribit B. *Bœclerus*, c) Legato Gallico Thuillerio, inter Suecos Danosque ſequeſtri, atque partibus, *ſcripturam & ſequeſtrium operam, in modo tractandæ pacis, colloquiis præferri; in quibus ad aſperiora verba poſſet deveniri. Suaſerunt*

a) *Hipp act.* 2. v. 241.

b) 12. *Annal.* 54. 3.

c) *Bell. Suec. Danic. l.* 2. p. 268.

by Google

d) *l. c. p. 181.* *ſerunt* poſtmodum, eodem ſcriptore, d) ii-
ſequeſtres, *magnopere. omitti de cauſis bel-*
e) *Conf. Act.* *lius declaratis diſputationem; qua tempus*
noviſſ. Le- *inutiliter tereretur, & animi exacerbarentur.* Ie-
gat. Suec. alibi in Gentium moratiorum praxi fuit
Benedict. ſervatum, e)
Oxenſtiern
in Aul. Ca- §. 22. In *jure civili præceptivo,* jub-
ſar. Replic. di præcipiendique vis origines ſuas debet
exhibit. d.
23. Novemb. luntati, & poteſtati legiſlatoris, qui uti im-
1674. rium habet in caput & perſonam civis, ita
luntatem ejus efficaciter juſſu ſuo determi-
ad actiones ſuas certo modo, & ad cer-
normam conformandas, producendo *effec-*
obligationem conſcientiæ, ratione præc-
ſcil. quoad obſequium, etſi non ſemper ra-
ne rei præceptæ, ex ſe ſpectatæ. Hic enim
fectus imperij, quod DEI vices gerit in
mortales, divinasque agnoſcit origines, na-
ralis eſt, *gloria* ſcil. *obſequij,* agnoſcente a-
a) *6. Annal. 8. 5.* *Tacitum* a) Terentio. Origines has ita in-
ens, egregie inde diſcrimen inter jus po-
b) *de I. & I. tom. I. tr. I. diſp. 4. n. 2.* vum & naturale oſtendit *Molina*; b) quod
mirum *obligatio juris naturalis oritur à na-*
ra objecti, indeq́; ſe diffundit in præceptu-
è contrario vero obligatio juris poſitivi oritu-
præcepto, & voluntate præcipientis, indeq; d-
c) *5. Ethic. c. 7.* *vatur in objectum.* Unde *Ariſtoteles,* c) δίκ-
νομικὸν, *jus legitimum*, ſive poſitivum, il-
eſſe dicit, ὃ ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει οὕτω-
ἄλλως· ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει, *quod ab in-*
hoc an illo modo fiat, nihil refert: cum

Digitized by Google

conſtitutum fuerit, tunc demum refert. Accidit tamen nonnunquam, ut ex parte *objecti* aliqua detur ratio, quod aliquid præcipi, vel prohiberi congruum ſit, licet citra juſſum civilis imperij non obliget: Cujus generis illa ſunt, quæ *de veterum parſimonia, & antiquis legibus* d) *Noct. Attic. l. 2. c. 24.* *ſumtuariis*, tradidit *A. Gellius.* d)

§. 23. Cæterum contra Juris Nat. & Gentium jura præceptiva jus civile aliquid præcipiendi ἐξουσίαν nullam habet, quicquid ſit de facto. Quam vero legislator aliquis in Jus naturæ poteſtatem ſibi ſumit, eam recte non exercebit, niſi vel ſuperaddendo aliquid eidem, *determinando* nimirum, uti B. *Bæclerus* a) loquitur, *ſpecialem actionis conditionem ſeu modum; vel ex illa generali juris regula (quæ bono publico conducere jubet, quicquid ſtatuitur,) actiones exigendo, probibendoque, quas ut tales lex natura non attingit*: vel derogando atque detrahendo, non quidem quoad ea quæ per ſe ſunt honeſta & turpia, qua talia ſunt, quorum intrinſeca qualitas nullis mutari ſcit legibus; ſed ubi ſummo civili imperio, vel vi regiminis univerſalis, aut imperij in perſonam ſubditi, aut dominij eminentis, ſtatum & conditionem rei, circa quam jus naturæ aliquid ſtatuit, ob certum Reipublicæ ſtatum, atque habitum, ita mutare licet, ut quod ſub priori facie commiſſum juri & honeſtati contrarium fuiſſet, nunc ea mutata, iſti quoque contrariari deſierit, ſine juris atque

a) *Inſt. Polit. l. 2. c. 3. p. 124.*

b) *Grot. l. B. P. l. 1. 10.*

atque honeſtatis immutatione. b) Hujus loci etiam illa ſunt, quæ *per rationem ſtatus* atque *belli* fieri ſolent, & ſub æſtimatione juſti rectique excuſantur, atque fiunt: de quibus infra: Vel majorem jubendi præcipiendique poteſtatem legislator civilis habet quoad ea, quæ ſive fiant, ſive omittantur, J. N. non repugnat.

§. 24. Quod vero Gentium jus attinet, quicquid ſit de legibus domi tantum inter cives valituris, quod publicum cum aliis gentibus commercium concernit, in præjudicium atq; fraudem ejus, quod jure gentium præcipitur, vel conceditur, nulla gens domeſticam legem contra reliquas gentes valide allegabit, quo minus illis ea præſtet, quæ ex gentium jure iiſdem alias debentur. Frivola itaque eſt Turcarum, apud *Leonclavium*, a) exceptio, perfidiam excuſantium, cum *lege ſua ſibi permitti contenderunt, ut in rebus ad incrementa regni ſpectantibus ex commodo ſuo metiantur, an hoſti data fides ſervari debeat; & ut promiſſorum Gauris factorum nullam, pro ſua libidine, rationem habere poſſint*: Potuit hoc equidem Gundebaldus Burgundionum rex inter ſuos improbare, b) *ſi quis pro eo eo, cum quo cauſam habere ſe putat, alium pignoraverit, cum quo cauſam nullam habet, & caballos aut boves tulerit, aut mancipium rapuerit*; vel etiam, ne adverſus aliarum civitatum cives id committerent, ſancire: Verum quo minus ex Gentium

a) *Hiſtor. Muſulm. l. 1. f. 30.*

b) *Leg. Burgund. tit. 19. n. 3. apud Lindebrog. Cod. LL. Antiq. f. 276.*

Digitized by Google

tium jure populo adverſus populum id liceat, ejuſmodi civile præceptum inter gentes non pervincet. Ipſas gentes oportet ne hoc fiat, pignorationis jus, alias conceſſum, expreſſo coërcere pacto, uti etiam ſuperiori ſeculo ani 96. fœdere inter Gallos & Belgas fœderatos icto, factum conſtat, atque cautum, de quo *Thuanus* c) atque *Meteranus*, d) *ne repreſſaliarum literæ in poſterum concedantur, ſed jus æquabile inter partes dicatur, viaq; juris ordinaria quiſq; ſuum repetat.*

c) *l.* 116. *f.* 680.

d) *Rer. Belg. l.* 18. *f.* 990.

§. 25. *Ius Civile permiſſivum* vel plene permittit, ejuſque effectus eſt, ut pro juſto & recto, quod ſalva pietate & honeſtate liceat, aliquid habeatur; vel minus plene, idque ad triplicem effectum: Nimirum, aut quia impune id licet, per tolerantiam & conniventiam legis; aut quia lex, ut aliquid liceret facere, definiendo, agendi licentiam ab impedimento liberam conceſſit; aut ut utrumque accidat. a) Uti vero hæc in civili jure permiſſio non eodem fit modo, ſed vel actione legis expreſſa, vel tacite; ita non ex eodem fonte has derivare licet permiſſiones. Expreſſam enim quod concernit permiſſionem, *per verba permittentia* factam à Legislatore, fundatur illa in permiſſione juris naturalis, cui, ut & naturali honeſtati contrariari non debet, quod permitti poſſe cenſetur; & fine civitatis, tam generali, qui eſt communis omnium utilitas, quam ſpeciali, quem quælibet civilis

a) *Boecler. Comm. in Grot. P. I. p.* 143. *ſq.*

ſocie-

ſocietas, ceu proprium, ſibique congruum, intendit. Et uti ordo civilis imperandi atque parendi à jure naturali præcipitur, ita omni juri civili, etiam permiſſivo, hanc normam præſcribit lex naturæ, ne plene quid permittatur, quod naturali honeſtati & fini civitatis repugnat. Aliter de originibus permiſſionum imperfectarum J. C. philoſophandum. Sive enim illæ actione legis per verba permittentia fiant, uti *Plutarcho* b) ſcriptore, ex Lycurgi inſtituto apud Spartanos *παίδων καὶ τεκνώσεως κοινωνία τοῖς ἀξίοις, liberorum eorumque procreationis communicatio inter honeſtos permiſſa fuit*: Utitur *Plutarchus* voce *ἐξῆν*: Et apud *Senecam* c) lex allegatur: *Adulterum cum adultera qui deprehenderit, dum utrumq; corpus interficiat, ſine fraude ſit*; uti etiam, ſi propiora intuemur, Reyneſius quidam, occiſor uxoris adulteræ & adulteri, *regio* in Gallia Ludovic. XIII. *diplomate liberatus* traditur *Gramondo*: d) ſive tacite, prout juris civilis permiſſivi naturam induunt, ad quæ conniveri à civili poteſtate ſolet, quæque per diuturnam tolerantiam atque diſſimulationem in vim conſuetudinis receptæ tranſierunt; illarum effectus non niſi externus eſt. Non enim efficiunt tales permiſſiones, ut actus aliquis non ſit contra jus naturæ, qui juri huic alias contrariatur, vel divinitus illum nulla maneat pœna, recte monentibus *B. Bœclero*, e) & *Puſendorfio*. f) Quod vero poteſtatis civilis inter-

b) *t. I. Opp. Lyc. ſ. 49.*

c) *Controv. l. 4.*

d) *Hiſtor. Gall. l. 2. p. 140. ſq.*

e) *Comm. Grot. P. I. p. 150.*

f) *Iuriſprud. Univerſ. l. 1. def. 13. §. 7.*

interdicto non prohibeatur, ſi quis talem actum committere velit, vel pœna non afficiatur, ſi commiſerit, atque in foro humano iſti iidem concedantur effectus, qui alias conſequuntur actus, etiam de jure naturæ licitos atque legitimos, g) id ex diverſis oritur cauſis. Prudenter monet *Bæclerus*, h) quod *ſi in ullo juris genere, certe in hoc permiſſivo regnent conſilia, propoſita, ſtratagemata politica, ut ſupremæ legi ſalutis publicæ ſervire videantur, & ad genuini juris ſimulacrum propius ſpecioſiusve admoveantur, quæ ad hunc modum permittuntur.* Urget præterea, aliquid permitti Reip. neceſſitas interdum. Præſtat enim poſthabitis legibus neceſſitati cedere ſalva civitate, quam ut ſalvis legibus intereat Reſpublica; ita ut in hoc caſu dici poſſit, quod in alio de Mitylenæis, cum ab Athenienſibus & Spartanos defeciſſent, apud *Thucydid.* i) Diodorus dixit: Οὐ περὶ τῆς ἐκείνων ἀδικίας ἡμῖν ὁ ἀγών, εἰ σωφρονοῦμεν, ἀλλὰ περὶ τῆς ἡμετέρας εὐβουλίας· Ἤν τε γὰρ ἀποφήνω πάνυ ἀδικοῦντας αὐτούς, οὐ διὰ τοῦτο καὶ ἀποκτεῖναι κελεύσω, εἰ μὴ ξυμφέρον· Ἤν δὲ καὶ ἔχοντές τι ξυγγνώμης εἶεν, εἰ τῇ πόλει μὴ ἀγαθὸν φαίνοιτο, *non de illorum facinore nobis eſt certamen, ſi ſapimus, ſed de bene nobis conſulendo. Neq; eis, ſi nocentes plane aſſerere volo, idcirco vitam adimi jubebo: neq; ſi qua venia dignos idcirco veniam dari, niſi conſtiterit idem civitati conducere:* addita ratione: Νομίζω δὲ περὶ τοῦ μέλλοντος ἡμᾶς μᾶλλον βουλεύεσθαι

ἢ τοῦ

g) *Puſend. l. c.*

h) *l. c.*

i) *l. 3. ſ. 98.*

ἢ τοῦ παρόντος, *quippe cum exiſtimem, de futu-*
ro nos magis quam de præſenti conſultare. Ex
ſtratagemate Politico magis, quam ex vero,
k) 3. *Annal.* olim Tiberius apud *Tacitum*, k) cum de luxu
53. coërcendo ageretur, medicinam diſſuaſiſſe
videtur; cum eam tam feliciter, & facile, malo
adhibuerit Veſpaſianus. Talia in *omni* in-
l) *Not. in.* terim *vitæ genere*, ut cum *Forſtnero* l) loquar,
Tacit. 3. An- *ſunt, ubi coërcitio fortaſſis plus damni in* Rempu-
nal p. m. *blicam latura ſit, prævalidis ita & adultis vitiis,*
306. *ut qui ulcus hoc tangat, non aliud effecturus ſit,*
quam ut palam fiat, quibus vitiis impares ſumus.
Prudenter hinc Carolus V. Imp. apud *Golda-*
m) t. 3. *Con-* *ſtum*, m) *ut parentum*, inquit, *deliria ferenda*
ſtit. Imper. *ſunt, ita in civitatibus, & religionibus vitia qua-*
f. 507. *dam eſſe diſſimulanda.* Nec peccatur ejuſmodi
permiſſione vere neceſſaria contra jus naturæ.
Cum enim ejuſmodi vitia iſto neceſſitatis caſu
non habent culpam moralem reſpectu impe-
rantium, ſed mali phyſici rationem potius in-
duant, jure etiam naturali, quod non ad im-
poſſibilia obligat, vel ad majorem calamita-
tem ſubeundã adſtringit, ut minus malum vi-
detur, illa in tantum poſſe non tangi, ſicut alia
tolerantur mala naturalia ſine peccato, mani-
feſtum eſt. Sæpe etiam tempora ita ſunt ma-
ligna, ut improbarum mentium contumacia
remedio non cedat, uti Eliſabethæ, cum ve-
ſtium luxum coërcere in animo haberet, acci-
n) *ad Ann.* dit, apud *Camdenum*, n) *edicto & legibus ſu-*
1574 *f.* 250. *perbo huic luxui paulatim cedentibus, qui ſem-*
per

Digitized by Google

per inſolentior renaſcebatur ; *una conviviorum luxuria irrepente, & ædificiorum ſplendore.* Corruptus Reipublicæ ſtatus quales ſecum ferat permiſſiones, non excuſandas, ſed illis imputandas, qui ejuſmodi malis cauſam dederunt, *Tacitus* o) notavit: *Continua per viginti annos* (Romæ) *diſcordia, non mos, non jus. deterrima quæque impune: ac multa honeſta exitio fuere.* Dantur etiam *permiſſiones* ex *arcano tyrannico*, & flagitio dominationis. Exemplo ſunt Julianus, apud *Ammian. Marcellin*; p) & *Cromvvellus*, apud *Bateum*. q) Quo propoſito denique Lycurgus apud Spartanos uxoris copiam à marito aliis fieri, & furta, εὖ μάλα πανέργως καὶ πεφυλαγμένως, *peraſtute & caute licet commiſſa*, cum effectu juris conceſſerit, ex *Plutarcho* r) liquet. Tales vero J. N. contrariæ ſunt permiſſiones. In omnibus permiſſionibus, quo juſtæ ſint, obſervanda eſt regula *Pauli*: s) *Non ſunt facienda mala*, ἵνα ἔλθῃ ἀγαθά, *ut inde eveniant bona.*

o) 3. *Annal.* 28.

p) *l.* 22. *c.* 7.

q) *Elench. mot. in Angl. P. II. p.* 221.

r) *l. c.*

s) *Rom.* 3. 8.

§. 26. *Præſumta* ex voluntate legiſlatoris *permiſſio* datur in illis juris civilis caſibus, ubi æquitas locum habet. Cum enim de legiſlatoris prudentia manifeſte abſurda præſumere non liceat, recte is creditur, caſu ejuſmodo ſpeciali permittere, ut, non habita ratione literæ legis, fiat id quod actionis circumſtantiæ urgent, & quod abſque legis abſurditate non poteſt fieri ut omittatur: Id quod tamen non locum habet in caſu, quo id quod lege eſt præ-

T ceptum,

Digitized by Google

ceptum, per utilius, vel æque utile, negl
lege poteſt expleri. Sanctior enim lex h
ri debet, quæ à ſubdito non conſilium, ſed
ſequium poſtulat, nec illi tam liberam man
interpretationem permittit: de quo proli
Bœclerus, a) & *Pufendorfius*. b)

a) *de Relig. mandat. in Diſſ. Acad. p. 321. ſqq.*
b) *Elem Iur. Vniv. def. 14. § 3. lib. 1.*

§. 27. *Ius Eccleſiaſticum*, cum juris
mani ſpecies quædam ſit, etſi conſentienti
de jure omnibus ordinibus condi debeat,
tamen ejus legalis *præceptiva* à poteſtate
bendi, & coactive præcipiendi, atque im
randi, humana derivanda erit, prout eti
eandem in ſuperioribus, ex hoc fonte deri
tum ivimus. Hæc vero poteſtas, ex juris
vini ordinatione non datur, niſi in impe
Politico, quicquid ſit de poteſtate, quam
bent Epiſcopi, ipſe etiam ſummus Pontif
vel de facto, vel, uti *Aug. Conf.* a) loquitur,
*re humana, donatam à regibus, & Imperato
bus, ad adminiſtrationem civilem ſuorum bo
rum. Secundum Evangelium enim, ſeu, ut
quuntur, jure divino, nulla juriſdictio compe
Epiſcopis, ut Epiſcopis, hoc eſt, his quibus eſt co
miſſum miniſterium verbi & ſacramentorum,
remittere peccata. Item cognoſcere doctrina
& doctrinam ab Evangelio diſſentientem reji
re, & impios, quorum nota eſt impietas, excl
dere à communione Eccleſiæ, ſine vi humana,
verbo.* Hic notanter ſubjicitur à noſtris Co
feſſoribus glorioſis, *neceſſario, & de jure d
vino, debent eis Eccleſiæ præſtare obedientia*

a) *Art. 28. p. 39.*

Jux

Digitized by Google

juxta illud: *Qui vos audit, me audit.* Nonnullis vero interjectis, additur: *Si quam habent aliam vel poteſtatem, vel juriſdictionem in cognoſcendis certis cauſis, videlicet matrimonij, aut decimarum, & hanc habent humano jure.* Unde quam habet apud Evangelicos *Ius Canonicum* autoritatem, non Pontifici, cujus, ut talem ſibi arrogat, legum ferendarum, & juris Eccleſiaſtici conſtituendi poteſtas non agnoſcitur, ſed civili receptioni, & ſummorum imperantium permiſſioni debet. De quo poſt *Reinking*.b) ex Theologis D. *Dannhawerus*.c) Egregium alias exemplum juris Eccleſiaſtici præceptivi exhibent *Capitula* Caroli Calvi, apud *Steph. Baluzium*, d) cujus hæc ſunt verba: *Capitula quæ avus & Pater noſter conſtituerunt, & quæ nos cum fratribus noſtris Regibus, & noſtris, & eorum fidelibus communiter conſtituimus*; *ſed & quæ nos conſilio & conſenſu Epiſcoporum, ac cæterorum DEI, & noſtrorum fidelium pro ſupraſcriptis cauſis, in diverſis placitis noſtris conſervanda ſtatuimus, & manere inconvulſa conſervari volumus, & mandamus.* Plena etiam ſunt Acta Conciliorum, tam Orientalis, quam occidentalis Eccleſiæ.

b) *de R. S. & E. l. 2. cl. 2. c. 7.*
c) *Theol. Conſc. t. I. P. II dial. 3. q. 9 p. 949.*
d) *app. Regg. Franc t. 2. f. 269.*

§. 28. Cæterum quemadmodum, quæ ſic ab Eccleſia præcipiuntur, juris dicuntur Eccleſiaſtici, & neceſſaria, ex *neceſſitate præcepti*: Ita dicuntur quoque, & ſunt neceſſaria *neceſſitate finis*, quæ fundamentum & ratio eſt *neceſſitatis præcipiendi*: Τάξις ſc. καὶ εὐσχημοσύνη.a)

a) 1 *Cor.* 14. 40.

T 2 Lau-

b) *De præſcript. adverſ. hæret. ſ.* III.

Laudat hinc *Tertullianus* b) Chriſtianoru
cœtus, quod in illis decenter, & bono ordi
tam perſonarum, quam actionum, cuncta a
miniſtrentur, quæ in hæreticorum ſynagog
non abſque confuſione peraguntur. *Non*
mittam, inquit, *ipſius etiam converſationis h*
retice deſcriptionem, quam futilis, quam terr
na, quam humana ſit, ſine gravitate, ſine a
ctoritate, ſine diſciplina, ut fidei ſuæ congruen
In primis quis catechumenus, quis fidelis incertu
eſt: pariter adeunt, pariter audiunt, parit
orant. Et nonnullis interjectis, *ipſæ mulier*
hæreticæ, inquit, *quam procaces, quæ audea*
docere, contendere, exorciſmos agere &c. O
dinationes eorum temerariæ, leves, inconſtante
nunc neophytos conlocant, nunc ſeculo obſtr
ctos &c. Cyclopica ſane anarchia potius cu
laborare talis colluvies dici debeat, quam
mereatur elogium ordinatæ alicujus ſociet
tis; præceptive obligare illas patet Conſtitu
tiones Eccleſiaſticas, quæ ad tollendam eju
modi confuſionem placito Eccleſiæ ordinat
tur, cum ad finem illarum jure divino omn
obligantur. Similiter cum quæ ab Eccleſi
non à Clero tantum, ordinantur, ut ſint me
dia ad ſalutem Eccleſiæ externam procurar
dam, bonum item ordinem, & diſciplinam E
cleſiaſticam conſtituendam, uti *Karolus Ca*

c) *Capit. cit.*

vus c) Rex Francorum, *avum atq; patrem ſu*
um pro ſtatu & munime ſanctæ Eccleſiæ, & m
niſtrorum ejus, & pro pace & juſtitia populi
quie

Digitized by Google

quiete, *Capitula ſua conſtituiſſe* ait, profeſſus eundem & ſuorum Capitulorum eſſe finem: Talia uti neceſſaria ſunt *neceſſitate medij*, ita promulgata, pari ratione ad *jus Eccleſiaſticum præceptivum* pertinere, recte cenſetur, cum ob præcipientis imperium, cogendi vi munitum, tum ob rei præceptæ indolem; quia qui finem præcipit, etiam mediorum à ſe præſcriptorum uſum præcipere jure cenſetur,

§. 29. Neceſſitas ergo externa eſt, non interna, illorum quæ jure Eccleſiaſtico legitime, nec contra divinos canones, & libertatem Chriſtianam, præcipiuntur; obſervantia etiam neceſſaria, non quidem quaſi pars forent ipſius cultus divini, & religionis, ſed quod, cum ab Eccleſia libere & legitime conſtituta ſunt, atque recepta, ſingulis Eccleſiæ membris fas non ſit, nec liceat, circa talia aliquid mutare. Licet enim *adiaphora* iſta, & *media*, de quibus certas conſtitutiones faciendi jus habet Eccleſia, in ſe talia maneant, quoad actum primum, atque eſſentiæ; attamen cum libertas Chriſtiana decori etiam, ordinis, & ædificationis rationem habeat, nec ab ea abſoluta ſit, uſum ejuſdem, quoad ſingula membra, ordinare & contrahere licet Eccleſiæ, ita ut ſingula Eccleſiæ membra obligentur aliquo modo, in quantum ſcil. Eccleſiæ conſenſu aliquid recipitur vel prohibetur, quod ſine peccato ſervari poteſt, nec abuſum aliquem infert, prodeſtque ad tranquillitatem, ædifica-

tionem & bonum in Eccleſia ordinem. De quo poſt A. C. a) prolixius noſtrates Theologi, *Hutterus*, b) *Meiſnerus*, c) **Chemnitius**, d) *Dannhawerus*, e) **Calovius**, f) **Carpzovius**, g) *Hülſemannus*. h) Cum itaque hæc indifferentia primo omnium ſit intelligenda reſpectu totius Eccleſiæ, patet, mutatis circumſtantiis, ſi nimirum illa, quæ ab Eccleſia conſtituta ſunt, plus damni, quam utilitatis, incipiunt in Eccleſiam invehere; vel ſi finis ritus alicujus publica doctrina corrumpitur, ſi verb. gratia, ſub ratione divini cultus, & neceſſitatis ad ſalutem, meriti etiam, urgetur; i) talia rurſus ab eadem poſſe abrogari, de quo ex inſtituto B. *Hülſemannus*. k)

§. 30. Dari vero præter illa, quæ ſunt juris Eccleſiaſtici *præceptivi*, etiam alia, quæ eodem jure *permiſſa* cenſentur, patet ex Canonibus Conciliorum. Dantur enim Canones, quibus aliis præcipitur, ne alios impediant, quo minus pro arbitrio ſuo aliquid faciant, vel omittant. Sic in *Concilio Gangrenſi* a) prohibetur, ***ne quis nuptias vituperando dormientem cum viro ſuo fidelem deteſtetur.*** Item, b) ne quis ***carnem edentem, præter ſanguinem & idolis immolatum, damnet.*** Quibus Canonibus manifeſtum eſt permitti, permiſſione juris, nuptias, & carnis manducationem. Ita permittentes formulæ ſunt, non præcipientes, quando idem *Concilium* ſic loquitur: ***Nos autem & virginitatem cum humilitate admiramur,***

a) *n. 15. & 28.*
b) *in A. C. p. 1009. ſqq.*
c) *Coll. Adiaph. Diſp. I. n. 24. ſqq. 43.*
d) *Exam. C. T. P. II. f. 30.*
e) *Theol. Conſc. t. 1. p. 277.*
f) *Exeg. A. Conf. 15. c. 1. § 6.*
g) *Iſag. p. 436.*
h) *Manual. A. C. p. 545. ſqq.*
i) *Bellarm. l. 2. de effect. ſacram. c. 31. prop. 5.*
k) *l. c.*

a) *Can. 1.*
b) *Can. 2.*

Digitized by Google

mur, & continentiam, quæ cum caſtitate & religione ſuſcipitur approbamus, & renunciationem ſecularium negotiorum cum humilitate recipimus, & nuptiarum caſtum vinculum honoramus, & divitias cum juſtitia, & operibus bonis non ſpernimus &c. Nimirum quæ, ut ſemper maneant, & ab omnibus obſerventur, commode multitudini non poſſunt præſcribi, multum quotidie variantibus circũſtantiis, rectius illa cujuſcunq; arbitrio, & naturali agendi libertati, ſecundũ ſcripturarum ſacrarum,& rectæ rationis dictamina, permittuntur. Laudare hinc potius, quam imperare virginitatem ſacerdotibus maluit *Synodus Gangrenſis.* Similiter quando *Concilium Arelatenſe* l. c) de illis, quorum̃ uxores adulterarunt, ſtatuit, *ut in quantum poteſt, conſilium eis detur, ne viventibus uxoribus ſuis, licet adulteris, alias accipiant* ; manifeſtum eſt, præceptum hic non contineri: *Legis enim & juris nomine conſilia non veniunt,* monente *Grotio*: d) ſed potius *permiſſionem* quandam, eamque non meri *facti*, ſed potius *juris*, invitam licet: Nimirum, uti exiſtimo, ob ſpem futuræ inter ejuſmodi conjuges reconciliationis, quæ ſemper tentanda. Non parum lucis interim, quid in Canonibus veteris Eccleſiæ *prohibitum*, *præceptumve*, vel etiam certa ratione *permiſſum* fuerit, ſuppeditant Scholia *Balſamonis, Zonaræ, Alexij Ariſteni* in Canones Conciliorum. Denique Rectores civiles poſſe vi poteſtatis le-

c) *Cap.* 10.

d) *I. P. P. I.* 1. 9.

giſlatoriæ, & juris circa ſacra, ex juſtis cauſis, ἀδιάφορα, Canonibus Conciliorum præcepta, vel prohibita, per modum Politicæ ordinationis externæ, tantum *permiſſive* proponere, & libero agentium arbitrio relinquere, & juſte factum ex Hiſtoria Eccleſiaſtica conſtat, & dubio caret. Sic *permiſſione* ſummorum apud Proteſtantes Imperantium, uſum *Iuris Canonici* Pontificij introductum eſſe, atque tolerari, ſupra diximus.

SECTIO II.

ARTICULUS I.

De
POTESTATE AGENDI, ET HABENDI ALIQUID, MORALI,
qua
In Natura hominis fundatur.

§. I.

DE *jure* hactenus egimus, ea ſignificatione, qua *jus* idem valet quod *lex*, acceptione vocis hujus *largiori*, qua notat *regulam actuum moralium, obligantem ad id quod rectum eſt*. a) Conſiderandæ jam ſunt ſpecies nobiliores *juris*, quatenus, ut *Grotius* b) loqui-

a) *Grot. l. B. P. l. 1. 9.*
b) *l. c. §. 4.*

quitur, ſignificat *qualitatem moralem perſonæ competentem, ad aliquid juſte habendum, vel agendum.* Hujus, ſcil. agendi & habendi juris, quod *poteſtas* aliis dicitur, origines paucis nunc evolvemus, declaraturi, quomodo iſtæ conceſſiones, ad agendum & habendum aliquid, juris ultimum principium, & ex ipſa natura humana, generisque humani conſociatione, ejuſdemque fine, eruendæ ſint.

§. 2. Homo itaque, qui animal eſt rationale & ſociale, cum ſpectari poſſit *abſolute* & ſecundum ſe, dein *relate*, ſeu prout refertur ad alios, duplicis generis actiones ab eodem proficiſci patet, quibus etiam duplex jus agendi reſpondet, petendum vel ab ipſa natura hominis ſecundum ſe conſiderati, vel ab ipſa conſociationis indole, hominumque inter ſe neceſſario, licitoque commercio. Præterea cum homo non anima tantum ſit, uti *Plato* a) ſtatuit, ἕτερον ἄρα, inquiens, ὁ ἄνθρωπος ἐστὶ τοῦ ἑαυτοῦ σώματος, *homo à ſuo corpore aliud eſt*, & *Pythagorici*, quos Stoici ſecuti ſunt, & ex Remonſtrantibus *Epiſcopius*, qui ſceptice hac de re diſputat, merito notatus hoc nomine à B. *Calovio*; b) ſed ex anima & corpore conſtet c) vindicante hanc ſententiam, contra virum quendam doctiſſimum, Heidelbergæ noſtra ætate agentem, B. *Dannhavvero*; d) æque ineptientibus illis, qui tres hominis partes fingunt, *ſpiritum, animam & corpus*; utriuſque partis ratione etiam jus agendi, & habendi ali-

a) *Alcib.* 2. *f. m.* 36.
b) *Arminian. c.* 4 & 5. *q.* 11. *p. m.* 162.
c) *Gen.* 2. 7.
d) *Hodoſ. p.* 422.

 quid

quid datur. Stoicis cum *corpus quaſi vas eſſe, aut aliquod animi receptaculum* tantum diceretur, e) ſapientem ſumere aliquando mortem poſſe, decere, debere docuerunt, cum id non eſſet hominem interficere, ſed è carcere & cuſtodia moleſta liberare, mortem *oſtium, januam, θύρας* exeundi appellantes. f) Eadem hypotheſi deceptos perverſe de fine hominis ultimo diſputaſſe, Cicero g) monuit.

e) *Cicer. 1. qq. Tuſc. P. 159.*
f) *Senec. Epiſt. 26. Arian. in Epictet. l. 1. c. 24.*
g) *4. de Fin. P. 113.*

§. 3. Inter principia juris agendi retulimus etiam *fines hominis*, atque conſociationis humanæ; unde non ſolum jus agendi & habendi naſcitur illis, qui ſe iſtis finibus convenienter gerere debent, ſed &, cum actiones finibus etiam diſtinguantur, ubi jus agendi datur, vel non datur, ex ratione finis propter quem actio ſuſcipitur, licebit cognoſcere. Ea enim quæ ad finem ducunt in materia morali, cæteris paribus, æſtimationem intrinſecam accipiunt ab ipſo fine. Infert hinc Grotius, a) *quæ ad finem juris conſequendi ſunt neceſſaria moraliter, ad ea jus habere nos intelligi; ita ut ſi vitam aliter ſervare non poſſim, liceat mihi vi qualicunq; arcere eum, qui eam impetit, etiamſi forte is peccato vacet, v. c.* furioſus: *quia jus hoc non proprie ex peccato alterius oritur, ſed ex jure quod mihi pro me natura concedit*: temperamento licet ſuo hæc aſſertio non careat. Dixi hinc, cæteris paribus. Cum enim duplex finis ſit, alius operis, alius operantis, *deformitas pravi operis*, ut recte

a) *l. B. P. III. 1. 2.*

Digitized by Google

ſtœ Rebellus b) monet, *non tollitur, quam ex ſe, vel ex ſuo fine pravo habet, per hoc quod operans alium finem, ſive bonum, ſive malum intendat.*

b) *de Oblig. Iuſt. P. II. l. 3. q. 19. Sect. 3. ſ. 365.*

§. 4. Ex hoc itaque quod homo ſit animans, primam ex natura, quæ noſmet ipſos nobis commendat, hanc habet appetitionem, ut ſeipſum conſervet. Ex quo, ut finem hunc obtineat, jus habet *declinandi ea quæ nocitura videntur, inquirendi item & parandi, & ſic habendi quoque, quæcunque ad vivendum ſint neceſſaria:* quæ prolixius ad mentem Stoicorum à *Cicerone* a) diſputantur, & petita ſunt ex *Chryſippi* libro *primo de finibus*, ceu ex *Laërtio* b) conſtat. Ex his fontibus illa fluunt, quæ pro defenſione ſui, & rerum ſuarum, licita cenſentur, atque ſunt, *Grotio*, c) & moralium Doctoribus prolixius diſputata. Expendendum hinc, quid, quantumque, quibuſve modis aliquid pro vita, pro fama, honore, pudicitia, pro rebus noſtris, item pro aliis liceat; directe & indirecte, tam ex propoſito, quam quoad ea, quæ extra propoſitum agentis conſequuntur.

a) *1. Offic.*
b) *Zenon. ſ. 184.*
c) *2. de I. B. P. 1. l. 3. c. 1. ſ99.*

§. 5. Cum vero homo ſit animal rationale, non ſolum res ad ſe pertinentes cognoſcendi, ſed & de illis judicandi jus habet, ita ut ſi hæc judicandi libertas vel mendacio, vel callida aliqua reſervatione mentali, vel fallaci quadam æquivocatione, vel ad fallendum directa intentione loquentis impediatur, & læda-

lædatur, læſus de illata ſibi injuria queri p

Jure proin Albertus Babenbergenſis co

a) *l. 6. c. 15.* apud *Ottonem Friſing.* a) Hattonem Archi

ſcopum Moguntinum *de data fide monuit,*

ab eo ſe verbis deceptum vidiſſet, cui *ſi*

ces aures more antiquorum primorum habu

Quid vero in homine ratio præſtet, docet

charmus comicus, cujus fragmenta exhib

b) *l. 5. ſtromat.* *Clemente Alexandrino* b) *Hertelius:* c) Ὁ

c) *Venuſtiſſ. Comic. ſent. p. 285.* γος ἀνθρώπους κυβερνᾷ, κατὰ τρόπον σώζει.

regit homines, & rite conſervat. Rurſus

δέ γε τὰς τέχνας ἅπασι συνέπεται θεῖος λό

ἐκδιδάσκων αἰεὶ αὐτὸς αὐτὸς, ὅτι ποιεῖν δεῖ

φέρειν· οὐ γὰρ ἄνθρωπος τέχναν εὗρεν· ὁ δὲ

ταύταν φέρει· ὁ δέ γε τ' ἀνθρώπου λόγος πέ

ἀπό τε τοῦ θείου λόγου, *artium omnium eſt in*

trix atq; erit ratio à Diis ſemper. Hac

quid uſus omnibus facto fiet. Non enim mo

lis artem invenit ullus, at DEVS : namq;

noſtra nata eſt ex Deorum ſcilicet.

§. 6. Penes hominem non eſt a

res apprehendere, quam illarum ſpecies in

lectui objiciuntur, à quibus ſatis clare pro

ſitis ad aſſenſum vel diſſenſum ita determ

a) *Elem. Iuriſpr. Vniverſ. l. 2. ax. 2. obſ. 1.* tur, ut *iniquiſſimum ſit,* cenſente *Puſendorfi*

pœna propoſita aliquem velle adigere, ut re

liquam ſecus credat, quam eam ſe habere

vit; quippe cum aſſenſus, ſeu fides, non poſſi

reſpondere ſpeciei ab intellectu adprehenſa.

ligionem hinc phyſice cogi non poſſe, ma

ſtum eſt.

Digitized by Google

§. 7. Actus interiores, non qui ſubito in nobis invitis haud raro exoriuntur motus, de quibus etiam *Gregor. M.* a) *aliud eſſe* ait, *quod animus patitur de tentatione carnis, aliud cum per conſenſum delectationibus obligatur*; ſed quibus certum ſibi negotium homo proponit, ſecumque deliberat, dicuntur *cogitationes*. Quarum exercitium licet in hominis ſit poteſtate; leges etiam civiles, ſecundum *Weſembecium*, b) *tantum externam obedientiam locomotivæ, non mentis, aut voluntatis, aut cordis εὐταξίαν requirant*, directe nimirum, non indirecte; & per conſequentiam, propter connexionem cum actu prohibito exteriori; certum tamen eſt, dirigi illas etiam jure naturali, quod, ceu divina lex, interiorē hominis primo omnium reſpicit rectitudinem, à qua dependet rectitudo exterior, actusque externi moralitas. Monentur hæc alibi prolixius, c) diſputanturque à *Thoma*, d) qui docet, quod *actus exterior, ſi conſideretur ſecundum quod eſt in executione operis, ſequatur bonitatem voluntatis, quæ eſt principium ejus.* Satis præterea perſpicue in ſacris literis docetur de *moralitate*, & peccato *cogitationis*, etiam *meræ*, non quidem qua præciſe ſimplicis eſt apprehenſionis; in qua per ſe non eſt peccatum; e) ſed qua illi vel labes originalis affluit, vel qua ei motus inclinationis ad conſenſum in malum adjungitur, f) vel qua plena pravi approbatio, & conſenſus iſti accidit. Accuſat ipſe

a) *l.21. Moral. c. 3.*

b) *Paratit. Dig. de l. & l. §. 4.*

c) *Vind. Orig. I. Nat. Controv. 8. pag. 100. ad Dn. D. Albert. Comp. I. N. P. I. p. 47.*

d) *I. ſecunda. q. 20. a. 1.*

e) *Matth. 4. 1. 3. 8.*

f) *Jac. 1. 14.*

g) *Gen. 6. 5.* ipſe DEUS g) *figmentum cogitationum cordis*, etiam infantilis, diluvio extincti: Chriſto in
h(*Math. 15. 19.* N.T. h) etiam *διαλογισμοὺς πονηροὺς, malas cogitationes*, ratiocinationes, & diſcurſus, *exire ex corde* monente, & illas reatus convincente. i)
i) *Matth. 5. 28.* Rectæ ergo etiam eſſe debent cogitationes noſtræ ſecundum legem moralem, ut *diligamus* DEVM *ex toto corde, & in tota anima, & in tota mente noſtra; proximum autem ut nos*
k) *Math. 22. 37.* *ipſos.* k) Variant alias cogitationes non ſolum ratione objecti, cum aliæ ſint de re turpi; aliæ de re honeſta; aliæ de re poſſibili; aliæ de re impoſſibili: ſed etiā ratione modi, cum aliæ ſint meræ complacentiæ, & ſolius delectationis gratia; aliæ cum agendi conſilio, ſerioq; animi propoſito, & conatu agendi, niſi quid impediat, conjunctæ: Omnes tamen conformes eſſe debent obligationibus juſtitiæ, charitatis, & religionis, ita ut cogitandi jus non detur, quoties in regulas juſti & recti peccatur, dictæque repugnant obligationes. Eximie
l) *l. 1. de Lib. arbitr. c. 3.* B. *Auguſtinus*: l) *Si cui etiam non contingat facultas concubandi cum conjuge aliena, planum tamen aliquo modo ſit, id eum cupere, & ſi poteſtas detur, facturum eſſe, non minus reus eſt, quam ſi in ipſo facto deprehenderetur.* Nam,
m) *2. Eudē. c. 11.* ut *Ariſtotel.* m) loquitur, ἐκ τῆς προαιρέσεως κρίνομεν ποῖός τις· τοῦτο δ' ἐστὶ τὸ τίνος ἕνεκα πράττει, ἀλλ' οὐ τί πράττει, *ex electione judicamus, qualis quis ſit: cujus rei gratia fecerit, ſed non quid fecerit.* Paulo ante dixerat:

τῆς

τῆς νοήσεως ἀρχὴ τὸ τέλος, τῆς δὲ πράξεως ἡ τῆς νοήσεως τελευτὴ, cogitationis principium finis eſt; actionis vero cogitationis terminus.

SUBSECTIO I.

De

JURE INTELLECTUS.

§. I.

CÆterum quod attinet jura *intellectus*, & *voluntatis*, & jus agendi quod homini competit, qua intellectu & voluntate eſt præditus, intelligi hoc debet eatenus, quatenus rationis uſus ad agendum neceſſarius, & ſufficiens datur. Contingit enim vel ob defectum ætatis tenerioris, vel ob infirmitatem provectioris, ut judicium imperfectius ſit, quam ut qui tali imbecillitate laborant, de ſtatu & rebus ſuis judicandi, ſtatuendi, facultatem item moralem agendi jus habeant. Præclare hinc *Grotius*, a) jura parentum & liberorum per diverſa tempora, & ætatis intervalla, declaratum ivit, repetente & illuſtrante Grotianam hanc Philoſophiam doctiſſimo *Eichelio*. b) Sic ob defectum uſus rationis, *furioſi, amentis, & infantis, nulla eſt promiſſio*; c) quemadmodum nec teſtari poteſt furioſus, cum omnis actus voluntarius præſupponit notitiam rei agendæ. d) In LL. Wiſigothorum e) ita hac de re ſtatuitur: *Ab infantia, vel in qualibet ætate,* de-

a) *l. B. P. 2. §. 2. ſqq.*

b) *de Iure Par. & lib. part. poſt. §. 8. & 9.*

c) *Grot. l. B. P. 2. 11. 5.*

d) *Schaller. de Teſtam. Chriſt. p. 45.*

e) *l. 2. tit. 5. §. 11.*

dementes effecti, & in eo vitio abſq; intermiſſione temporis permanentes, nec teſtimonium reddant; nec ſi quam forte voluntatem ediderint, nullam poterit firmitatem habere.

§. 2. Cæterum, compluribus modis contingit, ut intellectus in ſuis functionibus lædatur per dementiam. Vel enim, uti *Zacchias* a) loquitur, *primo anima rationalis actiones imminuuntur, ita ut energiam quandam in actionum celebratione amittant; vel depravantur ita, ut non debito modo celebrentur; vel deperduntur ita, ut nullo modo celebrentur.* Iſtud fit per *fatuitatem*, cujus ſpecies ſunt *fatuitas, Stoliditas, ignorantia, oblivio*; illud per *delirium*, cujus ſpecies *Zacchias* b) facit, explicatque, *phrenitidem* & *paraphrenitidem*; hoc per *inſaniam*, ejuſque ſpecies *inſaniam, melancholiam, furorem, Lycanthropiam, amorem, Melancholiam hypochondriacam*, explicatas ad uſum fori ab eodem *Zacchia*. c) Cum vero & hi affectus, uſum rationis debilitantes, varie ſe habeant, varieque intellectum, eiuſque actiones impediant, laborantium quoque jura hinc variare neceſſe eſt. Ita v. g. ſimplices, qui hebetudine intellectus laborant, etſi ab officij publici adminiſtratione, quæ intellectus integritatem requirit, jure arceri poſſint, nil tamen impedit, quo minus ad dicendum teſtimonium admittantur; quin nec matrimonio talibus interdici penitus poteſt. Ejuſmodi vero juribus illi non gaudent fatui, ac

a) *qq. Medico Leg. l. 2. tit. l. q. 1. n. 12.*

b) *l. c. l. 2. tit. 1. q. 1. n. 15. q. 16. 21.*

c) *l. c. q. 9. ſq. q. 16.*

Digitized by Google

ac furioſi, vere & plene tales, qui ob judicij defectum, ut decet, conſentire non poſſunt, nec debitos conjugij fines intelligunt, *Gerbardo* d) etiam, & *Dannhavvero*, e) monitum. Ita qui amore inſaniunt, præter operationes intellectus læſas, etiam corruptos ſenſus experiuntur. *Οὐ δύναται μὴ τυφλώττειν ἐρῶσα ψυχή· ἀήττητος γὰρ ἡ τῶν ἐρώντων προσπάθεια*, *non poteſt non caecutire animus amore captus : quoniam invicta eſt amantium affectio*, ait *Simocates*. f) Furioſis hinc annumerari ſolent, quorum dicta & facta pro nullis habentur. *Mentis malum eſt in amore furere*, ait *Foreſtus*, g) *quod plerumq; tragico luctu in maniam, aut melancholiam, deſinit*. Phædra Hippolyti amore ardens apud *Senecam*. h) *furor*, inquit ad nutricem, *cogit ſequi pejora, vadit animus in praeceps ſciens, remeatque, fruſtra ſana conſilia appetens*. i) Facultas itaque agendi moralis, v. c. donandi, ejuſmodi inſanis concedenda non eſt, furore rationem vincente.

d) *de Conjug. §. 118.*
e) *Theol. Conſc. P. I. p. 802.*
f) *Epiſt. 56.*
g) *Obſerv. l. 10. obſ. 29. ſchol.*
h) *Hippol. v. 1 7.*
i) *add. 2. S. 1. 13. c. 4. /99.*

§. 3. Turbat præterea rationem ejuſque uſum, impeditque in ſuis functionibus intellectum, *ebrietas*, ſive ex fumo, ſive ex vino, ſive ex cereviſia oriatur. Vinis enim oculi, animique, quando natant, in ratiociniorum connexione turbatur intellectus, ita ut ebrius ejuſmodi ab homine non ſanæ mentis parum diſtet. Non magis itaq. jus agendi in tali ſtatu conſtituto competit, quam amentibus. Talia ergo agendi jus non habet, quæ

à ſingulas rerum circumſtantias ſcienti
a) 1. de LL. f. 573. tum fieri poſſunt. *Plato* a) cum ebrieta *τὰς αἰσθήσεις, καὶ μνήμας, καὶ δόξας, καὶ φρονή* *ſenſus, memoriam, opinionem, intelligentiam* *tinguere* dixiſſet, *ad eum habitum temulen* *redire* addit, *quem puer à primis annis h* *bat.*

§. 4. Defectum etiam ratio patitur *ſomnum*: Caret enim ejus uſu dormiens; u *mens æſtuans procellis, curiſq; ſauciata, totis* *medullis obliviale poclum*, ceu eleganter c
a) Hym. 6. Cathem. *Prudentius*, a) *Ἀργία γάρ ἐστιν ὁ ὕπνος τῆς ψυ* *ſomnus enim animi eſt ceſſatio*, ſecundum
b) 1. Ethic. c. 13. *ſtotel.* b) & *animi in medium ſeſe receſſus*
c) Hiſt. nat. l. 10. c. 75. *Plinij* c) mente. Sequitur hæc animi q ſenſuum externorum quietem, cum nihil i rum quæ extra nos fiunt, & geruntur, ſit in tellectu, quod non prius fuerit in ſenſib His ergo quieſcentibus, vel turbatis, uti, qu do animal expergiſcitur, contingit, neceſſa um & ſufficientem rationis uſum locum tu habere non poſſe, manifeſtum eſt. Null ergo actionem moralem in foro validam p ſe edere, neque contrahere, vel promitten ſe obligare poſſunt dormientes. Unde n attendi debet, ſi propria confitentur delict vel ad interrogata reſpondent, vel alia etia dicunt, faciuntve, prolixe id explicante *Za*
d) l. c. q. 12. *chia*, d) atque caſum notante, *in quo quis do* *miens aliquem occidens, vel aliud ſimile de* *ctum committens, puniendus ſit*; ſi nimiru

inte

Digitized by Google

interpretative fuerit voluntarium. Idem de illis ſentiendum, qui alio rationis defectu, ex alia cauſa orto, laborant.

§. 5. *Volendi facultas* hinc non datur, nec cenſetur quis moraliter voluiſſe, ſeu conſenſiſſe in rem aliquam, niſi iſte voluntatis actus liber ab errore, ignorantia, alioque defectu rationis fuerit, nec metu juſto injuſte extortus. Non enim ſcripta tantum, ſed & nata lex eſt, cujus *Seneca* a) facit mentionem, *per vim metumq; geſta ne ſint rata.* Vitioſi ergo ſunt contractus, promiſſa, aliique actus, qui ex plena voluntatis libertate procedere debent. Quanquam quod attinet obligationem, diverſitas aliqua hic detur, cum quæ per vim & metum fiunt, niſi ſit vis pura, ceu actiones mixtæ, ſecundum *Ariſtot.* b) etiam obligent; id quod negandum cenſemus de eo, quod ex judicij & rationis defectu eſt profectum. De juramento per vim exorto alibi egimus. Contra jus voluntatis interim accidit, ſi quocunque modo ejus libertas, atque ſpontaneitas læditur.

a) 4. *Controverſ.* 26.

b) 3. *Ethic.* 1.

SUBSECT. II.

De JURE SENSUUM.

§. 1.

Quanquam ſenſus ex illarum rerum genere ſunt, quas cum brutis communes ha-

Digitized by Google

bemus; diverſa tamen in eo, pro ſubjec
rum horum diverſitate, illorum apparet
tio, quod cum in animantibus ſenſitivis ca
teris ad facultates naturales pertineant,& c
ſuram moralem per ſe in brutis non ſubea
in hominibus, quatenus directionem volu
tatis admittunt, juſti & injuſti, boni & m
honeſti & turpis, & ſic moralitatis capa
ſunt; ſic ut in ſacris etiam literis ſenſuum
ſus bene & male audiat. Ὀφθαλμῶν γάρ ἐστι
νον, τὸ ὁρᾶν, καὶ ὤτων, τὸ ἀκούειν, καὶ στόματ
γεύεσθαι, καὶ ῥινὸς, ὀσμῶν ἀντιλαμβάνεσθαι,
χειρῶν, τὸ ἅπτεσθαι. ἀλλὰ (ὧν) δεῖ ὁρᾶν καὶ
κούειν, καὶ ὧν ἅπτεσθαι δεῖ, καὶ γεύεσθαι, καὶ ὀσμᾶ
ὐκέτι τῶν αἰσθήσεων ἐστιν, ἀλλὰ καὶ ψυχῆς καὶ
ταύτης νοῦ διακρίνειν, *Oculorum enim ſolum*
videre: & aurium, audire: oris, guſtare,
rium olfacere, manuum tangere: Sed quæ
ſtari, audiri, tangi, odorari debeant, ſenſu
non eſt, ſed animi, ac tale judicium à me
peragitur, eximie explicante B. *Athanaſio.*
Et cum ad facultates a natura conceſſas, q
bus carere non poſſumus, referenda ſit ſen
endi facultas, quin & ſenſuum ratione unic
que ſuum tribui debeat, atque homini, anim
li ſenſitivo, illorum intuitu injuria fieri poſ
dubium non eſt: Unde origines juris ſen
um facili negotio derivare licuerit. Nob
or vero & prolixior eſt diſciplina hæc de *j*
ſenſuum, quam quæ intra terminos harum p
gellarum abſolvi & contineri poſſit, cum
lebe

a) *Contra gent. t. l. Opp. f.* 34.

Digitized by Google

lebcrrimus JCtus, Dn. *Stryckius*, ſingularem tractatum eidem tribuerit. Paucas tamen duxiſſe lineas, & fontes hujus doctrinæ monſtraſſe, ſufficiat in præſenti.

§. 2. Naturalium Doctorum de ſenſibus diverſas opiniones ſuo loco relinquimus, quibus etiam cum *Scaligero*, a) an *venerea voluptas ſextus ſenſus ſit, à tactu diverſus*, diſceptare permittimus: Nobis enim quinq; ſufficiunt externi: Quibus addimus internos: Senſum communem, & Phantaſiam; & memoriam: illorum licet non improbanda aliis videatur ſententia, qui unum tantum ſenſum internum ſtatuunt, qui pro diverſitate munerum diverſa ſortiatur nomina. Vocabulum autem *Iuris* nobis notat cum id, quod juſtum, rectum & honeſtum eſt, tum facultatem agendi, vel habendi aliquid ab altero, vel adverſus alterum, ideo, quod ſenſibus præditi ſumus, illiſque utimur. Sanos hos, atque valentes, merito illorum bonorum numero habemus, quæ inter bona corporis cum præſtantiſſimis referenda ſunt. *Senſuum*, inquit Cicero, b) *ita clara judicia & certa ſunt, ut, ſi optio naturæ noſtra detur, & ab ea DEUS aliquis requirat, contentane ſit ſuis integris, incorruptisq; ſenſibus, an poſtulet melius aliquid: non videam, quid quærat amplius*; addit autem ſe loqui de ſenſibus, *ſi & ſani ſunt, & omnia removentur, quæ obſtant, & non impediunt.*

a) *Exercit. de ſubtil.* 86. *ſ.* 3. *p.* 856.

b) *Academ. qq. l.* 4. *p.* 6.

§. 3. Senſibus, ut ſunt hominum, le-
a) *de Fin. bon. & mal. l. 2. p. 72.* gem præſcribi poſſe, *Cicero* a) etiam ſubinnuit, contra Epicurum diſputans. *Nam*, inquit, *quod Epicurus ait, ſenſibus ipſis judicari, voluptatem bonum eſſe, dolorem malum: plus tribuit ſenſibus, quam nobis leges permittunt.* In perfruendis quippe voluptatibus, quibus ſenſus dulciter afficiuntur ut Ariſtippum de voluptatibus locutum conſtat; & quærenda in corpore indolentia, detracto illo dolore, qui moleſtiam creat, in qua ſecundum *Epicuri* diſciplinam, in *Epiſtola ad Mæneceum*, & in *Sententiis ratis*, b) voluptas poſita eſt; legem rationis voluntati modum ſenſus coërcendi præſcribentem potius, quam ſenſuum judicium, quod in moralibus nullum eſt, ſequi decet. Senſuum eſt cognoſcere, rationis autem dijucare, verene aliquid ſit bonum, quod ſenſus ita percipiunt. Nec eſt, quod *Epicurus* c) excipiat, quodque *Torquatus Ciceronianus* d) etiam explanat, & ceu *ad Ethicam etiam ſpectans*, *Gaſſendus* e) quoque non improbat: Εἰ μάχῃ πάσαις ταῖς αἰσθήσεσιν, οὐχ ἕξεις οὐδ' ἃς ἂν φῇς αὐτῶν διεψεῦσθαι, πρὸς τί ποιούμενος τὴν ἀναγωγὴν κρίνῃς; *Si*, ut reddidit *Gaſſendus*, *omnibus ſenſibus fidem adimas, ne habebis quidem, quoſcunq; ipſorum falli dixeris, ad quod revocans examen, id dijudices.* Etſi enim in naturalibus ſenſus non fallantur, id tamen, quale in genere morum aliquid ſit, rationis eſt judicium. Diſputat hoc etiam *Ariſtocles* Peripateticus, apud *Euſebium*,

b) *Laërt. l. 10.*

c) *Sentent. Rat.*

d) *de Fin. l. 1. p. 62.*

e) *Comm. in Epic. Sent. rat. t. V. opp. f. 149.*

bium, f) contra Epicureos: *Tantum,* inquiens, *abeſt, ut bonorum malorumve primipium ac regulam, affectionem,* voluptatem ſc. & dolorem, *eſſe dicam, ut illam ipſam altera quadam judicij regula indigere exiſtimem: Nam quod ea ſit, oſtendit ipſa per ſeſe: cujuſmodi ſit, qui judicet, alium requirit.* Εἰ μὲν γὰρ οἰκεῖον (τὸ πάθος) ἢ ἀλλότριον, ἡ αἴσθησις λέγει· πότερον δ' αἱρετὸν, ἢ φευκτὸν, ὁ λόγος; *enimvero domeſticane illa ſit, an aliena, ſenſus pronunciat; utrum expetenda an fugienda ſit, ratio ſtatuit.*

f) *Prap. Evang. l. 14. ſ. 21. f. 769.*

§. 4. D. *Iohannes,* Apoſtolus, a) monens, ut fugiant homines pravos & corruptos hujus ſeculi mores, vitentque τὴν ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς, καὶ τὴν ἐπιθυμίαν τῶν ὀφθαλμῶν, *concupiſcentiam carnis, & concupiſcentiam oculorum,* abuſus ſenſuum ad fœdas voluptates percipiendas reprehendit. Unde *Oecumenius,* b) Τίνα δὲ, τὰ ἐν τῷ κόσμῳ, *quanam autem ſunt illa, quæ in mundo ſunt?* quærens, reſpondet: Τὰ κατὰ τὴν ἐπιθυμίαν τῆς σαρκὸς ἐκτελούμενα· ἃ διὰ τῶν αἰσθητηρίων τὴν ἐπιθυμίαν ἀνακινεῖ· διὰ γὰρ τῶν ὀφθαλμῶν, τῶν κυριωτάτων τῶν αἰσθητηρίων, καὶ τὰ λοιπὰ περιέλαβε, *quæ carnis concupiſcentia perficiuntur, quæ concupiſcentiam per ſenſus agitant. per oculos namque, qui potiſſimum tenent locum in ſenſibus, cætera complexus eſt.*

a) 1. *Epiſt.* 2. 16.

b) *Explic. h. l. p. m.* 251.

§. 5. Satis conſtat, non per guſtus & tactus abuſum tantùm peccari, ſed & oculis abuti homines, ad percipiendas delectationes vanas, atque turpes; auditum quoque atque

olfactum adhiberi, variiſque modi affici, atq; ad corporis voluptates ordinari. Hoc inprimis de homine verum, qui voluptates non tantum ſenſibus percipit, ſed & intelligit: in quo locum habet illud *Epicharmi*: Νοῦς ὁρᾷ, καὶ νοῦς ἀκούει· τὰ ἄλλα κωφὰ, καὶ τυφλά, *mens videt, mens audit; cætera ſurda ac cæca ſunt.* Docet

a) 3. *Ethic.* 10. id *Ariſtoteles* a) etiam. Cum enim temperantiam potiſſimum circa voluptates, quæ guſtu & tactu percipiuntur, verſari docuiſſet; non penitus voluptates, quæ auditu, viſu & odoratu percipiuntur, & ad quas percipiendas ſenſibus his mortales etiam abutuntur, excludendas eſſe monet, quatenus ſcil. ad intemperantiam, & aliarum voluptatum appetitum ciendum faciunt, & ordinantur, & ſic κατὰ συμβεβηκὸς, *per accidens.* *Euſtratius* textum b) *Ariſtotelis*, interprete *Feliciano*, ita παραφράζει:

b) *in* 3. *Moral. Ariſt. cap.* 10.

Eos, inquit, *Ariſtoteles, non eſſe appellandos, neq; temperantes, neq; intemperantes, qui malorum, vel roſarum, ſimiliumq; rerum odore oblectantur, ſed illos tantùm, qui unguentorum vel obſoniorum olfactu gaudent: Atque eos quidem propterea, quia ex ea re libidinum ſuarum recordatione afficiuntur: ex unguentis meretricum luxuriam, ex obſoniis comedendi ſuavitatem memoria repetentes. Hi enim non ob olfactus jucunditatem his odoribus oblectantur: ſed quia ex his & venereorum, & epularum voluptas iis offertur, cui præcipuè dediti ſunt. Nam circa alios etiam ſenſus per accidens oblectari*

in-

Digitized by Google

intemperans poſſet: *Dum enim vel videt meretricem, aut dapes, vel audit vocem meretricis, aut de epulis colloquentes aliquos, in libidinum ſuarum cogitationem inducitur, ac gaudet.* Complura huc pertinentia legere licet apud *Athenæum*; c) &, qui in has ſenſuum impuritates graviter invecti ſunt, Patres Eccleſiæ, *Iuſtinum Martyrem*, *Clementem Alexandrinum*, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Auguſtinum*, & *alios*: Res enim prolixioris argumenti eſt.

a) *Deipnoſ.*

§. 6. Quod in ſpecie vero *ſenſum internum* attinet, cum ejus officium, qua *ſenſus communis* audit, hoc ſit, ut inter objecta ejusdem ſenſus, atque diverſorum diſcernat, atque ſenſibilia propria cum à ſe invicem, tum à communibus diſtinguat; quà *Phantaſia* vero dicitur, iſtas ſpecies dijudicatas ulterius examinet, ex ſenſatis non ſenſata eliciat, diverſas ſpecies componat, ut in ſomno plerumque fit; ſenſatas etiam ſpecies perceptas cum intentionibus elicitis conjungat; intentiones denique cum intentionibus connectat, uti canis v. c. novit, quod hero ſubblandiri, non item alij debeat, uti in Naturali docetur diſciplina; ne in his error contingat, quando omnis cognitio rerum externarum ſenſibilium à ſenſibus incipiat, patet eo connitendum eſſe, ut illa etiam qua fieri poſſit diligentia peragatur, cum, ſi ſenſus externi erraverint, interni non poſſint non errare, nec abſque errantis culpa, ſi illi error cognitionis externæ per ſenſus exterio-

res juſtè fuerit imputatus. Turpia hinc etiam ſomnia non carent culpa. In quantum enim actus & effectus phantaſiæ, quo ſomnia etiam pertinent, à directione voluntatis dependent, illique ſubjiciuntur; in tantum ſunt moralitatis capaces. Quo nomine *Plutarchus* a) etiam *ex inſomniis quoq; aliquem ſuos ſentire poſſe in virtute profectus* monet, ſecutus Zenonis ſententiam. Nimirum τὸ μήτε ἡδόμενον αἰσχρῷ τινι ἑαυτὸν, μήτε τι προσιέμενον ἢ πράττοντα τῶν δεινῶν καὶ ἀδίκων, ὁρᾷ κατὰ τοὺς ὕπνους, ἀλλ' οἷον ἐν βυθῷ γαλήνης ἀκλύστου καταφανῆ, διαλάμπει τῆς ψυχῆς τὸ φανταστικὸν καὶ παθητικὸν ὑπὸ τοῦ λόγου διακεχυμένον, *ſi neq; turpi aliqua ſe re per quietem ſibi videatur delectari, neq; inhoneſtum aut injuſtum vel agere quicquam, vel approbare: ſed velut in ſerenitate profundiſſima omnes fluctus experti, vis animæ imaginans affectibuſq; obnoxia pelluceat, à recta ratione illuſtrata.* Diſputat eadem *Plato.* b) In ipſa etiam *voluptatis officina,* ut loquitur *Seneca,* c) audita fuit hæc vox Epicuri: Καὶ καθ' ὕπνους ὅμοιον ἔσεσθαι, *in ſomnis non alio affectu, quam per vigiliam exſtiturum* ſapientem, *ob mentem ſcil. bene compoſitam*, explicante doctiſſimo *Gaſſendo.* d) Nec eſt, quod cum *Paulo Zacchia* e) quis excipiat: *Imaginationem in ſomno maxime liberam eſſe, & tum naturæ ſuæ indulgere; tum fortiorem in operando, tum rectius operari, etiamſi ſpecies ſenſibilium rerum in ea aſſervatas, irrationabili modo conjungat, etiamſi non entia*

a) *t. 2. opp. de profect. Virt. ſent. f. 82. ſq.*

b) *l. 9. de Rep. f. m. 502. ſub init.*

c) *Epiſt. 92. Laert. l. 10.*

d) *t. V. opp. f. 41.*

e) *qq. Medico Legal. l. 2. tit. 1. q. 4. n. 7.*

Digitized by Google

entia cum entibus adjungat. & nullum propterea in his eſſe errorem, quia ex ſui natura eo pacto nata eſt operari. Negari quippe nequit, cum ex corruptione naturæ, & ſic vitio labis originalis, qua & Phantaſia infecta eſt; tum ex viſu, auditu, atque cogitatione rerum turpium, in memoria retentarum, non vero ex puris naturalibus, in homine talia provenire.

§. 7. De *pollutione nocturna*, quæ ex diverſis cauſis contingere poteſt, & proin non idem morale judicium admittit, egit B. D. *Franzius*. a) Nimirum quo plus minuſve in hanc ἀταξίαν phyſicam conſenſus vel formalis, vel interpretativi datur, & proin etiam voluntarij tam in ſe, quam in ſua cauſa talis, eo plus etiam, minuſve ἀταξίας moralis concurrit, ob deſideratum, & probatum voluptatis ſenſum, tali modo illicitum. Voluit hanc ἀταξίαν moralem, infirmitati huic accidentem, etiam talem fluxum paſſis in memoriam revocare DEUS, ob naturalem etiam fluxum ſeminifluos *levitice* immundos pronuncians; ut ſciamus, *cordis munditiei* eo nos ſtudioſiores eſſe debere, ſecundum præceptum Chriſti Matth. 5. 8. *& vas noſtrum cum ſanctificatione & honore poſſideamus*, 1. Theſſ. 4. 4. Bene nimirum B. *Theodoretus* b) dicit, ὅτι διὰ τῶν φυσικῶν παιδεύει τὰ γνωμικὰ, καὶ διδάσκει διὰ τούτων, ὅπως ἐκεῖνα παγχάλεπα· Εἰ γὰρ ἡ κατὰ φύσιν γινομένη ῥύσις ἀκάθαρτος, πολλῷ μᾶλλον ἡ λαγνεία παράνομος, *per naturalia*

a) *Comment. in Levit.* 15. p. 172./99.

b) Q. 9. in *Lev.* q. 20. *t. I. opp. f.* 128.

nos

nos inſtruit (DEUS) *de vitiis animi, & ex*
docet quam ſint atrocia. Nam ſi fluxus na
ralis impurus eſt, multo magis contraria
laſcivia.

§. 8. *Somnio*, & ſic imaginatione,
tiatæ libidinis exemplum adfert pietate & e
ditione clariſſimus Eccleſiæ Doctor, *Clem*
a) *Strom. l. 4. f. 520.* *Alexandrinus*, a) de ſcorto quodam adoleſce
tem, quum quid ipſi in ſomniis accidiſſet
ipſo poſtea cognoviſſet, quod illi ſatisfac
detrectaret, accuſante coram judice. N
dicemus, contractum talem in ejuſmodi ca
turpi, initum etiam inter vigilantes, de c
tamen inter moralium Doctores diſputari
vimus, nullum eſſe, & ſine obligatione: N
impudica tantum hinc, ſed & hoc magis
juſta fuit hæc accuſatio, quod pretium per
ptæ voluptatis à juvene incontinente poſtu
verit meretrix, ad quam ipſa, turpiter lic
merendo nil contulerat. Unde, eodem C
mente autore, judex τὸ βαλάντιον τοῦ μισθώ
τος τὸν νεανίσκον προτείνειν κελεύσας, ἐν ἡλίῳ
τὴν ἑταίραν λαβέσθαι προσέταξεν τῆς σκιᾶς· χα
ἐντως εἴδωλον μισθώματος ἀποδιδόναι κελεύσ
εἰδώλου συμπλοκῆς, *juſſit adoleſcentem crumen*
in ſole extendere, juſſit meretricem umbr
apprehendere: lepidè imperans, ut ſimulachru
mercedis redderet, pro ſimulachro complex
Non injuſtè quidem, ſed non decenti gravi
te. Actionibus vero *noctambulonum* cu
impedimentum poni poſſit, quatenus hoc n
gli

Digitized by Google

gligitur, eatenus rationem voluntarij, & conſequenter etiam criminis vel pœnæ reatum contrahere tales poſſunt.

§. 9. Dupliciter *imaginatio* læditur, vel ſalva ratione & memoria, aut ratione tantum, vel ut ſimul rationis deliquium accidat. Potiora adhuc læſi jura ſunt illo caſu, quam hoc: præprimis quando læſio à cauſa aliqua externa potius, quam interna accidit. Facilius enim impedimenta ſenſuum externorum removentur, quam interna, ſpiritus phantaſmata recipientes turbantia. Vigilat etiam hic ratio, ne quid imprudenter & inconſideratè fiat; ne in promittendo, contrahendo, negotium aliquod tractando, teſtimonium dicendo, ſimus præcipites, nec niſi re probe explorata, quid agamus. Quod ſi vero dolo quis circumventus egit, ignorantia ceu cauſalis excuſat, & illata injuria jus largitur ad poſtulandam ſatisfactionem, pro ratione læſionis, & ejus quod intereſt.

§. 10. Ex ſenſibus externis *Viſus*, nulla affectus imbecillitate, nec impeditus, viris bonis hoc jus largitur, ut ſibi, ſe aliquid vidiſſe aſſeverantibus, fidem haberi poſtulare poſſint: De rebus etiam à ſe viſis *teſtimonium* perhibere queant. Ut vero quis ad jura viſus rite provocet, præter cætera requiſita, de quibus Phyſici, etiam organum viſus recte diſpoſitum eſſe oportet. Unde ſi faſcino oculos lædi contingit, ad viſum provocare non lice-

licebit. Id cum Magis & Sagis accidere poſſe, imo etiam accidiſſe, Diabolo variis immiſſis phantaſmatibus, & objectis ſpeciebus, ſenſibus illudente, negari vix poſſit, a) patet circumſpectè in admittendis hujus generis hominum confeſſionibus, & relationibus, eſſe agendum, agnoſcente *Herm. Gœbauſen,* JCto b) Ebrios valde, & dormientes etiam, delirantes item, & maniâ correptos, agitatoſque, viſus juribus deſtitui per ſe patet. Et cum amantes etiam *viſus ſenſu expolientur*, monente *Zacchia*: c) ſcilicet *inſano nemo in amore videt*, ſecundum *Propert.* d) non pari viſus jure cum illis gaudebunt, quibus oculi ſunt ſaniores. Diurno præterea potius tempore, & in luce, quam in nocturnis tenebris, jura viſus locum habent. Unde Comes Taurellus, cum à Principis filio Alexandro Farneſio Parmenſi in tenebris nocturnis ad certamen provocaretur, nec oblatum ignarus à quo detrectaſſet, mox dum pugnatur, *ad facem alterius prætereuntis agnito Alexandro, quem inter tenebras ignoraverat, humi ferrum abjecit, & reverenter veniam oravit, ſi ſuum in Principem, neſcius licet ac laceſſitus, arma temeraſſet*; explicante *Famiano Strada.* a)

a) *Balduin. Caſ. Conſ. l. 3. c. 5. caſ. 7.*

b) *Deciſ. trium qq. q. 3. p. 50 ſq.*

c) *qq. Medico Leg. l. 2. tit. 1. q. 10. n. 33.*

d) *l. 2. Eleg. 11. v. 18.*

e) *de Bell. Belg. dec. I. l. 9. p. 403.*

§. 11. Qua vero ratione viſu poſſeſſio acquiratur, diſputari conſtat. *Vidiſſe* quidem *tantum, aut ſcire, ubi quid ſit, nondum ad poſſeſſionem ſufficere*, recte judicatur *Pufendorfio*; a) refertur tamen ex *Trogo Pompejo à Juſtino*,

a) *de I. N. G. l. 4. c. 6. §. 8.*

ſtino, a) quod Tyriorum ſervis, poſt domino- b) *l.* 18. 3. 9.
rum cædem *de ſtatu reipublicæ*, quam invaſerant, *deliberantibus, regem ex ſuo corpore creari placuerit, eumq; potiſſimum, quaſi acceptiſſimum Diis, qui ſolem orientem primus vidiſſet.* Et pacto ita definiri poſſe, ut res detecta, inſula ſc. vel terra, ejus ſit, qui eam primus viderit, dubio caret; certe talis ad rem viſam occupandam tempore ut prior, ita jure ad rem potior cæteris cenſeri debet.

§. 12. Quid vero juris agendi oriatur, dato plurium jure ex viſu rei, cogitari poteſt occaſione controverſiæ, quæ inter Chalcidenſes & Andrios agitata fuit propter Acanthum, à Barbaris deſertam, memorante *Plutarcho.* a) a) *tom. II. opp.* 99. *Græc. f.* 298.
Miſſi enim ab his exploratores ad factum cognoſcendum, τῇ πόλει προσιόντες παντάπασι προλελοιπότας ᾐσθάνοντο τοὺς πολεμίους, *ubi ad urbem acceſſerunt, hoſteſq; plane aufugiſſe deprehenderunt; Chalcidenſis prior excurrit, tanquam civibus ſuis urbem occupaturus: At Andrius cum eum curſu non aſſequeretur, haſtam conjectam valido ictu urbis portæ infixit, ac ſe haſta Andriis urbem eam præcepiſſe pronunciavit.* Ortâ hinc diſcordia, συνέβησαν Ἐρυθραίοις, καὶ Σαμίοις, καὶ Παρίοις χρήσασθαι περὶ πάντων δικασταῖς, *convenit inter partes, ut Erythræis, Samiis & Pariis arbitrium controverſiæ deferretur*, quo Erythræi & Samij τὴν ψῆφον Ἀνδρίοις ἐνήνεγκαν, οἱ δὲ Πάριοι Χαλκιδεῦσιν, *ſecundum Andrios litem dederunt, Parij autem*

Chal-

Chalcidenſium cauſam probarunt. Rectius vero videtur à Pariis judicatum, cum extra caſum pacti, ad dominium acquirendum magis apta ſit corporalis rei apprehenſio & poſſeſſio, quam ſi ejuſmodi tantum attingatur inſtrumento, quod in varios patet uſus, nec per ſe ad hoc ordinatum eſt, ut ſit medium occupandæ poſſeſſionis, ſed ad hoc ex ſolius uſurpantis beneplacito liberè adhibetur, id quod alterum non obligat. Pertinet huc etiam diſputatio de jure, quod Hiſpani ad Occidentis Indorum inſulas & regiones, ceu à ſe primo omnium viſu uſurpatas, detectaſque, ſe præ reliquis habere contendunt, de quo alibi contra *Franciſcum à Victoria* actum.

§. 13. Pertinet, ut complura alia taceamus, ad jura viſus etiam *jus Luminum*, quod ſic vocatur, cujus hic quærendæ ſunt origines. Tenebras enim cum viſus horret, liberumque amat proſpectum, inſtinctus hic quamdiu manet innoxius, neminique gravis redditur, jus luminum parit, eum ut in luce, nec in tenebris degamus, oculiſque utamur, nati ſimus. Hinc *præ cæteris ſenſus qui per oculos fit, Ariſtotele* a) notante, maximè amatur. Οὐ γὰρ μόνον ἵνα πράττωμεν, ἀλλὰ καὶ μηθὲν μέλλοντες πράττειν, τὸ ὁρᾶν αἱρούμεθα ἀντὶ πάντων, ὡς εἰπεῖν τῶν ἄλλων, *non enim ut agamus ſolum, verum etiam nihil acturi, ipſum videre præ omnibus aliis eligimus.* Subjicitur ratio: ὅτι μάλιστα ποιεῖ γνωρίζειν τι ἡμᾶς αὕτη τῶν αἰσθήσεων, καὶ πολλὰς

a) 1. *Metaph. c. 1. ab init.*

δηλοῖ

δηλοῖ διαφορὰς, quia ſenſuum hic vel maxime nos cognoſcere quicquam facit, multaſq; differentias manifeſtat.

§. 14. *Iuri viſus* etiam repugnat illa mulierum fallacia, tam juvencularum, quam vetularum, quæ, cum oculi ſint in amore duces, quo præ aliis, à viris expetantur in matrimonium, *fuco* illos fallere intendunt.] Placere oculis ſponſi debet ſponſa, ut Simſon in *oculis ſuis rectam eſſe* dixit a) virginem Thimnathæam; oculiſq; mariti uxor; quæ hinc à DEO *deſiderium oculorum ejus* vocatur: b) Cujus proin etiam per oculos cognoſcendæ, & videndæ, jus habet, antequam ſe illi deſpondeat. Repugnat huic juri, ſi oculis fucus fit, ſi quo placeant *vetulæ, edentulæ, vitia corporis fuco occulunt,* ut *Plautus* c) loquitur; ſi juvenculæ petulantes, ut *Horatij* d) Glycera, quo grata protervitate, & nitore, pario marmore purius ſplendentes, incautos fallant, ſe pulchriores, quam ſunt, reddere moliuntur. Ut enim in eligenda ſponſa conſenſus ratione voluntatis liber à vi, minis, & coactione, ita ratione intellectus, & judicij, liber ab errore & dolo eſſe debet. Parit vero iſta fucata pulchritudo errorem, nec caret dolo. Egregie *Tertullianus,* e) *quantum,* inquit, *a veſtris diſciplinis, & profeſſionibus aliena ſunt, quam indigna nomine Chriſtiano, faciem fictam geſtare, quibus ſimplicitas omnis indicitur, effigiem mentiri, quibus lingua non licet, &c. ſpeciem exercere, quibus ſtudium*

a) *Iud.* 14. 3.

b) *Ezech.* 24. 16.

c) *Moſtell. A.* 1. *ſc.* 3.

d) *I. Carm. od.* 19.

e) *de Cultu fœm. c.* 5. *ſi. m.* 514.

pudicitia eſt? Ipſe etiam DEUS fucos hos par-
f) *Ierem.* 4. 30. *Ezech.* 23. 40. tem cultus meretricij conſtituit, f) quo impudicæ uti ſolent ad placendum. Graviter hinc gloriosſus Martyr *Cyprianus*, g) *pro timore,*
g) *tract. ſec. de habit. Virg. f. m.* 158. *quem nobis fides ſuggerit, pro dilectione, quam fraternitas exigit, non virgines tantum aut viduas, ſed & nuptas, & omnes omnino fœminas admonet, quod opus* DEI, *& factura ejus, & plaſtica, adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet deniq; lineamenta nativa corrumpente medicamine.* Similia leguntur apud alios Eccleſiæ Doctores; citaturque locus *Cypriani*
h) 4. *de mor. Chriſt. c.* 21. etiam ab *Auguſtino.* h)

§. 15. *Oculis* etiam peccari poſſe, eo
a) *Iob* 24. 15. minus dubium eſt, cum in ſcripturis a) *oculus adulteri* male audiat; & *libidinoſi mulieris alicujus aſpectus* à Chriſto corripiantur. b) Non
b) *Matth.* 5. 29. minus *Salomo* c) invehitur in *virum iniquitatis, nictantem oculis ſuis*; & in *oculos elatos.*
c) *Prov.* 6. 13. 17.
d) *Orat. cōtra gent. t.* I. *opp. f.* 5. Nimirum cum, ut B. *Athanaſius* d) loquitur, τὸ σῶμα ὀφθαλμοὺς ἔχει εἰς τὸ τὴν κτίσιν ὁρᾶν, καὶ διὰ τῆς παναρμονίας ταύτης συντάξεως γινώσκειν τὸν δημιουργὸν, *corpus oculos habet rerum naturæ contemplationi deſtinatos, ut ex ejus concinna modulataq; compoſitione opificem agno-*
e) *Pſal.* 119. 37. *ſceret*, anima male morata eos ad concupiſcentias convertit. Avertendi ergo ſunt, ne
f) *t.* 2. *opp. Ep. ad Gerunt. Fol. f.* 15. *a.* videant vanitatem, ut David orat. e) *Oculi & aures*, inquit *Hieronymus*, f) *ſunt portæ animæ noſtræ, per quas ad illam ſeculi blandimenta deſcen-*

Digitized by Google

deſcendunt: & per quas ſenſus carnis introe-unt: per quas niſi late ſtrage facta, viam virtutibus quadam impietate fecerimus, nunquam ad regem veræ pietatis pervenire poterimus.

§. 16. Cum vero non oculo tantum lædi, ſed utriuſque oculi uſum interdum penitus amittere mortales contingat, ne afflictis addatur afflictio, jura viſus, quæ per ſe exercere neſciunt, per alios exercent. Nimirum ut mente capti, rationiſque uſu deſtituti, furioſi, amantes, infantes, ebrij, actiones quæ à judicij integritate, & libero voluntatis conſenſu proficiſci debent, per alios exercere poſſunt, ita cæci alienis agunt, & agere tenentur oculis, juraque viſus per alios, aliorumque operam, qui rem oculis ſubjiciunt, exercent; niſi tales actus ſint, ad quorum exercitium propriorum oculorum uſus eſt neceſſarius, quibus ſubjecta omnia longè certius explorantur, quam ſi alienis rem cognoſcimus luminibus. Vere *Quintilianus*: a) *Ambulantis cæci nec manus ceſſant, præmittuntur, explorant, & adeſſe ſe nunciant.* Excæcati hinc ſæpe leguntur in hiſtoriis, quos æmuli ad regnum ineptos reddere voluerunt. De *jure cæcorum* eximie diſputavit Dn. *Strykius*. b)

a) *Declam.* 2.

b) *de jure ſenſ. diſſ.* 2.

§. 17. Viſum excipit *auditus*, qui facilius fallitur, quam oculus. Eleganter *Philo*: a) ὦτα, ὥς ἔφη τις οὐκ ἀπὸ σκοποῦ, τῶν προτέρων ὀφθαλμῶν ἀπιστότερα, πράγμασι μὲν οὐκ ἐντυγχάνοντα ἑρμηνευθεῖσι δὲ πραγμάτων λόγοις, οὐκ ἀεὶ

a) *de Iudice* f. 555.

πεφύκασιν ἀλήθειαν ἀφελκόμενα, aures, ſicut recte quidam dixit è veteribus, minus fidei habent quam oculi, ut quibus non cum rebus ipſis ſit commercium, ſed cum ſermonibus rerum interpretibus, non ſemper veritatem ſectantibus. Memorabile eſt, quomodo proceres Perſarum Darium Regem ſalutarint, decepti hinnitu equi ejuſdem, quem ſingulari arte equiſo Oebares provocaverat, principibus cæteris eundem pro θείῳ quodam habentibus, pro- b) *l. 3. c. 85. ſqq.* lixius rem *Herodoto* b) explicante. Teſtimonij tamen dicendi jus habet, qui de auditu proprio, & re ſufficienter percepta, deponere poteſt. Idem enim jus homini, cæteris paribus, ratione auditus competit, quod habet ratione viſus: ita ut pari ratione homini probatæ fidei, de re audita deponenti teſtimonium, fides habeatur, uti, qui de re à ſe viſa teſtatur, talem meretur. Notanter dico, de re ſufficienter percepta. Contingit enim haud raro, ut eadem res, v. c. cædes hominis in vicino conclavi, & viſu & auditu, hoc licet ſenſu obſcurius tantùm, percipi poſſit, cum præter ſonum ad aures nihil perveniat, ex quo de homicidio nihil certi colligi poteſt: Quo in caſu audientis teſtimonium non niſi conjecturam parere aptum eſt. Accidit etiam nonnunquam, ut utriuſque ſenſus, auditus & viſus, auxilium ad teſtimonium de facto aliquo reddendum requiratur, ut dici poſſit, non ſolum quid, ſed & cur aliquid factum fuerit.

Con-

Digitized by Google

Conjungi etiam debent in addiſcendis diſciplinis: Unde *Polybio*, c) *auditus & viſus duo quaſi inſtrumenta nobis à natura data*, dicuntur, οἷς πάντα πυνθανόμεθα, καὶ πολυπραγμονοῦμεν, *quibus omnium rerum cognitionem & capimus, & ſerio inquirimus.* Alienum vero quod attinet auditum, ex illo jus agendi nobis non ſtatim naſcitur, cum qualis ſit ille alienus auditus, aut quomodo res ab alieno ſenſu percepta, incertum ſit. Quæ prolixius à Dn. D. *Stryckio* d) diſputantur.

c) *l.12. Hiſt. c. 15.*

d) *l.c. diſſ. 3. c. 3.*

§. 18. Jus hoc auditus ex regulis honeſtatis æſtimari debet, eximie hoc docente *Plutarcho*; a) apud quem præclare Socrates, χρὴ, inquit, ἡμᾶς τῶν ἀκουσμάτων σβεννύειν, ὅσα κρατεῖ καὶ περιάγει τοὺς μηδὲν δεομένους, *fugiendæ nobis ſunt iſtæ auditiones, quæ nullo uſu exigente nos ad ſe trahunt*, quæque & in reipublicæ, & proximi perniciem vergunt. Ita *Clapmarius* b) inter *extrema dominationis flagitia* refert ὠτακουστὰς, *Auricularios*, tyrannorum inſtrumenta. Horum nequitiam & fraudem expertus Romæ Sabinus, juſſu Tiberij, ceu *homo inſenſus Reipublicæ*, punitus fuit, ſcriptore *Tacito*. c)

a) *c. 2. opp. de Curioſit. f. 521. ſq.*

b) *de arc. Rerump. l. 5. c. 15.*

c) *4. Annal. 69. ſq.*

§. 19. Diverſimode nimirum *aurium abuſu* peccamus. Turpia, laſciva, *obſcœna & ſtultiloquia*, a) avide haud raro mortales audiunt. Aures iidem continent, ne ſalutaria audiantur. b) *Pruriunt* c) eædem ad nova accipienda, averſæ à veritate, ad fabulas autem con-

a) *Eph. 5. 4.*

b) *Act. 7. 5.*

c) *2. Tim. 4. 4. ſq.*

verſæ; 'Ακούσατέ μου, καὶ μὴ τὰ ὦτα ἀποβύσ[...]
μηδὲ τὰς ἀκοὰς ἀποφράξατε, ἀλλ' εἰς νοῦν β[...]
λεσθε τὰ λεγόμενα, *audite*, monet contra [...]
d) *Admon. ad gent. f.* 66. *mens Alexandrinus*, d) *nec aures obſtruite,* [...]
auditum obſepite, ſed menti ea quæ dicun[...]
imprimite. B. vero *Hieronymus*, e) *cave,* [...]
e) *Epiſt. ad Nepot. t. 1. opp. f. m. 9. b.* *quit, ne aut linguam, aut aures habeas* [...]
rientes: id eſt: ne aut ipſe aliis detrahas, [...]
alios audias detrahentes. Rurſus. *Nemo* [...]
vito auditori libenter refert. Sagitta in lapi[...]
nunquam figitur: interdum reſiliens perc[...]
dirigentem. Diſcat detractor, dum te videt [...]
libenter audire, non facile detrahere.

§. 20. Adverſatur juri auditus *ſile*[...]
um intempeſtivum, quo illa celantur, [...]
manifeſtanda, atque alteri explicanda [...]
In Gallia Thuano, ceu proditionis reo, i[...]
a) *p.* 809. 949. gitur in *Diario Armandi Richelij* a) crimini [...]
tum, quod conjurationem in regem Lud[...]
cum XIII. cujus conſcius fuerat, non pat[...]
cerit. Injuſtus eſt magiſter, tyroni no[...]
mnia fideliter explicans. Recte prætere[...]
b) *l. B. P. II.* 4. 5. *ſilentio*, quod, uti *Grotius* b) loquitur, *eſt* [...]
entis & libere volentis, ne id juri alterius n[...]
um eſſe poſſit, petitur conjectura voluntati[...]
inſtantiam alterius non annuentis. Aliter [...]
tiendum, ſi ſilentium eſt ex neceſſitate diſſi[...]
lantis, & rem differentis, id quod ex *Ant*[...]
c) *l. 4. Gonzag. p.* 418. *Poſſevino*, c) exemplo controverſiæ inter G[...]
zagas & Eſtenſem, qui Regium tenebat, [...]
Carol. IV. Imp. ſilentium provocabat, [...]

g

Digitized by Google

ganter illuſtrat B. *Bœclerus*. d) Contra jus alterius audiendi etiam mendacio, aliiſque in ſermone dolis, & fraudibus agitur, quibus audiens non ſine injuria fallitur. Sic non licet alterius vocem imitari. Judicij enim integritatem, atq; voluntatis libertatem, talia in audiente turbant, qui deceptus in errorem inducitur. Unde cum tam nobilis & neceſſarius ſenſus ſit auditus, αἴσθησις ὀξέως ἐπὶ τὴν ψυχὴν τὰ γνωσθέντα ἀναπέμπουσα, καὶ προσαναγκάζουσα συμφθέγγεσθαι καὶ συνορμᾶν τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν, *qui celerrime quæ percepit animæ communicat, ſuinq; eam convenire ac conſentire cogit affectionibus*, uti loquitur *Maximus Tyrius*, e) non ſolum pro ejus cuſtodia conceſſa eſt jure naturæ defenſio, quam etiam pro reliquorum membrorum, & ſenſuum incolumitate, inſtituere licet; ſed & populorum legibus, Longobardorum, f) Saxonum, g) aliorumque, aurium, & oculorum ſecuritati cavetur.

d) *Comm. Grot. P. II. l. 2. c. 4. p. 111. ſq.*

e) *diſſ. 21. p. 218.*

f) *l. 1. tit. 7. l. 7. t. 8. l. 6. l. 7. l. 18. ad. Baj. tit. 3. cap. 17. §. 18. 19. Rep. tit. 5. §. 1. tit. 26.*

g) *tit. 1. §. 11.*

§. 21. Surdities jus agendi non tollit, aut ſuſpendit, niſi quoad ea, ad quæ auditus vel cum aliis ſenſibus per ſe, & ex natura negotij eſt neceſſarius, & quando iſte defectus, in quantum negotium aliquod impedire videtur, aliter commode ſuppleri poteſt. *Verius* hinc, *Sanchezium* a) ſecutus, *Diana* b) exiſtimat, *poſſe mutum ſimul ac ſurdum, ſi intellectum perſpicacem habeat, ita, ut ſignis edoceri poßit, quid ſit matrimonium, & ſignis indicare conſenſum, valide contrahere ſponſalia & matrimo-*

a) *de Matrim. t. 1. l. 1. diſp. 8. n. 12.*

b) *Reſol. Moral. P. V. tract. 6 Reſol. 9. f. m. 164. ad. Cypræ. de ſponſal. c. 4. §. 22. n. 3 & de Matrim. c. 6. §. 5.*

monium. Omnes etiam contractus celebrabit, ubi ſignis, & aliis motibus corporis, ejus ineundi voluntas & conſenſus ſatis intelligi poteſt. Idem cenſendum de *Iure teſtandi*, & ſimilibus, ubi ſigna animi ſufficienter declarare noverit. Negligenda licet non ſit diſtinctio c) inter ſurdum, qui naturâ talis, & qui malo ſuperveniente in calamitatem hanc incidit. Difficilius illum hujus vitæ negotia intelligere, & cognoſcere poſſe, quam hunc, dubium non eſt, unde & plura & potiora hujus, quam illius jura ſunt. Quæſtionem, *an faber à Doctore, quia ſono illi moleſtus eſt, expelli poſſit?* tractat Dn. *Stryckius*. d)

c) *Azor. tom 3. l. 11. c. 3. q. ult.*

d) *de Iur ſenſ. diff 3. n. 10 ſqq.*

§. 22. Jus *Olfactus* quod attinet, memorabile eſt, quod de Japoniis *Arnoldus Montanus* a) memoriæ prodidit: *Illa ſc. quæ Europæis fœtere, & fœtida eſſe creduntur, cenſeri his barbaris fragrantiſſimum ſpirare odorem; & quæ noſtris bene fragrare judicantur, Iaponiis rerum fœtidarum numero haberi*: Quos etiam ſuo ſenſu abundare, ſuisque gaudere, & frui deliciis permittimus. Cæterum ex eo, quod hic ſenſus æquali cum reliquis ſenſibus jure gaudet, ſequitur, quod, licet inter hoſtes, ubi jus lædendi & in perſona, & in rebus, locum habet, vim olfactui inferre, & per noxios venenatoſque odores & fumos nocere, & vim imminentem depellere, permiſſum ſit: De Bohemis enim & Lituanis, Sigiſmundi Bohemiæ regis copias obſidentibus, autor eſt *Bonfinius*, b) quod,

a) *Act. Legat. Societ. Indic. ad Imper. Iap. f. 5.*

b) Rer. *Vngar. Dec. III. l. 3. f. 303. ſq.*

quod *vaſorum circiter duo millia tabidis cadaveribus, humanisq; excrementis completa in hoſtem emiſerint, ut eum pernitioſo fœtore conficerent, & ex eo factum eſſe* addit, *ut præ teterrimo odore omnibus fere dentes caderent, nutarentve*: Idemque hodierno belli jure inter gentes moratiores, bello ſolenni licere creditur uſu ignium, ejuſmodi noxium fœtorem,& peſtilentes fumos emittentium: Non tamen ſocialis tranquillitas id fieri concedat. Proinde non licet vicino fœtore, vel alio malo odore, moleſtiam creare, vel in publicum res fœtidas projicere. Excedere etiam hunc ſenſum circa ſuum objectum poſſe, & ſæpius exceſſiſſe, ſatis conſtat, docetque Salomo, c) illuſtrante exemplis *Pugeto de la Serre.* d)

c) *Prov.* 7. 17.

d) *tombeau des delices du monde.* c. 4.

§. 23. *Guſtui* jus eſſe ex cibo potuque voluptatem percipiendi, ex legibus temperantiæ patet, quæ non omnes voluptates, quæ guſtu percipiuntur, prohibent, *ordo* modo *in cibo ſumendo ſervetur,* ut boni moris, & valetudinis habeatur ratio: qua de re extat docta tractatio *Marſilij Cognati.* a) Libertatem etiam amat hic ſenſus, unde ad æquales hauſtus, vel ad vorandum, nemo eſt compellendus, vel cogendus, *ne graventur corda crapula, & ebrietate,* contra interdictum Chriſti. b) Invehitur in eos etiam, qui alios ad vorandum cogunt, *Clemens Alexandrinus.* c) Guſtus juri non minus repugnat, ſi ab hominibus parum moratis, cum cibi capiendi, ea fiunt atque di-

a) *Variar. obſerv. append.*

b) *Luc.* 21. *v.* 34.

c) *f.* 148.

cuntur, quæ nauſeam creare poſſunt: vel ſi potus, cibique veneno inficiuntur: Aut ſi vinum venditum aqua miſcetur. Hoſtes vero quod attinet, alibi d) jam inclinavimus in illam ſententiam, quæ cibos & fontes, flumina etiam hoſtium veneno inſici poſſe negat, contra Cardinalem *Toletum*; e) hanc noſtram ſententiam probante viro Illuſtri à *Kulpis*. f) Abuſum juris hujus taxat, uti decet, *Seneca*: g) *Nunc conviviorum viget furor, & fœdiſſimum patrimoniorum exitium, culina.* Rurſus: *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepiſſe erit virtus.* Unde ne cum detrimento Reipublicæ ejuſmodi mali mores invaleſcant, licet rectoribus ejuſdem legibus imminenti corruptioni obicem ponere, *invectionem etiam*, monente *Beſoldo*, h) *vini delicatioris prohibere*; uti de Germanis autor eſt *Iulius Cæſar*, i) *quod olim vinum ad ſe omnino importari non ſiverint, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atq; effœminari arbitrarentur.* Idem de jejunio cenſendum, quod boni ordinis, & diſciplinæ externæ gratia nonnunquam imperatur. *Utile* enim *eſt*, ut loquitur *Dallæus*, k) *carnis laſciviam jejunio coërcere, ac frangere, quo liber animus ſibi totus vacare, officiisq; tum in proximos expeditius fungi poſſit.* Docuit idem B. *Chemnitius* l) noſter.

§. 24. Quid juris denique ex *tactus ſenſu* habeamus, paucis attingendum. Jus appetendi illud voluptatis genus, quod ſenſu hoc percipitur, temperantiæ præceptis non contra-

d) *Diſſ. de armis in bello prohib.* §. 12. *ſqq.*
e) *l.* 8. *Inſtruct. ſac. c.* 45. *p. m.* 1262.
f) *Colleg. Grot. p.* 143.
g) *de Benef. c.* 10.
h) *Conſider. Polit. Vit. & mort. c.* 2. *p.* 14. §. 9.
i) *de bello Gall. l.* 4. *c.* 2.
k) *de Iejun. & Quadr. l.* 1. *c.* 1. *p.* 4.
l) *Exam. P. IV. f. m.* 91.

trariatur. ἐμφυὴς, inquit *Maximus Tyrius*, a) ἡ περὶ ἡδονὴν φιλία καὶ ἡλικιῶτις τῶν σωμάτων, ὥσπερ κρηπὶς τῇ σωτηρίᾳ τῶν ζώων ὑποβέβληται· ἣν εἴ τις ἀφέλοι, τὸ γινόμενον εὐθὺς οἴχεται δεῖ, *ineffabilis quidam voluptatis amor una cum corporibus noſtris innatus eſt, qui quaſi fundamentum aliquod animalium ſubjicitur ſaluti, quod ſi quis tollat, ſtatim id quod natum eſt, evaneſcere ſit neceſſe eſt.* Appetitum hunc non tollit, ſed ad mediocritatem redigit temperantia. b) Per tactum etiam rerum poſſeſſio & Dominium acquiritur. Per apprehenſionem enim rei, & factum, & animus ejuſdem poſſeſſionem acquirendi, exprimitur. Acquiritur etiam res per apprehenſionem ſigni traditi, uti *Otho Friſingenſis*, c) *conſuetudinem curiæ* eſſe ſcripſit, *ut regna per gladium, provinciæ per vexillum, à Principe tradantur, vel recipiantur.* Exercetur quoque jus tactus per ἀνδροληψίαν, & ἐνεχυρασμὸν, prehenſionem hominum atque rerum, prolixius *Grotio* d) explicatam. Tactu præterea cum res explorari queant, non ſolum teſtimonium de tactu in re tactu perceptibili locum habere poteſt, eximie hoc explicante Dn. *Stryckio*; e) ſed & teſtimonium deponenti fides haberi debet. Non minus denique & pro ſuis juribus aſſerendis, ad tactum provocari poteſt.

a) *differt.* 38. p. 325. *ſq.*

b) *Ariſt.* 3. *Eth.* 11.

c) *l.* 2. *de geſt. Frideric.* *l. c.* 5.

d) *I. B P. l.* 3. *c.* 2. §. 3. *ſq.*

e) *de Iure ſenſ. diſſ.* 7. §. 22. *ſqq.*

§. 25. Juri tactus non adverſatur, ſi ob malum actionis infligitur malum paſſionis, cum atrocibus etiam doloribus conjunctum.

Qui

Digitized by Google

pudicitia eſt? Ipſe etiam DEUS fucos hos par-
f) *Ierem.* 4. 30. *Ezech.* 23. 40. tem cultus meretricij conſtituit, f) quo impudicæ uti ſolent ad placendum. Graviter hinc glorioſus Martyr *Cyprianus*, g) *pro timore,*
g) *tract. ſec. de habit. Virg. f. m.* 158. *quem nobis fides ſuggerit, pro dilectione, quam fraternitas exigit, non virgines tantum aut viduas, ſed & nuptas, & omnes omnino fœminas admonet, quod opus* DEI, *& factura ejus, & plaſtica, adulterari nullo modo debeat, adhibito flavo colore, vel nigro pulvere, vel rubore, aut quolibet deniq; lineamenta nativa corrumpente medicamine.* Similia leguntur apud alios Eccleſiæ Doctores; citaturque locus *Cypriani*
h) 4. *de mor. Chriſt. c.* 21. etiam ab *Auguſtino*. h)

§. 15. *Oculis* etiam peccari poſſe, eo
a) *Iob* 24. 15. minus dubium eſt, cum in ſcripturis a) *oculus adulteri* male audiat; & *libidinoſi mulieris ali-*
b) *Matth.* 5. 29. *cujus aſpectus* à Chriſto corripiantur. b) Non minus *Salomo* c) invehitur in *virum iniquita-*
c) *Prov.* 6. 13. 17. *tis, nictantem oculis ſuis*; & in *oculos elatos.*
d) *Orat. cõtra gent. t.* 1. *opp. f.* 5. Nimirum cum, ut B. *Athanaſius* d) loquitur, τὸ σῶμα ὀφθαλμοὺς ἔχει εἰς τὸ τὴν κτίσιν ὁρᾷν, καὶ διὰ τῆς παναρμονίου ταύτης συντάξεως γινώσκειν τὸν δημιουργὸν, *corpus oculos habet rerum naturæ contemplationi deſtinatos, ut ex ejus concinna modulataq; compoſitione opificem agno-*
e) *Pſal.* 119. 37. *ſceret,* anima male morata eos ad concupiſcentias convertit. Avertendi ergo ſunt, ne
f) *t.* 2. *opp. Ep. ad Gerunt. Fel. f.* 15. *a.* videant vanitatem, ut David orat. e) *Oculi & aures,* inquit *Hieronymus*, f) *ſunt portæ animæ noſtræ, per quas ad illam ſeculi blandimenta deſcen-*

Digitized by Google

deſcendunt: & per quas ſenſus carnis introe-unt: per quas niſi late ſtrage facta, viam vir-tutibus quadam impietate fecerimus, nunquam ad regem veræ pietatis pervenire poterimus.

§. 16. Cum vero non oculo tantum lædi, ſed utriusque oculi uſum interdum peni-tus amittere mortales contingat, ne afflictis addatur afflictio, jura viſus, quæ per ſe exerce-re neſciunt, per alios exercent. Nimirum ut mente capti, rationiſque uſu deſtituti, furioſi, amantes, infantes, ebrij, actiones quæ à judi-cij integritate, & libero voluntatis conſenſu proficiſci debent, per alios exercere poſſunt, ita cæci alienis agunt, & agere tenentur ocu-lis, juraque viſus per alios, aliorumque ope-ram, qui rem oculis ſubjiciunt, exercent; ni-ſi tales actus ſint, ad quorum exercitium pro-priorum oculorum uſus eſt neceſſarius, qui-bus ſubjecta omnia longè certius explorantur, quam ſi alienis rem cognoſcimus luminibus. Vere *Quintilianus*: a) *Ambulantis cæci nec ma-nus ceſſant, præmittuntur, explorant, & adeſſe ſe nunciant.* Excæcati hinc ſæpe leguntur in hiſtoriis, quos æmuli ad regnum ineptos red-dere voluerunt. De *jure cæcorum* eximie diſ-putavit Dn. *Stryckius*. b)

a) *Declam.* 2.

b) *de jure ſenſ. diſſ.* 2.

§. 17. Viſum excipit *auditus*, qui faci-lius fallitur, quam oculus. Eleganter *Philo*: a) ὦτα, ὥς ἔφη τις ὀυκ ἀπὸ σκοπȣ̃, τῶν πιςτέρων ὀφθαλμῶν ἀπιςότερα, πράγμασι μὲν ὀυκ ἐντυγχά-νοντα ἑρμηνευθεῖσι δὲ πραγμάτων λόγοις, ὀυκ ἀεὶ

a) *de Iudice f.* 555.

πεφύκοσιν ἀληθέστερον ἀπελλχόμενα, aures, ſicut recte quidam dixit è veteribus. minus fidei habent quam oculi, ut quibus non cum rebus ipſis ſit commercium, ſed cum ſermonibus rerum interpretibus, non ſemper veritatem ſectantibus. Memorabile eſt, quomodo proceres Perſarum Darium Regem ſalutarint, decepti hinnitu equi ejuſdem, quem ſingulari arte equiſo Oebares provocaverat, principibus cæteris eundem pro θείῳ quodam habentibus, pro-
b) *l. 3. c. 85. ſqq.* lixius rem *Herodoto* b) explicante. Teſtimonij tamen dicendi jus habet, qui de auditu proprio, & re ſufficienter percepta, deponere poteſt. Idem enim jus homini, cæteris paribus, ratione auditus competit, quod habet ratione viſus: ita ut pari ratione homini probatæ fidei, de re audita deponenti teſtimonium, fides habeatur, uti, qui de re à ſe viſa teſtatur, talem meretur. Notanter dico, de re ſufficienter percepta. Contingit enim haud raro, ut eadem res, v. c. cædes hominis in vicino conclavi, & viſu & auditu, hoc licet ſenſu obſcurius tantùm, percipi poſſit, cum præter ſonum ad aures nihil perveniat, ex quo de homicidio nihil certi colligi poteſt: Quo in caſu audientis teſtimonium non niſi conjecturam parere aptum eſt. Accidit etiam nonnunquam, ut utriuſque ſenſus, auditus & viſus, auxilium ad teſtimonium de facto aliquo reddendum requiratur, ut dici poſſit, non ſolum quid, ſed & cur aliquid factum fuerit.

Con-

Digitized by Google

Conjungi etiam debent in addiſcendis diſci-
plinis: Unde *Polybio*, c) *auditus & viſus duo* c) *l.12. Hiſt. c. 15.*
quaſi inſtrumenta nobis à natura data, dicun-
tur, *οἷς πάντα πυνθανόμεθα, καὶ πολυπραγμονοῦ-
μεν, quibus omnium rerum cognitionem & ca-
pimus, & ſerio inquirimus.* Alienum vero
quod attinet auditum, ex illo jus agendi nobis
non ſtatim naſcitur, cum qualis ſit ille alienus
auditus, aut quomodo res ab alieno ſenſu
percepta, incertum ſit. Quæ prolixius à Dn. d) *l. c. diſſ. 3. c. 3.*
D. *Stryckio* d) diſputantur.

§. 18. Jus hoc auditus ex regulis ho-
neſtatis æſtimari debet, eximie hoc docente
Plutarcho; a) apud quem præclare Socra- a) *t. 2. opp. de Curioſit. f. 521. ſq.*
tes, *χρὴ*, inquit, *ἡμᾶς τῶν ἀκουσμάτων φεύ-
γειν, ὅσα κρατεῖ καὶ προσάγεται τοὺς μηδὲν δεομέ-
νους. fugiendæ nobis ſunt iſtæ auditiones, quæ
nullo uſu exigente nos ad ſe trahunt*, quæque
& in reipublicæ, & proximi perniciem ver-
gunt. Ita *Clapmarius* b) inter *extrema domi-* b) *de arc. Rerump. l. 5. c. 15.*
nationis flagitia refert *ὠτακουστὰς, Auricularios*,
tyrannorum inſtrumenta. Horum nequiti-
am & fraudem expertus Romæ Sabinus, juſſu
Tiberij, ceu *homo infenſus Reipublicæ*, punitus c) *4. Annal. 69. ſq.*
fuit, ſcriptore *Tacito*. c)

§. 19. Diverſimode nimirum *aurium
abuſu* peccamus. Turpia, laſciva, *obſcœna &
ſtultiloquia*, a) avide haud raro mortales audi- a) *Eph. 5. 4.*
unt. Aures iidem continent, ne ſalutaria au- b) *Act. 7. 5.*
diantur. b) *Pruriunt* c) eædem ad nova accipi- c) *2. Tim. 4. 4. ſq.*
enda, averſæ à veritate, ad fabulas autem con-

Digitized by Google

verſæ; Ἀκούσατέ μου, καὶ μὴ τὰ ὦτα ἀποβύσατε, μηδὲ τὰς ἀκοὰς ἀποφράξατε, ἀλλ' εἰς νοῦν βάλλεσθε τὰ λεγόμενα, *audite,* monet contra Clemens *Alexandrinus,* d). *nec aures obſtruite, nec auditum obſepite, ſed menti ea quæ dicuntur imprimite.* B. vero *Hieronymus,* e) *cave, inquit, ne aut linguam, aut aures habeas prurientes: id eſt: ne aut ipſe aliis detrahas, aut alios audias detrahentes.* Rurſus. *Nemo invito auditori libenter refert. Sagitta in lapidem nunquam figitur: interdum reſiliens percutit dirigentem. Diſcat detractor, dum te videt non libenter audire, non facile detrahere.*

d) *Admon. ad gent. f.* 66.

e) *Epiſt. ad Nepot. t. 1. opp. f. m.* 9. *b.*

§. 20. Adverſatur juri auditus *ſilentium intempeſtivum*, quo illa celantur, quæ manifeſtanda, atque alteri explicanda ſunt. In Gallia Thuano, ceu proditionis reo, id legitur in *Diario Armandi Richelij* a) crimini datum, quod conjurationem in regem Ludovicum XIII. cujus conſcius fuerat, non patefecerit. Injuſtus eſt magiſter, tyroni non omnia fideliter explicans. Recte præterea ex *ſilentio,* quod, uti *Grotius* b) loquitur, *eſt ſcientis & libere volentis,* ne id juri alterius noxium eſſe poſſit, petitur conjectura voluntatis ad inſtantiam alterius non annuentis. Aliter ſentiendum, ſi ſilentium eſt ex neceſſitate diſſimulantis, & rem differentis, id quod ex *Antonio Poſſevino,* c) exemplo controverſiæ inter Gonzagas & Eſtenſem, qui Regium tenebat, & ad Carol. IV. Imp. ſilentium provocabat, elegan-

a) *p.* 809. 949.

b) *I. B. P. II.* 4. 5.

c) *l.* 4. *Gonzag. p.* 418.

Digitized by Google

ganter illuſtrat B. *Bœclerus.* d) Contra jus alterius audiendi etiam mendacio, aliiſque in ſermone dolis, & fraudibus agitur, quibus audiens non ſine injuria fallitur. Sic non licet alterius vocem imitari. Judicij enim integritatem, atq; voluntatis libertatem, talia in audiente turbant, qui deceptus in errorem inducitur. Unde cum tam nobilis & neceſſarius ſenſus ſit auditus, αἴσθησις ὀξέως ἐπὶ τὴν ψυχὴν τὰ γνωσθέντα ἀναπέμπουσα, καὶ προσαναγκάζουσα συμφθέγγεσθαι καὶ συνορμᾶν τοῖς αὐτοῖς πάθεσιν, *qui celerrime quæ percipit animæ communicat, ſuisq; eam convenire ac conſentire cogit affectionibus,* uti loquitur *Maximus Tyrius,* e) non ſolum pro ejus cuſtodia conceſſa eſt jure naturæ defenſio, quam etiam pro reliquorum membrorum,& ſenſuum incolumitate,inſtituere licet; ſed & populorum legibus,Longobardorum, f) Saxonum, g) aliorumque, aurium, & oculorum ſecuritati cavetur.

§. 21. Surdities jus agendi non tollit, aut ſuſpendit, niſi quoad ea, ad quæ auditus vel cum aliis ſenſibus per ſe, & ex natura negotij eſt neceſſarius, & quando iſte defectus, in quantum negotium aliquod impedire videtur, aliter commode ſuppleri poteſt. *Verius* hinc, *Sanchezium* a) ſecutus, *Diana* b) exiſtimat, *poſſe mutum ſimul ac ſurdum, ſi intellectum perſpicacem habeat, ita, ut ſignis edoceri poßit, quid ſit matrimonium, & ſignis indicare conſenſum, valide contrahere ſponſalia & matri-*

d) *Comm. Grot. P. II. l. 2. c. 4. p. 111. ſq.*

e) *diſſ. 21. p. 218.*

f) *l. 1. tit. 7. l. 7. t. 8. l. 6. l. 7. l. 18. ad. Baj. tit. 3. cap. 17. §. 18. 19. Rip. tit. 5. §. 1. tit. 26.*

g) *tit. 1. §. 11.*

a) *de Matrim. t. I. l. 1. diſp. 8. n. 12.*

b) *Reſol. Moral. P. V. tract. 6 Reſol. 9. f. m. 164. ad. Cypra. de ſponſal. c. 4. §. 22. n. 3 & de Matrim. c. 6. §. 5.*

Digitized by Google

monium. Omnes etiam contractus celebrabit, ubi ſignis, & aliis motibus corporis, ejus ineundi voluntas & conſenſus ſatis intelligi poteſt. Idem cenſendum de *Iure teſtandi,* & ſimilibus, ubi ſigna animi ſufficienter declarare noverit. Negligenda licet non ſit diſtinctio c) inter ſurdum, qui naturâ talis, & qui malo ſuperveniente in calamitatem hanc incidit. Difficilius illum hujus vitæ negotia intelligere, & cognoſcere poſſe, quam hunc, dubium non eſt, unde & plura & potiora hujus, quam illius jura ſunt. Quæſtionem, *an faber à Doctore, quia ſono illi moleſtus eſt, expelli poſſit?* tractat Dn. *Stryckius.* d)

c) *Azor. tom.* 3. *l.* 11. *c.* 3. *q. ult.*

d) *de Iur ſenſ. diſſ* 3. *n.* 10 *ſqq.*

§. 22. Jus *Olfactus* quod attinet, memorabile eſt, quod de Japoniis *Arnoldus Montanus* a) memoriæ prodidit: *Illa ſc. quæ Europais fœtere, & fœtida eſſe creduntur, cenſeri his barbaris fragrantiſſimum ſpirare odorem; & quæ noſtris bene fragrare judicantur, Iaponiis rerum fœtidarum numero haberi*: Quos etiam ſuo ſenſu abundare, ſuisque gaudere, & frui deliciis permittimus. Cæterum ex eo, quod hic ſenſus æquali cum reliquis ſenſibus jure gaudet, ſequitur, quod, licet inter hoſtes, ubi jus lædendi & in perſona, & in rebus, locum habet, vim olfactui inferre, & per noxios venenatoſque odores & fumos nocere, & vim imminentem depellere, permiſſum ſit: De Bohemis enim & Lituanis, Sigiſmundi Bohemiæ regis copias obſidentibus, autor eſt *Bonfinius,* b) quod,

a) *Act. Legat. Societ. Indic. ad Imper. Iap. f.* 5.

b) *Rer. Ungar. Dec. III. l.* 3. *f.* 393. *ſq.*

quod *vaſorum circiter duo millia tabidis cadaveribus, humanisq; excrementis completa in hoſtem emiſerint, ut eum pernitioſo fœtore conſicerent, & ex eo factum eſſe* addit, *ut præ teterrimo odore omnibus fere dentes caderent, nutarentve*: Idemque hodierno belli jure inter gentes moratiores, bello ſolenni licere creditur uſu ignium, ejuſmodi noxium fœtorem, & peſtilentes fumos emittentium: Non tamen ſocialis tranquillitas id fieri concedat. Proinde non licet vicino fœtore, vel alio malo odore, moleſtiam creare, vel in publicum res fœtidas projicere. Excedere etiam hunc ſenſum circa ſuum objectum poſſe, & ſæpius exceſſiſſe, ſatis conſtat, docetque Salomo, c) illuſtrante exemplis *Pugeto de la Serre.* d)

c) *Prov.* 7. 17.

d) *tombeau des delices du monde,* c. 4.

§. 23. *Guſtui* jus eſſe ex cibo potuque voluptatem percipiendi, ex legibus temperantiæ patet, quæ non omnes voluptates, quæ guſtu percipiuntur, prohibent, *ordo* modo *in cibo ſumendo ſervetur,* ut boni moris, & valetudinis habeatur ratio: qua de re extat docta tractatio *Marſilij Cognati.* a) Libertatem etiam amat hic ſenſus, unde ad æquales hauſtus, vel ad vorandum, nemo eſt compellendus, vel cogendus, *ne graventur corda crapula, & ebrietate,* contra interdictum Chriſti. b) Invehitur in eos etiam, qui alios ad vorandum cogunt, *Clemens Alexandrinus.* c) Guſtus juri non minus repugnat, ſi ab hominibus parum moratis, cum cibi capiendi, ea fiunt atque di-

a) *Variar. obſerv. append.*

b) *Luc.* 21. v. 34.

c) *f.* 148.

cuntur, quæ nauſeam creare poſſunt: vel ſi potus, cibique veneno inficiuntur: Aut ſi vinum venditum aqua miſcetur. Hoſtes vero quod attinet, alibi d) jam inclinavimus in illam ſententiam, quæ cibos & fontes, flumina etiam hoſtium veneno infici poſſe negat, contra Cardinalem *Toletum*; e) hanc noſtram ſententiam probante viro Illuſtri à *Kulpis*. f) Abuſum juris hujus taxat, uti decet, *Seneca*: g) *Nunc conviviorum viget furor, & fœdiſſimum patrimoniorum exitium, culina.* Rurſus: *Habebitur aliquando ebrietati honor, & plurimum meri cepiſſe erit virtus.* Unde ne cum detrimento Reipublicæ ejuſmodi mali mores invaleſcant, licet rectoribus ejuſdem legibus imminenti corruptioni obicem ponere, *invectionem etiam*, monente *Beſoldo*, h) *vini delicatioris prohibere*; uti de Germanis autor eſt *Iulius Cæſar*, i) *quod olim vinum ad ſe omnino importari non ſiverint, quod ea re ad laborem ferendum remolleſcere homines, atq; effœminari arbitrarentur.* Idem de jejunio cenſendum, quod boni ordinis, & diſciplinæ externæ gratia nonnunquam imperatur. *Utile enim eſt*, ut loquitur *Dallæus*, k) *carnis laſciviam jejunio coërcere, ac frangere, quo liber animus ſibi totus vacare, officiisq; tum in proximos expeditius fungi poſſit.* Docuit idem B. *Chemnitius* l) noſter.

§. 24. Quid juris denique ex *tactus ſenſu* habeamus, paucis attingendum. Jus appetendi illud voluptatis genus, quod ſenſu hoc percipitur, temperantiæ præceptis non contra-

d) *Diſſ. de armis in bello prohib.* §. 12. *ſqq.*

e) *l. 8. Inſtruct. ſac. c.* 45. *p. m.* 1262.

f) *Colleg. Grot. p.* 143.

g) *de Benef. c.* 10.

h) *Conſider. Polit. Vit. & mort. c.* 2. *p.* 14. §. 9.

i) *de bello Gall. l.* 4. *c.* 2.

k) *de Jejun. & Quadr. l.* 1. *c.* 1. *p.* 4.

l) *Exam. P. IV. f. m.* 91.

trariatur. συμφυὴς, inquit *Maximus Tyrius*, a) ἡ πρὸς ἡδονὴν φιλία καὶ ἡλικιῶτις τῶν σωμάτων, ὥσπερ κρηπὶς τῇ σωτηρίᾳ τῶ ζώου ὑποβέβληται· ἣν εἴ τις ἀφέλοι, τὸ γινόμενον εὐθὺς οἴχεσθαι δεῖ, *ineffabilis quidam voluptatis amor una cum corporibus noſtris innatus eſt, qui quaſi fundamentum aliquod animalium ſubjicitur ſaluti, quod ſi quis tollat, ſtatim id quod natum eſt, evaneſcere ſit neceſſe eſt.* Appetitum hunc non tollit, ſed ad mediocritatem redigit temperantia. b) Per tactum etiam rerum poſſeſſio & Dominium acquiritur. Per apprehenſionem enim rei, & factum, & animus ejuſdem poſſeſſionem acquirendi, exprimitur. Acquiritur etiam res per apprehenſionem ſigni traditi, uti *Otho Friſingenſis*, c) *conſuetudinem curiæ* eſſe ſcripſit, *ut regna per gladium, provinciæ per vexillum, à Principe tradantur, vel recipiantur.* Exercetur quoque jus tactus per ἀνδροληψίαν, & ἐπιχειρεασμὸν, prehenſionem hominum atque rerum, prolixius *Grotio* d) explicatam. Tactu præterea cum res explorari queant, non ſolum teſtimonium de tactu in re tactu perceptibili locum habere poteſt, eximie hoc explicante Dn. *Strykio*; e) ſed & teſtimonium deponenti fides haberi debet. Non minus denique & pro ſuis juribus aſſerendis, ad tactum provocari poteſt.

§. 25. Juri tactus non adverſatur, ſi ob malum actionis infligitur malum paſſionis, cum atrocibus etiam doloribus conjunctum.

Qui

a) *diſſert.* 35. p. 315. *ſq.*

b) *Ariſt.* 3. *Eth.* 11.

c) *l.* 2. *de geſt. Frideric.* *l. c.* 5.

d) *I. B. P. l.* 3. *c.* 2. §. 3. *ſq.*

e) *de Iure ſenſ. diſſ.* 7. §. 22. *ſqq.*

Qui enim agit quæ non debet, patiatur quæ non vult. Unde *Seneca*, a) *corrigendus eſt*, inquit, *qui peccat, & admonitione & vi; & molliter & aſpere; melior q; tam ſibi, quam aliis faciendus, non ſine caſtigatione, ſed ſine ira.* Sic enim ſalus & tranquillitas conſociationis humanæ, ejusque finis, poſtulat. Idem habendum de tortura reorum, & quæſtionibus, quæ per tormenta inſtituuntur, ſi ſufficienti indicio data, deſperatis cæteris factum inveſtigandi mediis, per modum ſubſidij adhibentur. b) Sibi imputent id rei, quorum contumacia & malitia tam aſpere frangenda eſt. Utitur enim judex jure ſuo, & poteſtate, quam habet in corpus rei ex cauſa delicti. Monitum licet *Ciceronis* c) non improbemus: *Sæpe etiam quæſtionibus reſiſtendum eſſe, quod & dolorem fugientes multi in tormentis ementiti perſæpe ſint, moriq; maluerint falſum fatendo, quam inficiando dolere: multi etiam ſuam vitam neglexerint, ut eos, qui his cariores, quam ipſi ſibi eſſent, liberarent: alij autem aut natura corporis, aut conſuetudine tollendi, aut metu ſupplicij, aut mortis vim tormentorum pertulerint: alij ementiti ſint in eos, quos oderant.* Magna hinc paſſim in LL. gentium ſolicitudine conſtitutum apparet, *Wiſigothorum* d) inprimis, quomodo quæſtionibus rei ſubjici debeant. Invehitur etiam in nimiam, quæ nonnunquam in quæſtionibus adhibetur, ſeveritatem *Hieronymus*. e) Impius torturæ abuſus fuit,

a) 1. *de ira.* c. 14.

b) *Zanger. de tortur.* c. 2. ſ. 1. ſqq.

c) *Orator. Partit.* p. 234.

d) *LL. Wiſig.* l. 6. tit. 1. c. 2. ſqq. in *Lindebrog. Cod. LL. antiquar.*

e) *t. I. Epiſt. ad Innoc. de muliere ſeps. icta f. m.* 106.

ſirit, quo ad ejurandam religionem ſuam homines olim coactos legimus: uti *Tertulliano* f) ſcriptore, gentiles, cum *cæteris negantibus adhiberent tormenta ad confitendum, ſolis Chriſtianis ad negandum* ea adhibuerunt. Atrociſſimi, & plane ſingulares ſunt cruciatus, quibus Japonij, *Arnoldo Montano* g) memorante, in Chriſtianos ſævierunt, non minori horum conſtantia illorum reſpondente furori.

f) *Apolog. f. m.* 806.

g) *Aß. Legat. Soc. Indic. ad Imp. Iap. f.* 222. *ſqq.*

§. 26. Ex *jure tactus* non defendi poteſt ille mos, quo tactu ferri candentis innocentia imputati criminis probatur. Flavius Glorioſus Egiga, rex Wiſigothorum, lege quidem ſancivit, a) *per examen aquæ ferventis cauſam judicem perquirere debere.* Paſſim etiam ſcriptores recepti hujus moris ſuperſtitioſi mentionem faciunt. Verum cum neque naturali, neque alia divina ordinatione, ferrum candens, vomeres igniti, vel aqua fervens, ad hunc uſum, examen ſc. delinquentium, ordinentur, & adhiberi poſſint; Fridericus ſecundus Imperator, b) legibus his abrogatis, *eorum ſenſum non tam corrigendum duxit, quam ridendum, qui naturalem candentis ferri calorem tepeſcere, imo (quod ſtultius) frigeſcere, nulla cauſa ſuperveniente, confidunt.*

a) *LL. Wiſig. l.* 6. *t.* 1. *c.* 3.

b) *Conſtit. Sicul. l.* 2. *tit.* 31.

§. 27. Ex *memoria* etiam jus agendi naſcitur, teſtandi ſcil. de illis, quæ vel viſu, vel auditu, vel aliter percepta, adhuc in memoria habemus, vel de quibus memoriam extare novimus. Interim tamen, cum *memoria res*

Digitized by Google

ex omnibus partibus animi, maxime delicata & c) Controv. l. 3. proœm. fragilis ſit, *Seneca* c) monente, eo majoris erit teſtimonium, quo firmioribus ſimul memoria ſubſidiis nititur: v. c. ſi quis factum aliquod, vel alicujus verba, memoriæ conſervandæ cauſa in certo aliquo libello memoriali conſignet. Hinc, quo memoria rerum geſtarum majorem mercatur fidem, factum exiſtimo, d) *de Orat. p.* 113. ut apud Romanos, teſte *Cicerone,* d) *memoria publicæ retinendæ gratia, ab initio rerum Romanarum, usq; ad P. Mucium, Pontificem maximum, res omnes ſingulorum annorum Pontifex maximus literis mandaverit.* Res præterea ſuas adminiſtrandi, teſtamentum condendi, contrahendi etiam, ſeque data fide obligandi, cæteris paribus, jus habent, quibus non deficit memoria, quique hac ratione ob ſpeciei impreſſæ conſervationem, præſentia cum præteritis continuare ſciunt. Monet enim memoria homines ad fidem datam ſervandam, ne faciant, quod apud e) *Nub. act. 1. ſc. 6. p. m.* 339. *Ariſtophanem* e) Strepſiades Socrati interroganti, an *memoria valeret,* reſpondit: Διττῶς, νὴ τὸν Δία· Εἰ μὲν γ᾽ ὀφείλεταί μοι, μνήμων πάνυ· ἐὰν δ᾽ ὀφείλω σχέτλιος, ἐπιλήσμων πάνυ, *ita per Iovem, & gemino ſane modo. Nam ſi mihi quis debet: memor ſum ſcilicet: ſin ego cui debeo: oblivioſus ſum nimis.* Cæterum ob firmam, vel minus talem memoriam, nemo per ſe bene vel male audire debet, niſi quatenus in adhibitione mediorum, quibus habitus memoriæ acqui-

quiritur, de quibus B. *Dannhavv.* f) & Dn. *Stryck.* g) voluntas locum habere poteſt.

§. 28. Memoriæ opponitur *oblivio*, quæ vel moralis, vel naturalis. Illa eſt, quando ex pacto voluntaria oblivione graviſſimæ injuriæ abolentur, ita ut, quanquam memoriæ adhuc firmiter inhærent, ſic tamen æſtimentur, ac ſi nunquam factæ fuiſſent, vel plane oblivioni traditæ eſſent. *Ciceroni* a) dicitur *ſempiterna oblivio, qua omnis memoria diſcordiarum deletur.* *Cornelio Nepoti* b) audit *Lex oblivionis*; cujus locum peculiari diſſertatione illuſtravit B. noſter *Bœclerus.* c) Jus hujus oblivionis eſt, ne cui partium diſcordantium licere alteri commiſſa objicere, eandemque accuſare, vindictamque eidem hoc nomine infligere: niſi lædens pridem nova injuria male acta renovet. Maximus apud *Herodianum* d) ita loquitur ad milites: Μηδέ τις ὑμῶν οἰέσθω τῶν πεπραγμένων εἶναί τινα μνήμην, *neq; vero ſuſpicemini rerum ſuperiorum memoriam ullam ſuperfore aut in Rom. populo, nationibusq; aliis, quacunq; ob acceptas injurias deſciverunt.* ἀλλὰ γὰρ ἔστω πάντων ἀμνηστία, καὶ σπονδαὶ φιλίας βέβαιαι, εὐνοίας τε καὶ εὐκοσμίας πίστις αἰώνιος, *ſit omnium oblivio, ſit fœdus conſtantis amicitiæ, fidesq; benevolentiæ ac moderationis ſempiterna.* Bona hoc à partibus fide intelligi, & ſervari debet, ne imago potius ſit amneſtiæ, quam vera amneſtia.

f) *Tract. de memor. art.* 3.

g) *de Iur. ſenſ. diſſ.* 8. *c.* 2.

a) *Philipp. I. p.* 153.

b) *Thraſybul. c.* 3.

c) *in diſſ. Academ. p.* 585. *ſqq.*

d) *l.* 8. *c.* 7.

§. 29.

a) *Plin. hiſt. Natural. l. 7. c. 24.*

§. 29. Naturalis oblivio ex variis oritur cauſis, a) ſuoſque habet gradus, ex quibus diverſa jura agendi naſcuntur. Quanquam enim nonnunquam

quoſdam cœpere oblivia rerum
Cunctarum, neq; ſe poſſent cognoſcere ut ipſi,

b) *6. de Nat. rer.*

c) *l. c.*

uti *Lucretius* b) canit; & *Plinius* c) *Maſſalam Corvinum Oratorem ſui nominis*; *alium agrotum ſervorum, alium praalto tecto lapſum matris & affinium, propinquorumq; etiam, oblivionem cepiſſe* refert; prodigioſus tamen hic oblivionis gradus non in omnibus datur. Horum proin jura ab illorum juribus diverſa ſunt. Cum enim in illis ob memoriæ defectum, & quod præſentia cum præteritis connectere non ſciant, rationis uſus ſufficiens non detur, qui in his, qui difficulter tantum memoriam rerum conſervant, major eſt, ad complura agenda, v. c. ad contrahendum, ad res alienandas, ad præſtandum juramentum, & ſimiles actiones, jus quoq; hi habebunt, quod illis concedi nequit. Tum etiam ad teſtimonium dicendum illos admittendos eſſe cenſeo, ſi circumſtantias, quæ ad morale judicium de facto aliquo recte formandum ſunt neceſſariæ, quicquid ſit de aliis, ſive ex memoria, ſive ex charta exponere norunt.

a) *Phileb. ſ. m. 81.*

§. 30. Subſidia cum effectu juris contra oblivionem, mortalibus tam familiare malum, atque ut Socrates apud *Platonem* a) loqui-

loquitur, contra *ἔξοδον μνήμης, exitum memoriæ*, ſunt Diaria, Protocolla inprimis; quæ ſi à bonis ſunt confecta viris, fidem omnino merentur, & ad memoriam actorum renovandam, & ab oblivione, in qua ſepulta fuit, liberandam, ad veritatem item probandam, & ſua jura aſſerenda, valide allegari poſſunt, pariuntque certitudinem moralem. Et hoc traditionis genus, quod ſic ſcripto fit, omnino eſt tutiſſimum, & certiſſimum. Tam lubrica enim, quæ ore tantum fit, rerum geſtarum eſt relatio, præſertim quando relata referuntur, ut illi ſatis tuto fidem habere non poſſis, niſi referentis ea ſit conditio, ut omne dubium ſatis eximat. *Ad id* enim, ut *Livius* b) loquitur, *quod quiſq; audit, inſita hominibus libidine alendi de induſtria rumores, ſolet aliquid adjicere.* Ne dicam, ex animo etiam non malo contingere poſſe, & contigiſſe, ut memoriæ conſervatio rerum à traditione non ſcripta, quæ credulitate hominum abutatur, profectarum ſit fueritque incerta, imo nulla. Papiæ ſane id exemplo patet; quo *autore*, nimia credulitate decepto, *Baronius* c) ait *irrepſiſſe in nonnullos fideles errorem millenariorum.* Teſtatur enim fragmento, quod exhibet *Euſebius,* d) ſe ea poſuiſſe, quæ per traditionem oralem à ſenioribus, qui cum Apoſtolis vixerant, didiciſſet. Tam lubrica fuit unius ſeculi voce tantum facta traditio. Nec plus tribuendum eſt picturis, variis inſcriptionibus,

b) *l.28.c.24.*

c) *Annal. t.2. ad an. 118. f.m. 58.*

d) *Hiſt. Eccleſ. l.3.c.36.*

Digitized by Google

monumentis etiam lapideis, niſi prius illa rei geſtæ vere reſpondere, coæva etiam eſſe, vel ſi ſunt inſequentium temporum, cum falli hæc potuerint, recte ſe habere ſatis conſtiterit. Antiquiſſimæ ſane picturæ Senenſes, exhibentes Alexandrum III. Pontif. collum Frideric. I. Imper. Venetiis calcantem, de quibus *Iuſti-*
e) *Hiſt. Venet. l. 2. f. 27.* *nianus* e) loquitur, multis rei hujus veritatem non videntur conficere. Fabuloſum eſſe exitum puerorum Hamelenſium, conſtanti licet traditione creditus fuerit, docere non du-
f) *Fabul. Hamel.* bitavit *Schoockius.* f) Unde B. *Auguſtinus,* g)
g) *1. de Conſenſ. Evang. c. 12.* *omnino,* inquit, *errare meruerunt, qui Chriſtum & Apoſtolos ejus non in ſanctis codicibus, ſed in pictis parietibus quæſierunt.* Imo nec uſus continuus, niſi alia contra oblivionis noctem adſint præſidia, primævam rei veritatem, & inde orta jura, ita ſemper conſervat, ut nihil plane contingat mutationis. Quid linguis, quarum uſus eſt continuus, accidat, exemplo
h) *l. 3. c. 22.* linguæ Romanæ docuit *Polybius:* h) τηλικαύτη γὰρ, ait, ἡ διαφορὰ γέγονε τῆς διαλέκτου, καὶ παρὰ Ῥωμαίοις τῆς νῦν πρὸς τὴν ἀρχαίαν, ὥστε τοὺς συνετωτάτους ἔνια μόλις ἐξ ἐπιστάσεως διευκρινεῖν, *veteris linguæ, etiam Latinæ, tanta eſt diverſitas ab illa qua hodie utuntur, ut vel peritiſſimi nonnulla ægre, ubi animum attenderint, explanare queant.* Quanquam vero hæc ita ſint, attamen cum tranquillitas vitæ humanæ jura & rerum poſſeſſiones firmari malit, vero poſſeſſore propter tempus memoriam excedens oblivio-

livione obliterato, poſſeſſores bonæ fidei, jure ſcripto deficiente, merito præſcriptionis & uſucapionis jure nituntur. Etiam ob præſumptam derelictionem bonæ fidei poſſeſſor, ut tempore prior, ita jure potior cæteris, iſtorum à priore poſſeſſore vacuorum bonorum occupationi inhiantibus, cenſeri debet.

§. 31. Denique cum memoria non ita ſit ſub voluntatis noſtræ imperio, ut quæ volumus, in memoria retinere, & oblivioni tradere poſſimus, ſi vel maxime velimus; oblivionem rei alicujus imperaturi commode ejuſdem imperabunt ſilentium, ſecundum illud Scipionis apud *Livium*: a) *Auferat omnia irrita oblivio ſi poteſt; ſi non, utcunque ſilentium tegat.* a) l. 28.

SUBSECTIO III.

De

JURE AFFECTUUM.

§. 1.

SEnſuum cognitionem ſequuntur motus facultatis appetentis, hoc eſt *Affectus*. Cum vero & hi homini ceu ſtimuli ad agendum ſint conceſſi, qui, uti *Plato* a) loquitur, *ἐν ἡμῖν οἷον νεῦρα ἢ μήρινθοί τινες ἐνοῦσαι, σπῶσί τε ἡμᾶς, καὶ ἀλλήλαις ἀνθέλκουσιν ἐναντίαι οὖσαι, ἐπ' ἐναντίας πράξεις, οὗ δὴ διωρισμένη ἀρετὴ καὶ κακία κεῖται, in nobis quaſi nervi aut funes ingeniti* a) l. 1. de LL. f. m. 578.

trahunt nos invicem, retrahuntq; ad contrarias actiones, ubi virtus & vitium diſcreta verſantur; quid juris agendi hoc nomine nobis competat, & quæ affectuum jura ſint, juſteque ſecundum affectus fieri, & haberi poſſint, paucis diſquiremus: Ubi illud præmiſerimus, nos hic de affectibus loqui, in quantum ſub rationis, legum etiam divinarum ſunt imperio, & directione, & ſic cum mente & voluntate in homine conjunguntur, cum facultas agendi moralis in bruta non cadat.

§. 2. Attingemus primo jura *amoris.* Finis hujus eſt, rem adamatam cupere ſibi unire, eademque frui. Etſi vero *ſua quemq; voluptas trahat*, modo ſit circa rem licitam, & ex re honeſta; non exinde tamen ſtatim, ſed ex jure ad rem ipſam, cuilibet potius competit jus agendi ea, quæ ad eandem acquirendam, augendam, tuendam, & conſervandam faciunt. Vita homini ſua res eſt longe acceptiſſima: *Magno æſtimamus mori tardius*, ait *Seneca*: a) Cui etiam ejuſdem cuſtodia per inſtinctum, & legem naturalem commendatur. Hinc cum omnium animantium hæc ſit indoles, *ut ſe diligant, & ſimul ac orta ſunt id agant, ut ſe conſervent*, eximie ſecundum Stoicorum diſciplinam hæc explicante *Cicerone*; b) jus etiam habemus ea, quæ naturæ apta ſentimus, appetendi, & propulſandi contraria, ſub directione licet rationis. Subordinatur tamen amor vitæ, ceditque amori Numi-

a) *l. 2. Nat. qq. c. ult.*

b) *5. de Fin. c. 9. ad: 3. de Fin.*

minis ſupremi, quod ſuper omnia amandum, *ex toto corde*, c) non tantum *amore effectus*, adimplendo omnia ejus mandata, qui minime ſufficit; ſed etiam ſimul *affectu* amoris interiore, ſine quo amor DEI genuinus eſſe nequit, recte notante *Wendrockio* d) contra *Sirmundum*, cujus hæc fuerunt verba: *Iuſſi ſumus DEUM amare, id eſt, voluntati ipſius ita parere, quaſi reipſa eum diligeremus, quaſi quodam charitatis motu ad id impelleremur. Hoc ſi contingat, multo melius & optatius: ſin minus, tamen præcepto de amando DEO parebimus, quantum ſat eſt, ſi cæteris præceptis non deſimus.* Sed hoc monet DEUM amare ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ, *in toto corde, & in tota anima.* Juri ergo divini amoris, amor vitæ, & hinc exortum jus ſervandi vitam, tuendique, cedit, & ob jus ſuperioris, DEI ſcil. cedere tenetur, ſic ut vitam potius profundere debeamus, Chriſto etiam probante, e) quam aliquid, quod amori DEI & Chriſti contrarietur committendo, vitam redimere, quæ felicius morte Martyrij cuſtoditur, præclare explicante *Cypriano*, f) glorioſiſſimo Martyre: Quicquid fœdi hæretici, apud *Clementem Alexandrinum*, g) & *Epiphanium*, h) olim contra eructaverint. Interim tamen, ubi amor propriam ſervandi vitam ſua exerit jura, non negatur, quod, cum rebus etiam externis ad noſtri conſervationem indigeamus, in illas etiam amore noſtri ferri liceat.

c) *Matt.* 22. 37. *Deut.* 6. 5.

d) *in not. ad Epiſt. Montalt.* 10. *p.* 276. *ſqq.*

e) *Matt.* 10. 32. *ſq. c.* 16. 24. *ſq. Phil.* 3. 8. *Ebr.* 12. 4.

f) *de Laude Martyrij.*

g) *Stromat. l.* 4. *f.* 481.

h) *l.* 1. *tom.* 2. *hær.* 24. *f.* 71.

Digitized by Google

Servi proinde amantur tanquam poſſeſſio noſtra: Καὶ ὁ δοῦλος κτῆμά τι ἔμψυχον, ait *Ariſtoteles*: h) Liberos, τέκνα, autem amore complectuntur parentes, ὡς ἑαυτῶν ὄντα, *quaſi ex ſe quiddam ſint.* i)

h) 1. *Pol.* 3.
i) *Ariſtot.* 8. *Eth.* 12.

§. 3. Plane vero ſingularis *vis amoris* ſe exerit *erga ſexum* ejuſdem ſpeciei *diverſum*, ad ipſam corporum conjunctionem, prolis ſuſcipiendæ cauſa terminata, & prolixius laudata *Antipatro* apud *Stob.* a) cum alio, tum hoc inprimis nomine, quod καὶ τὴν σωμάτων ἤτοι μόνοι κοινωνοῦσι, *etiam corpora ſoli conjuges habent communia.* Contrariatur hinc amoris juri prohibitio nuptiarum perpetua; vel pactum, quo quis obligatur ad renunciandum matrimonio in perpetuum: de quo *Chemnitius.* b) *Melius enim eſt* ſecundum divinos canones, vim præcipiendi habentes, *nubere, quam uri.* c) Etiam virgines ſacras incontinentes nubere *Cyprianus*, d) & nonnulli Coëpiſcopi voluerunt: *Si perſeverare nolunt, vel non poſſunt, melius eſt ut nubant, quam in ignem delitiis ſuis cadant.* Ενεποίησε quippe natura, quæ corrupta etiam eſt, ut liceat hic uti verbis *Muſonii*, e) ἐπιθυμίαν ἰσχυρὰν ἑκατέρῳ θατέρου τῆς θ' ὁμιλίας, καὶ τῆς κοινωνίας, καὶ πόθον ἰσχυρὸν ἀμφοῖν ἀλλήλων· τῷ μὲν γὰρ ἄῤῥενι, τοῦ θήλεος, τῷ δὲ θήλει, τοῦ ἄῤῥενος, *cupiditatem vehementem utriq; injecit converſationis & conjunctionis cum altero, & ingens deſiderium mutuum utriq; alterius concitavit, ut mas fœmi-*

a) *ſerm.* 65. *f.* 417.
b) *Exam.C. T.P.III.f.*43.
c) 1.*Cor.*7 9.
d) 1. *Epiſt.* 11. *f. m.* 38.
e) *Stob. l. c. f.* 412.

fœminam appeteret, fœmina marem. Concludit hinc idem, vitam conjugalem, καὶ φύσιν παίδων, naturam voluiſſe. Sane eo potius hoc jus amoris eſt, quo major per labem, & concupiſcentiam originalem, affectui huic accidit incontinentia & imbecillitas, ne nefandum in modum exorbitet, & ἀνωμάλως pruriat, cum legitime jure ſuo potiri illi non conceditur. Repugnat etiam eidem *divortium*, extra caſum adulterij: item *adulterium* ipſum, cum hoc facto pars læſa privetur amore, jure ſibi ſoli à conjuge debito. Turpis amoris, & ejus juris, abuſus ſunt inceſtuoſæ, cæteræque conjunctiones, quibus amor quæritur, nec videtur.

§. 4. Cum vero amor affectus voluntarius ſit, & nemo invitus amet, patet omnem vim, atque violentam coactionem, metum item juſtum, ſed injuſte incuſſum, metus etiam reverentialis abuſum, ab illis factum, quibus fuit præſtitus ex reverentia eorum, quos iidem in ſua habent poteſtate, minas denique, juribus amandi, & amantium, repugnare. Libertas quam hic affectus amat, directionem quidem, ſed non coactionem admittit. Unde requiſitio conſenſus parentum in matrimonio contrahendo, non adverſatur juri amoris; repugnat autem dolus, judicium quo amor dirigitur intervertens, error item cauſalis, & ebrietas. Juri hinc amoris, quo Jacobus ferebatur in Rahelem, atrociter adverſa-

Digitized by Google

a) *Geneſ.* 29. 23. batur, quód Laban pro vera ſponſa ſubſtituerit Leam. a)

§. 5. Habet & *amor inter parentes & liberos* ſua jura. Ex jure ſane amoris, qui inter perſonas generantes & generatas eſt tenerrimus, quemque ſibi invicem, tam ex naturali inſtinctu, quam ex legis naturalis præcepto debent, filius recens natus à parentibus nutritionem, educationem, cæteraque ad victum & amictum pertinentia, defenſionem etiam expectat, ceu fructum hujuſmodi στοργῆς. Hujus rei imago in brutis etiam apparet. Autor enim eſt *Opmerus*, a) quod Delphi, exorto aliquando incendio, ciconia quædam, cum pullos in nido periclitantes flammis eximere non poſſet, commoritura quaſi, ſe in ignem præcipitaverit. *De moriente matre catulorum, quos Anatomicus ab ejus utero abſtraxerat, Reald. Columbus* b) notavit, quod *illorum majorem curam gerat, quam ſuimet: cum ſi coram ipſa filium lædis, latrare & vociferari ſoleat; ſilere autem atq; magna pietate lambere, ſi illum ori ipſius admoveas: Rabie etiam percita mordeat, ſi aliud non catellus ori ejus quam ſecas matris accedat.* Ex hoc parentum erga ſe affectu, quem ratio ad id, quod æquiſſimum & honeſtiſſimum eſt, ducit, etiam ut *Plutarchus* apud *Grotium*, c) qui prolixius hæc explicat, loquitur, *liberi hæreditatem, ut ſibi ob benevolentiſſimam parentum propenſionem debitam, expectant.* Repugnat juribus amoris, paſſ-

a) *Hiſt. Mart. Bat. Dec. II. l.* 3. *p.* 130.

b) *de re Anatom. l.* 14. *p. m.* 475.

c) *I. B P.* 2. 7. 4.

paſſive ſpectati, liberorum Expoſitio, teſtamentum inofficioſum, & ſimilia. c) Ex amore viciſſim, dictato rationis rite ordinato, liberi parentibus debent, ut eos ſi opus viciſſim alant, omnem pietatem, obſequiumque iiſdem exhibeant. Τὸ γὰρ εὐχαρίστως ταῦτα ποιεῖν, καὶ τὸν τῆς ἀρετῆς διασώζει νόμον, καὶ τὸν τῆς φύσεως ἀποδίδωσιν ἔρανον, *qui enim iſta facit læto & grato animo, non ſolum virtutis legem obſervat, ſed naturæ etiam rependit gratiam*, monente *Hierocle*. e) Jus denique parentum in liberos, amoris potius effectum; certe non ſine directione amoris, ſub regimine licet rationis, & proinde in benevolentia potius, quam atrocitate poſitum; quam juris belli, ſive victoriæ, eſſe, ut *Hobbius* f) fingit, alibi explicatur. Subjicimus hic tantum verba Legis *Wiſigothorum*: g) *Parentibus filios ſuos vendere non liceat, aut donare, vel oppignorare.*

d) *Ieſai*. 49. 15. *Pſal*. 103. 13.

e) *l*. 1. *aur. Pythag*. §. 4. *p*. 57.

f) *de Civ*. *c*. 9. *art*. 2.

g) *Lindenbrog. Cod. LL. leg. Wiſ.* *l*. 5. *t*. 4. *c*. 12.

§. 6. Vehementes vero licet hi ſint igniculi amoris inter parentes, & liberos, ſequi tamen debent regulas pietatis & juſtitiæ, nec largiuntur jus agendi contra id quod pium & juſtum eſt. Unde nec ex nimio in parentes & liberos affectu, veram religionem abnegare licet, improbante id ipſo *Chriſto*. a) Laudatur etiam Aſa, b) ob inſignem cultus divini inſtitutam reformationem, etiam contra matrem, & invita ea, quam removit, ne eſſet Domina in ſacris Miplezeth, ſeu, ut volunt, Priapi. Recte etiam juri imperij cedere juſ-

a) *Math*. 19. 29.

b) 1. *Reg*. 15. 13.

 ſit

ſit Salomon jura amoris, & reverentiæ erga matrem: c) rectius contra Coriolano, apud *Plutarchum*, d) jura pietatis & amoris erga Volumniam matrem, præferente juribus iræ & indignationis erga Patriam, à qua offenſus fuerat. Juribus etiam amoris obſecuta meretrix, maluit filium ſuum alteri meretrici, quæ falſo ſibi illum vindicabat, vivum relinquere, cum gladio iſtum in duas partes ſcindi juſſiſſet Salomo. e) Vicariam autem mortem neque filio pro patre, neque patri pro filio, obire licet, cum quod quilibet ſuam portare iniquitatem debet; tum quod, uti in foro humano non habet locum tranſlatio delicti in alium, ita nec pœnæ. Unde *Lactantius* f) *judex*, inquit, *peccatis veniam dare non poteſt, quia voluntati ſervitur aliena*,

c) 2. *Reg.* 2. 22.
d) *Coriolan.* t. *l. opp. f.* 231.
e) 1. *Reg.* 3. 25. *ſq.*
f) *de ira c.* 30.

§. 7. Præterea cum *ex unius hominis ſanguine*, a) omnes prognati ſumus, ad conſtituendam *latiſſime patentem hominibus inter ipſos, omnibus inter omnes ſocietatem*, ut Cicero b) loquitur; *& humanum genus*, ſecundum *Auguſtini* c) Philoſophiam, *non ſolum naturæ ſimilitudine ſociare, verum etiam quadam cognationis neceſſitudine in unitatem concordem pacis vinculo colligare* ſupremus Rector voluerit, quilibet proximum, ceu fratrem, tanquam ſeipſum diligere debet, eidemque ſocialia præſtare officia, quæ ab illo expectat, ita tamen, ut in agendo ordinata charitas incipiat à ſe ipſa. Hinc nec alterum lædere, nec fidem da-

a) *Actor.* 17. 26.
b) 1. *Offic. p.* 11.
c) *de Civit. D. l.* 14. *c.* 1.

datam violare, nec cum alterius damno ſuum commodum promovere licet, prolixius monitum rurſus *Ciceroni.* d)

d) 3. *Offic. p.* 56.

§. 8. Per *pocula amatoria* incenſus amor, rectius morbus dicitur, quam affectus, prout nunc nimirum de affectibus loquimur. Ex venenis enim iſta confecta philtra, tam internos ſenſus, & operationes intellectus, quam externos corrumpunt. Notat hoc, invectus in amatoria, & veneficas artes mulierum Romanarum, *Iuvenalis:* a) *Hic magicos adfert cantus, hic Theſſala vendit philtra; quibus valeat mentem vexare mariti, & ſolea pulſare nates: quod deſipis inde eſt, inde animi caligo, & magna oblivio rerum, quas modo geſſiſti.* Ita à Cæſonia uxore Caligula, autore *Suetonio,* b) creditus fuit *potionatus amatorio quidem medicamento, ſed quod in furorem verterit.* Ægrotorum itaque ſtatum potius talis ſubit, expectatque ægrotantium potius, quam amantium jura: Æque atque moriones matrimonio non ſunt jungendi, *Gerhardo* c) monitum; cum amor matrimonij ſanæ & liberæ mentis eſſe debeat. De Areopagitis Autor eſt *Ariſtoteles,* d) quod mulierem quandam, quæ ejuſmodi philtrum cuidam præbuerat, quo etiam periit, abſolverint, quod *non provide,* οὐκ ἐν προνοίᾳ, *id feciſſet; amoris enim cauſa dediſſe, verum à propoſito aberraſſe.* ἔδωκε μὲν γὰρ φιλίᾳ, διήμαρτε δὲ τούτου, ait Philoſophus. Verum per ſe hoc pœnæ ſubjacet, & ſimpliciter

a) *Satyr.* 6. *v.* 609.

b) *Calig. c.* 50.

c) *de Conjug. §.* 228.

d) 1. *Magn. moral. c.* 17.

citer committi non debet. Unde non meretur excuſationem, ſi commiſſum ultra intentionem, vel etiam præter, nocuit.

§. 9. Non minus ex *odio* jus agendi naſcitur. Juſtum dari odium *Plutarchus* a) monuit: Μισοῦνται, inquiens, *πολλοὶ δικαίως, καὶ γὰρ ἡ μισοπονηρία τῶν ἐπαινουμένων ἐστί*, ***multi merito odio habentur; odium enim malorum laudabile habetur.*** Id quod tamen de vitiis primo & per ſe, non de homine, intelligi debet, non ex Chriſtianæ diſciplinæ præcepto tantum, ſed & Thraſeæ dicto apud *Plinium*, b) qui *crebro dicere ſolebat, qui vitia odit, homines non odit.* Ex DEI tamen amore, in DEI hoſtes juſto ferri nos odio, ob impietatem licet, ex Theologis B. docet ***Balduinus***, c) addito charactere, *unde agnoſcendum ſit, odium ferri non erga noſtros, ſed* DEI *inimicos.* Ex juſto etiam odio in parricidium, atque læſæ majeſtatis Crimen, adverſus reos non tam ex formula juris, quam ex politica ratione ſtatus proceditur, ita ut in crimine manifeſto, & flagrante, cognitio interdum omittatur, obſervante *Bœclero*; d) certe ejus omiſſio exinde excuſetur, ſic *urgente diſcrimine*, ut loquitur de cæde Cæcinæ *Suetonius*; e) ordinarie licet *imperio utendum non ſit, cum lege agi poſſit*; monente, & explicante ex Tacito *Scipione Amirato.* f) Sic ex odio delicti potius, quam ex juſtitia facti, creditur Reyneſius, qui adulteram uxorem cum adultero, crudeli & atroci faci-

a) *t.2.opp. de Invid. & od. f.* 537.

b) *l.8. Epiſt.* 22.

c) *Comm. in Rom.* 12. *q.* 4. *f.* 226.

d) *Differt. Polit.* XIII. *& inſtit. Pol. l.2. c.5.*

e) *Tit. c.* 6.

f) *Diſc. in Tac. l.* 12. *d.* 2. *l.* 17. *d.* 2.

Digitized by Google

facinore interfecerat, *Gramondo* g) ſcriptore, *regio diplomate liberatus.* De Græcorum legibus, quæ jubebant mœchum in flagranti crimine deprehenſum occidi, ex *Libanio* agit *Bæclerus.* h) Legibus Wiſigothorum i) *pro homicida non tenebatur, ſi adulteram cum adultero maritus vel ſponſus occidiſſet*: Lex Burgundionum k) autem *adulterantes, ſi inventi fuerint, & virum & fœminam occidi imperat.* Pertinet huc favor defenſæ pudicitiæ cum cæde petulantis invaſoris. Suo tempore & loco diſquiretur, an interna liceat juſtitia ejuſmodi impudicum aggreſſorem violentum cum cæde repellere; favor certe cauſæ eos, qui ejuſmodi uſi ſunt defenſione, in foro externo ab omni crimine abſolvit. Non minus ex odio ſcelerum magnus eſt favor, poſt vi ereptum pudoris decus, inſtitutæ ultionis. De favore hujus vindictæ loquitur *Plato* l) etiam, diſſerens quos liceat impune occidere: Ἐὰν, inquit, ἐλευθέραν γυναῖκα βιάζηταί τις ἢ παῖδα περὶ τὰ ἀφροδίσια, νηποινεὶ τεθνάτω ὑπὸ τοῦ ὑβρισθέντος βίᾳ, καὶ ὑπὸ πατρὸς, ἢ ἀδελφῶν, ἢ υἱέων, *qui mulierem liberam, aut puerum, ad rem veneream vi ſubigit, impune non ab ea ſolum, cui vis eſt illata, verum etiam à patre, fratribus filiisque vita privetur.* Favorem hunc ſequitur laus illa, qua nonnulli, *Florus,* m) aliique, Orgiagontis regis Gallogræcorum uxorem proſequuntur, factum licet ab *Aurel. Victore* n) aliter enarretur, quod *à centurione ſtuprum paſſa,* me-

g) *2. hiſt. Gal. p. 140. ſeq.*

h) *Comm. Grot. 2. pag. 10.*

i) *lib. 3. tit. 4. c. 4.*

k) *c. 68.*

l) *l. 9. de LL. ſ. m. 660.*

m) *l. 2. c. 11.*

n) *de Vir. Illuſtrib. Cn. Manl. Vulſ.*

memorabili exemplo cuſtodiam evaſerit, avulſumque militis caput, ad maritum retulerit. Plus interim odij, quam favoris, habet factum Lucretiæ, quæ poſt ſtuprum per vim paſſum, defixo in cor cultro vivere ulterius noluit, *ne*
o) *l.* 1. *ulla*, uti loquitur apud *Livium*, o) *deinde impudica Lucretia viveret exemplo*; quaſi ſic oppreſſo per vim corpore, mentis caſtitas amit-
p) *l. c.* teretur. Idem *Plato*, p) *νύκτωρ*, inquit, *φῶρα εἰς οἰκίαν εἰσιόντα ἐπὶ κλοπῇ χρημάτων ἐὰν ἑλὼν κτείνῃ τὶς, καθαρὸς ἔστω· καὶ ἐὰν λωποδύτην ἀμυνόμενος ἀποκτείνῃ, καθαρὸς ἔστω, qui noctu furem domum ſuam ingreſſum interemit, mundus ſit: & qui ſpoliatorem in defenſionem ſuam, ſimiliter.* Tractat etiam, explicatque hæc defen-
q) *l. B. P.* 2. 1. 11. *ſq.* ſionis genera *Hugo Grotius*, q) notatque, quod quæ in defenſione rerum *inter rem & vitam eſt inæqualitas, ea favore innocentis, & raptoris odio compenſetur.* Quod uti in foro externo concedimus, ita in foro conſcientiæ non ſemper habet locum. Sic juſtum eſt odium, ſi mendaces ad teſtimonium dicendum non admittuntur; ſi ignavis præferuntur digni; ſi ſceleratorum vitemus congreſſus, nihilque nobis commercij cum illis eſſe velimus.

§. 10. Ex religionis diſſenſu naſcitur haud raro, cum *religionis odio*, capitale quo-
a) *Rom.* 16. 17. *1. Cor.* 6. 14. *ſqq.* 2. *Ioh.* v. 10. que inter diſſentientes odium. Quanquam vero rectus DEI cultus, veruſque de DEO ſenſus, cum falſo nihil commercij & ſocietatis habere debeat, ex Apoſtoli a) præcepto; atta-

attamen cum iſte in religione diſſenſus politiam, & humanum convictum ex ſe non tollat, nec vitæ ſocialis tranquillitatem abrumpere debeat, ex odio religionis, h. e. ob non probatam alterius religionem, non licet diſſentientem tali odio proſequi, ut communia humanitatis jura ei denegare, nullam cum illo pacem colere, nulla denique amicitiæ, ſocietatis & commerciorum fœdera cum eodem inire velimus, vel inita ſervare nolimus. Quanquam enim genus humanum religione carere non poſſit, & ad veram etiam obligetur, Chriſtiana tamen religio ad adventitium potius, quam ad naturalem hominis ſtatum pertinet; jus etiam in religionem inter reſervata divini imperij referri debet. Unde nec *Paſſagia* adverſus infideles, eo præciſe nomine inſtituta, probamus, quod religionis Chriſtianæ propagandæ, & Muhammedanæ extirpandæ gratia ſuſcipiuntur; commendentur licet hoc nomine ab *Ænea Sylvio*, oratione ſuper hoc argumento Romæ habita, quam doctiſſima commentatione illuſtravit B. noſter *Bœclerus*. a)

b) *app. ad differt. academ.*

§. II. *Odia gentium* quod attinet, ex variis illa oriuntur cauſis. Incendit enim illa vel æmulatio, dum non abſque invidia potentiam, famam, & gloriam gentis gens intuetur, ſibique talem acquirere ſtudet. Agit de his etiam *Cominæus*, a) qui *ejuſmodi diſſenſiones, velut ſtimulum quendam in rebus humanis ne-*

a) *Comm. l. 10.*

neceſſarias eſſe judicat. Prolixior eſt locus, quam qui adduci queat. Sic internecivo odio ferebantur Ægyptij priſci erga Ebræos, quos tyrannicis artibus delere Pharao moliebatur.b) Ne de furore aliarum gentium, de quibus hiſtoria ſacra, quid dicam. Talis olim æmulatio etiam interRomam, & Carthaginem fuit, quæ hinc *Appiano* c) *æmula urbs* Romæ dicitur; notatque *Polybius*, d) Carthaginenſes à Romanis victos, τῇ μὲν ὁρμαῖς καὶ τῇ φιλοτιμίαις ἀκμὴν ἑτοίμους πολεμεῖν, *animis & æmulatione gloriæ promtos ad bellum gerendum* fuiſſe, *æque ac prius erant.* Cauſa magni inter gentes publicique odij etiam ſunt bella, & mala illata, ſæpiusque fœdera perfide rupta. Prolixius hoc tractatur à P. Cornel. Lentulo apud *Appianum*, e) in oratione in ſenatu habita, qua cum Pœnis, ob tot crudelitatis & perfidiæ edita exempla, fœdus ineundum eſſe diſſuaſit. Accedit ſtudiorum diverſitas, quæ, dum unicuique ſua optime placent, facile contemtum excitare ſolet, qui cauſa ſimultatis, indeque nati odij fit. *Rapto*, inquit *Quintil.* f) *vivere quibuſdam honeſtum, aliis cura legum.* Unde cum Teuta, Illyriorum Regina, prædandi licentiam ſuorum coërceret monita, ſcriptore *Polybio* g) reſpondiſſet: ἰδίᾳ γε μὴν, οὐ νόμιμον εἶναι τοῖς βασιλεῦσι, κωλύειν Ἰλλυριοὺς τὰς κατὰ θάλατταν ὠφελείας, *ut impediat, quo minus privatim quam poteſt quiſq; utilitatem è mari capiat, hoc vero Regibus in more nequaquam eſſe;*

b) *Exod.* 1. 10.

c) *de Bell. Punic. f.* 35.

d) *l.* 1. *c.* 62.

e) *l. c. f.* 33.

f) *III.* 9. *p.* 189.

g) *hiſt. l.* 2. *c.* 8.

eſſe; ſubjecit alter Legatorum Romanorum: Ῥωμαίοις μὲν, ὦ Τεύτα, κάλλιστον ἦθός ἐστι τὰ καθ᾽ ἰδίαν ἀδικήματα κοινῇ μεταπορεύεσθαι, καὶ βοηθεῖν τοῖς ἀδικουμένοις, *at Romanis, ô Teuta, mos hic eſt pulcherrimus, ut privatim factas injurias publice proſequantur, & injuriam paſſis operam feramus. Operam igitur, DEO volente, dabimus; ut cupide ac cito regia inſtituta emendare te cogamus.* De religionis diverſitate, quomodo illa inter gentes odia pariat, jam vidimus; illuſtriq; Chriſtianorum & Muhammedanorum, qui ex Alcorani ſui præcepto illos perſequi tenentur, exemplo patet. Status, quam vocant, ratio quid poſſit in ſerendis inter gentes odiis, erupturis in atrociſſima diſſidia, *Gramondus* h) docet exemplo Hiſpaniæ & Galliæ: *Extinctis*, inquiens, *veteribus diſſidiis novæ irarum cauſæ ſucceſſerant ex factione Catholicorum unita, cui ſe Hiſpanus fautorem oſtenderat: Hæc quanquam vetera, nondum penitus exciderant animo.* Intereſt vero humani generis, ejuſmodi tolli odia, ne in mutuam armentur gentes perniciem, quas pacifice vivere ſocialitas naturæ noſtræ jubet, & religio Chriſtiana.

h) *Hiſt. Gall. l. 6. p.* 315.

§. 12. De *jure metus*, & quale jus agendi ex metu oriatur, aliquid notaturi, obſervamus duplicem eſſe metum, levem atque gravem, qui & *juſtus* dicitur. Illum non facile in virum conſtantem cadere ajunt; cum hic virum conſtantem terrere poſſit. Iſte proin etiam contemnendus eſt, ceu vanus & inanis;

nec ad promittendum, jurandum, paciſcendum, vel aliud quid agendum, quis ſe tali metu impelli pati debet. Quod ſi vero *quis præ animi anguſtia incautior, laqueo ſe implicari paſſus fuerit, ligavit ligamen ſuper animam ſuam, & tenetur id quod promiſit implere*, bene monente *Roberto Sanderſono.* a) Gravem vero quod attinet metum, vel incutitur ille à legitimo imperio vim cogendi habente; vel à tertio quodam, eodemq; pari; vel ab eo cum quo agitur. Quæ ex iſto metu peraguntur, valida ſunt, ob vim imperij in perſonam, cui civis obſequium reſpondet, niſi ea quæ jubentur, ſint contra jus ſuperioris, & adverſus DEUM, bonoſque mores. Tum enim, ut *Horatius* b) etiam canit, *juſtum & tenacem propoſiti virum, non civium ardor prava jubentium, non vultus inſtantis Tyranni mente quatere ſolida* debet. Si à tertio quodam, eodemq: pari, atrociter quis ita terretur, ut alteri quid promittat, aut cum eo paciſcatur; rata iſta ſunt quoad hunc, cui terror iſte incutitur, quod actiones, quæ ex iſto profectæ ſunt metu, pro mixtis haberi debeant, quæ pro ἑκουσίοις, *pro ſpontaneis*, ſub talibus circumſtantiis ab *Ariſtotele* c) cenſentur. Καὶ τὸ ἑκούσιον δὴ καὶ τὸ ἀκούσιον, ὅτε πράττει, λεκτέον, *ſponte aliquid agi aut invite dicendum eſt tum, cum agitur.* Manet tamen tali territo jus reſtitutionem dati damni, & ejus quod intereſt, poſtulandi ab eo, qui iſtum metum injuſte incuſſit. Unde ſi quis ejus, cum

a) *de Iuram. obligat. Præl. IV. Sect. 14. n. 14.*

b) *3. od. 3.*

c) *3. Ethic. 1.*

cum quo agit, injuſta vi, & ſic metu injuſte compellitur ad paciſcendum, promittendum, aliaſque actiones; talia omnino obligant, validaque, atque rata ſunt. *Ego*, inquit *Hugo Grotius*, d) *omnino accedo illorum ſententiæ, qui exiſtimant, ſepoſita lege civili, quæ obligationem poteſt tollere aut minuere, eum qui metu promiſit aliquid, obligari: quia conſenſus hic adfuit, nec conditionalis, ſed abſolutus.* Cui *Pufendorfius* e) contradicens, *enimvero*, inquit, *invalida judicamus illa pacta & promiſſa, ad quæ ab illo ipſo cui promittit, aut qui cum paciſcitur, injuſta eiuſdem vi quis compellitur. Cum enim jure naturali, qui per injuſtum metum alteri quid extorſit, id reſtituere teneatur, adeoq; tantum debeat penſare, quantum iſti per tale pactum decedit, per compenſationem velut tolli obligatio intelligetur, ſi non ſolvitur id, quod ſtatim reſtitui debebat.* Sed firmior *Grotij* videtur ratio. Et iſte promittentis paciſcentiſque metu elicitus conſenſus, cum non obſtante ejus cui fit promiſſio injuriâ, damnoque ab eodem dato, in eundem jus adverſus conſentientem tranſtulerit, atque etiam id bona fide is tranſtuliſſe videri voluerit; f) eadem quoque læſione non obſtante, ad promiſſum ſervandum ſic valide ſe obligavit promiſſor, ut per prætenſam aliquam compenſationem, quæ vere illuſoria eſt, factam promiſſionem eludere non poſſit. Ne dicam, illam promiſſionis non eſſe faciendam interpreta-

d) *l. B. P. II. 11. 7.*

e) *l. N. G. l. 3. c. 6. §. 11.*

f) *conf. Rachel. de Princ. act. hum. l. 27.*

tionem, qua actus in vanum recidit. Hinc ſe capere negat *Rachelius*, g) *ecquid illud ſit, quod latroni*, metu gravi injuſte incuſſo pecuniam extorquenti, *jus pepererit, ut abſolute opus ſit reſtitutione*, niſi ſit promiſſum, *ex cujus naturâ obligatio oritur, non ex modo, quo illud promiſſum fuit elicitum, aut extortum*; concedens interim, quod *legis civilis adminiculo ex tali actione nata obligatio poſſit tolli*: Quod pluribus diſquirit. Juramentum etiam per vim metumque extortum obligare, alibi docuimus, laudato M. Pomponio, tribuno plebis Romæ, qui juramentum, quod terrore coactus juraverat, ſancte ſervavit, quod prolixius *Ciceroni*, h) atque *Livio* i) explicatur.

g) *de Princip. act. hum. diſſ. I. §. 27.*

h) *3. Offic. 31.*

i) *Lib. 7.*

§. 13. Ex eo itaque quod vi metuque aliquid geſtum, promiſſumque ſit, non naſcitur jus reſtituendi ſe in integrum, & à contracta obligatione ſe abſolvendi. Et omnino *fraus eſt*, neget licet *Cicero*, a) *ſi prædonibus pactum pro capite pretium non attuleris*; verum licet ſit, quod *Grotius* b) monuit, *eum qui contractui aut promiſſioni cauſam dedit dolo, vi aut metu injuſto, teneri eum qui cum actum eſt in integrum reſtituere, quia ille jus habuit, tum ne deciperetur, tum ne cogeretur: illud ex natura contractus, hoc ex naturali etiam libertate.* Concedimus etiam, ob illatam vi, metuque injuſte incuſſo, injuriam, licere à Magiſtratu communi, qui ex jure quod ſuperior habet in inferiorum & ſubditorum perſonam

a) *3. Offic.*

b) *I. B. P. l. 2. c. 17. n. 17.*

& actus, id omnino facere poteſt, irritationem promiſſi, & liberationem ab obligatione contracta petere, modo juramentum non acceſſerit. Tale enim promiſſum ſtrictioris eſt interpretationis, nec ex vi promiſſionis privat promittentem jure reconventionis adverſus lædentem. Idem quod ſuperiori, licere etiam victori, quoad promiſſa ab oppreſſis hoſti facta, adeo non dubitavit *Cæſar*, c) ut etiamſi c) I. *de bell. Gall. c.* 31. *c.* 35.
Ædui, *præliis calamitatibusq; fracti, jure jurando civitatem ſuam obſtrinxerint, ſe ſe neq; obſides repetituros* ab Arioviſto, *neq; recuſaturos, quo minus perpetuo ſub Germanorum ditione atq; imperio eſſent*; hoc tamen non obſtante, cum Arioviſtum nondum viciſſet, ab illo poſtularet, *obſides, quos haberet ab Æduis, redderet: neve Æduos injuria laceſſeret: neve his ſociiſve eorum bellum inferret.* Pari ratione quæ victus victori ex metu promiſit, ſervanda ſunt. Armenio hoc inculcans Cyrus apud *Xenophontem*, d) καλὸν, inquit, μάχεσθαι, ὅπως d) *l.* 3. *de Inſtit. Cyr. f.* 64.
μή ποτέ τις δοῦλος μέλλοι γενήσεσθαι, *præclarum eſt, ita pugnare, ne quis unquam ſeorus fiat*; penitus improbans, *ſi quis vel bello victus, vel quodam alio modo redactus in ſervitutem, id moliri deprehendatur, ut dominorum ſe poteſtate eximat.*

§. 14. Notandum tamen, quod actiones mixtæ, cujus generis ſunt ea, quæ ex vi metuque fiunt, non ejuſdem indolis ſint, ceu præclare ab *Ariſtotele* a) explicatur. Aliæ enim a) 3. *Ethic.* 1.

 lau-

laudem; aliæ vituperium; aliæ veniam & excuſationem; aliæ denique pœnam merentur. Primi generis actiones ſunt, cum magnarum rerum, & honeſtatis cauſa, moleſta perferuntur. Secundi quæ ſunt ordinis actiones, turpe quid committunt, exigui boni alicujus conſequendi, vel minoris mali vitandi cauſa. Tertiæ claſſis actiones illorum ſunt, qui ea, quæ minime ſunt decora, ἃ μὴ δεῖ, ἃ καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ὑπερτείνει, uti *Ariſtoteles* b) loquitur, agunt, ſubacti graviſſimis cruciatibus, qui imminent, metuque maximorum malorum, quæ longe majora ſunt eo, quod ipſis faciendum eſt, ſi iſta velint evitare. Quarto denique quæ ponuntur loco actiones mixtæ, aliquid quod natura turpe & flagitioſum admittunt, quod nulla vi aut neceſſitate coacti admittere debemus, ut potius mors nobis appetenda, graviſſimique cruciatus perferendi ſint. Cognoſcitur hinc, quando metus cauſa agere liceat, & quando qui ex metu agunt, laudem, vituperium, veniam, & pœnam denique mereantur; quæ prolixius egregie noſter *Obertus Giphanius* c) illuſtravit.

b) *l. c.*

c) *Comm. in 3. Eth. l. p. 156. ſq.*

§. 15. Datur adhuc aliud genus *metus*, quod *ex ſuſpicione* oritur, quando ex opinione probabili metuimus, fore, ne ab altero mali quid nobis infligatur, quod ex certis indiciis de ejus malitia nobis conſtet. Omnia tamen intra rationem prudentis ſint conjecturæ, quæ vitio careat; cũ quæ *ex levibus indiciis* procedit

ſuſpi-

ſuſpicio vitioſa ſit, prolixius *Thoma* a) explicante. De illa ſic olim *Euripides*: b) σώφρονος δ' ἀπιςίας ὐδ' ἐςὶν ἄλλο χρησιμώτερον βροτοῖς, *ſapiente diffidentia non alia res utilior eſt mortalibus.* Cum itaque quando fidendum, commercij humani id nonnunquam urgente neceſſitate, etiam cu i videndum, quod dentur homines *ſine fide & religione, callidi, & ad fraudem acuti*, uti de Callicrate loquitur *Cornel. Nepos*; c) ſi quis hoc neglecto, ejuſmodi perfido fidem imprudenter habet, tali metu non obſtante, pactum vel promiſſum non erit irritum; cum paciſcendo cum tali, à quo ſibi juſte metuit, metui, & juri exinde orto, renunciare videtur, ipſo facto hominem fraudulentum pro tali declarando, cui fides haberi, & cum quo valide tranſigi poſſit. Si vero quis ex eo, quod, uti *Cicero* d) ad fratrem ſcribit, *multis ſimulationum involucris tegitur, & quaſi velis quibuſdam obtenditur uniuscujuſq; natura: frons, oculi, vultus perſæpe mentiuntur: oratio vero ſæpiſſime*; decipi timet, & hoc nomine à neceſſitate præſtandi vel ſe abſolvit, vel abſolvi cupit, audiendus talis non erit, cum metus hic ſit inſufficiens, & juſto levioribus nitatur hæc ſuſpicio indiciis, nec, recte notante *Thoma*, e) omni careat injuſtitia: quam etiam deſcribere poſſis verbis *Arnobij*: f) *Quid eſt ſuſpicio, niſi opinatio rerum incerta, & in nil expoſitum jaculatio mentis illata.* Quæ hic ab *Hobbio* g) diſputantur, erudite examinat doctiſſimus

a) 2.2. q. 60. a. 3. Reſp.
b) *Helen. v. 1633.*
c) *Dion. c. 8. 1.*
d) *l. 1. Epiſt. ad Quint. Ep. 1. p. 292.*
e) *l. c.*
f) *adverſ. gent. l. 2. p. m. 93.*
g) *de Civ. c. 2.*

h) *de I. N. G.* 3. 6. 9. Puſendorſius; h) qui & hoc monet, i) quod, *ſi poſt pactum initum certiſſima emergant indicia, alterum id agere, ut mihi, quando meum priore loco præſtitero, illudat, non prius ad præſtandum adigi potero, quam contra eam deceptionem mihi cautum ſit.*

i) *de Offic.* 1. 9. 14.

§. 16. Quando, & qua ratione inter *jura metus*, fugiendi facultas, ſeu *fuga*, referri poſſit, etiam diſquiritur. Ex ſe fugam metu, & tempore perſecutionis, non eſſe illicitam, ex verbis *Chriſti*. a) ὅταν δὲ διώκωσιν ὑμᾶς ἐν τῇ πόλει ταύτῃ, φεύγετε εἰς τὴν ἄλλην, *quando vos perſequentur in urbe hac, fugite in aliam*, recte infertur: Et patet ex re ipſa. Nam qui ſic fugit, non fidem Chriſti abnegat, ſed ſe Chriſtianum eſſe potius confitetur, & ſignificat ſe velle fidem Chriſti retinere, fugere autem periculum negandi. Non itaque metui, qui fugit, ſuccumbit, quod fieri non debet, b) ſed metu impulſus, etſi non ex metu, malum & periculum imminens fuga, ceu medio licito, declinare quærit. Ὀυ γὰρ διὰ δειλίαν, inquit D. *Athanaſius*, c) ἔφυγον Elias & alij; μὴ γένοιτο· μᾶλλον γὰρ τὴν φυγὴν εἶχον ἀγῶνα καὶ μελέτην κατὰ τοῦ θανάτου, *non enim præ timore operam fugæ præbuerunt; abſit! Quin potius fugam habebant pro palæſtra & meditatione adverſus mortem*: quæ in ſequentibus prolixius Martyr incruentus explicat. Non minus adverſus famem fuga ſibi conſuluit Abraham. d) Ita cum fames & peſtis ſimul Cappadociam, Paphlagoniam,

a) *Math.* 10. 23.

b) *Matth.* 9.

c) *t. 1. opp. Apol. f.* 712.

d) *Geneſ.* 12. 10.

Pon-

Armeniam, & Honoriadem valde affligerent, *incolas patriis relictis alias, ſibi ſedes quaſiviſſe*, autor eſt *Cedrenus*. e) Sane, B. etiam *Lutheri* f) judicio, fuga peſtis per ſe non eſt illicita. Naturali quippe inſtinctu omne animans ea, quæ nocitura videntur, quærit declinare; quod ſana non improbat ratio, nec per ſe Chriſtiana pietas. Οὐδεὶς γὰρ ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλ' ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτὴν, *nemo enim unquam ſuam ipſius carnem odio habuit: imo enutrit, & fovet eam*, ut *Paulus* g) loquitur. Addimus tamen fieri poſſe, ut propter certas circumſtantias, perſonæ, muneris & officij, publicæ item neceſſitatis, fugere non liceat, pietate, charitate, & æquitate prohibente. *Quæ ergo fuga cavenda eſt?* quærit *Auguſtinus*, h) & reſpondet: *De qua dicit* Dominus *in Evangelio, quia paſtor bonus animam ſuam ponit pro ovibus ſuis; Mercenarius autem, & qui non eſt paſtor, cum viderit lupum venientem fugit. Cum viderit prædonem, quare fugit? quia non eſt ei cura de ovibus.* De *aſtorgia*, qua graſſante lue peſtifera, ſæpe inter mortales cuncta rigent, egit *Chemnitius*: i)

e) *Annal. f.* 603.
f) *t.* 3. *Altenb. f.* 763.
g) *Epheſ.* 5. 29.
h) *t.* 8. *opp. in Pſal.* 136. *f.* 1637.
i) *Harmon. c.* 105.

§. 17. *Audacia* promptitudo ad agendum, & contemtus periculorum tum vitio verti debet, ſi ſit irrationalis, careatque ratione probabili: ab eventu enim præciſe conatus, conſilium & jus agendi repetere non decet, cum ille ſit in manu DEI. *Audacia & magna facinora* πράττειν δεῖν, ἀλλὰ μὴ βουλεύεσθαι,

facienda non deliberanda eſſe, dicebat olim Cæſar apud *Plutarch.* a) Habet id inprimis locum, ſi res non fert moram, ſi ratio bonæ ſpei eſt probabilis, vitæque diſcrimen non niſi probabile, ſi boni publici & univerſalis ratio, quod particulari præferendum, ita urget. Decet ergo peſtis tempore, etiamſi contagij periculum immineat, laborantibus ſubſidio & ſolatio eſſe, ut diximus. Laudandi ſane Chriſtiani, qui memorante *Dionyſio Alexandr.* apud *Euſeb.* b) *Ethnicis ſtatim initio morbi* peſtilentis *fugientibus*, manſerunt, omnique beneficij genere lue hac infectos recrearunt. Quo tamen non excluduntur regulæ prudentiæ. Neſcio enim, an adeo magnifice ſentiendum ſit de facto *Franciſci Xavierij*, qui atrociſſime peſte ſæviente in Japonia, divini Numinis cura confiſus, nullis contra mali contagium antidotis uſus fuiſſe traditur. *Conſulto enim & temere ſe periculis offerre*, judicio magni *Athanaſij*, c) eſt ἑαυτὸν ἀποκτεῖναι, ὑπεύθυνόν τε θανάτου γενέσθαι, *ſeipſum necare, ſuæq; mortis reum fieri.* Prudenter proin in *Reſcripto Electorali Saxonico* d) ordinatur, ne Paſtores Eccleſiarum, ſi quando ſ. Synaxeos cauſa peſte laborantes adire neceſſe habent, *conclavia, in quibus ægri decumbunt, ingrediantur, ſed inde vel in hortum, vel in atrium elatos, ſolatio ex verbo* DEI *petito*, porrectoque corpore & ſanguine Chriſti *ſub dio* reficiant. Placuit idem Dnn. *Martisburgenſibus*: e) Quibus & hoc viſum fuit, ut

a) *t. 2. opp. Lacon. apoph. f. 206*

b) *H. E. 7. 21.*

c) *t. 1. opp. Apol. f. 712.*

d) *An. 1680. d. 6. Sept.*

e) Unterthänigſt Bedencken *Ann.* 1680. *d. 22. Octob.*

ut Paſtores, quos *Peſtilentiales* vocant, ad vitandum contagium eminus, & oblique, averſo vultu, cum ægrotis agant.

§. 18. Ex fine præterea belli tam univerſali, qui eſt pax & quies gentium, quam particulari, qui eſt hoſti nocere, licet militibus ſtationes periculoſas, & alia quæ diſcrimine non carent, ſibi depoſcere, exemplo Calpurnij Flammæ apud *Florum*. a) Ita ſociale commercium generis humani, per inſulas & terras transmarinas diffuſi, navium & navigationis uſum poſtulat, citra temeritatis notam, rem in ſe indifferentem fine ſocietatis humanæ neceſſariam reddente, cecinerit licet ita *Iuvenalis*; b) *I nunc & ventis animam committe, dolato confiſus ligno, digitis à morte remotus quatuor aut ſeptem ſi ſit latiſſima tæda.* Idem jus agendi illi habent, qui tempore incendij, vel quando turres, ædes, inſignioris altitudinis exſtruendæ, ex officij peculiaris ratione, & vocatione, periculoſa adeunt, vel conſcendunt loca: Speciale enim munus, ſpeciales quoque exigit actiones. Etſi verò *Livius* c) jam neget, *quando nulla cogit res, fortuna ſe committendum eſſe*; alibi d) tamen, *in rebus aſperis & tenui ſpe, fortiſſima quæq; conſilia tutiſſima eſſe* docet. Potiſſimum in bello hoc apparet. Unde neceſſitate ſic urgente, ad certamen ſæpe properatum, uti ab Antonio apud *Appianum* e) factum, à quo alias utraque pars abſtinuiſſet. Illam vero improbamus audaciam, ceu

a) *Hiſt. Rom.* 2. 2.

b) *Satyr.* 12. v. 57.

c) *l.* 7. 12.

d) *l.* 25. 38.

e) *Bell. Civil. l.* 4. *f.* 660. /99.

Digitized by Google

ceu ſpeciem *αὐτοχειρίας indirectæ*, qua claſſiarij,
ne in poteſtatem hoſtium deveniant, injecto
in pulverem tormentarium igne, una cum vi-
ctoribus glorioſe, ut opinantur, occumbere
f) *l.* 136. *f.* 1289. malunt. Recte tales *Thuanus*, f) *audax ex ne-
ceſſitate capere conſilium*, ait. *Scelerate id fieri*,
dixit Guſtavus Adolphus, Sueciæ rex, apud *Loc-*
g) *Iur. Marit.* 3. 9. 3. *cenium*. g) Et recte. Non enim furor auda-
cia eſſe debet. Unde Gryllus apud *Plutar-*
h) *t.* 2. *Opp. in Gryll. f.* 988. *chum* h) ait, quod fervor iſte, quo audacia in-
cenditur, & quo ἀκεράτῳ τὰ θηρία χρῆται πρὸς τοὺς
ἀγῶνας, *bruta puro utuntur in certaminibus*, in
hominibus προσμιγνύμενος πρὸς τὸν λογισμὸν,
ὥσπερ οἶνος πρὸς ὕδωρ, *cum ratione commixtus
ſit, quemadmodum vinum aqua dilutum.*

§. 19. Habet & *gaudium* ſua jura.
a) *l.* 2. *de Vit. contempl. c.* 13. *Gaudere*, inquit *Proſper Aquitan.* a) *quidem bo-
num eſt*; *ſed qui gaudet, ſi non inde gaudeat,
unde debet, non poteſt bonum eſſe, quod gaudet.*
Ex aliena calamitate gaudium quærere, inhu-
manum eſt. Verum nimirum eſt illud *Sene-*
b) *Epiſt.* 60. *cæ*: b) *Omnes tendunt ad gaudium, ſed unde
ſtabile & magnum conſequantur, ignorant.* In-
terim cum gaudium non abſque calore quo-
dam moderato, ſpirituumque ex corde ad par-
tes exteriores effuſione, contingit, hilaritas in
vultu non ſolum apparet, non ſine riſu non-
nunquam, qui à natura ad lætitiam animo
conceptam forinſecus repræſentandam ordi-
natur; ſed & in exultationem, unde ſaltatio-
nes & choreæ; atque jubila, unde cantiones

& mu-

& muſica, erumpere ſolet. Habent præterea & *læta tempora* ſua *jura*; quæ prætendentes, finito bello Punico ſecundo, Romanæ matronæ apud *Livium*, c) orabant, *ut florente Republica, creſcente in dies privata omnium fortuna, ſibi quoq; priſtinum ornatum reddi paterentur* patres; Cato licet ex aliis Reip. rationibus luxuriam muliebrem coërcendam eſſe cenſuerit. Solent & tum permitti, quæ publicam fovere videntur lætitiam, ſpectacula, atque ludi ſcenici, congiaria, convivia, feriæ, & ſimilia. Novo ſane marito vacationem à bello per annum DEUS concedi voluit, d) ne lætitia, quæ primo anno inter conjuges novos eſſe ſolet, turbaretur.

c) *l.* 34. *c.* 1.

d) *Deut.* 24. 5.

§. 20. Nec *triſtitiæ* ſua ſunt deneganda jura. Licet enim lugere ob calamitatem atque mortem parentum, conjugum, liberorum: χαλεπόν ἐστι, ait *Xenophon*, a) τοὺς οἰκείους περιορᾶν ἀπολλυμένους, *grave eſt propinquorum interitu nihil moveri*: luctumque ſigno externo, veſtibus, habituque pullo teſtari: Omnia tamen cum modo. *Triſtitia*, nimia ſcil. *animarum crudele commentum eſt, dolor quidam inexplicabilis, & judicium omni judicio vindictaq; deterius. Nam & vermi ſimilis eſt venenato, non ſolum carnem, ſed & animam ipſam perimens, & tinea non ſolum ad oſſa, ſed ad corda pertingens, & perpetuus quidam carnifex, non animam dilacerans, ſed vires animæ conſumens, & jugis nox, & tenebræ profundæ, &* tem-

a) 2. *memorab. f.* 755.

tempeſtas & turbo: febris, & non apparens, omni igne validius incendens, & pugna requiem non habens, memorante *Chryſoſtomo*. b) Unde neſcio, an uſque adeo magnifice ſentiendum ſit de facto *Petri de la Valle*, Patricij Romani, qui uxorem *Siti Maani* dictam, defunctam in Perſia, quam terræ mandare debuerat, exenteratam, ciſtæq; incluſam, per Orientem cum reliquis impedimentis circumtulit, ut patrio Romæ illam inferret monumento. Non etiam decet lugentes ſtatim læta obire officia. *Turpe*, inquit *Symmachus*, c) *atq; impetibile eſt, attonito animo, & fronte mœſta, lætos adire conventus*. Suum enim tempus luctui concedendum, quo dolor in animo reſideat; nec probandus mos Lyciorum apud *Valer. Max.* d) qui, *cum in luctus incidit, muliebrem veſtem induerant, ut deformitate cultus commoti, maturius ſtultum projicerent mœrorem*. Vehementior etiam triſtitia etſi animo caliginem offundat, in promiſſis tamen, pactis & contractibus pœnitentiæ non conceditur locus, niſi læſio rationis tanta ſit, ut mente motus, qui tali paſſione laborat, videatur. Quod ſi tamen res adhuc eſt integra, æquitatis eſt, talem promittentem, paciſcentem, non obligari, niſi ad id quod intereſt, ne afflicto addatur afflictio: Vera modo, non ſubdole aſſumta ſit triſtitia. Cæterum uti triſtitia abſque ſufficienti cauſa continuata melancholiæ nota eſt, ita hoc dato caſu, mœrore affecti eadem ſunt jura, quæ melan-

b) *Epiſt.* 8. *ad Olymp.*

c) *l.* 9. *Epiſt.* 113.

d) 2. 6. 13.

Digitized by Google

lancholici. Bene quidem Antoninus Pius Imp. apud *Capitolinum*, e) cum filius Marcus *mortuum educatorem fleret, permittite illi,* inquit ad aulicos, *ut homo ſit, neq; enim vel Philoſophia, vel imperium tollit affectus*: Id tamen furoris eſt, ſi quis mœrori ſic indulget, ut violentas ſibi manus inferat, uti ex *Trogo Pompejo Iuſtinus* f) refert, Imilconem Carthaginenſium in bello Imperatorem, cum *repente vi ſideris peſtilentis exercitum amiſiſſet,* tanto fuiſſe affectum dolore, ut domum flens reverſus, *obſeratis foribus, ac nemine ad ſe, ne filiis quidem admiſſis, mortem ſibi conſciverit*; cum *fortium virorum ſit, magis mortem contemnere, quam odiſſe vitam*, meliori *Curtij* g) judicio: fortiter ille facit, qui miſer eſt poteſt.

e) *Anton. Pi. c.* 10.

f) *l.* 19. 2. 8.

g) *l.* 5.

§. 21. *Reis*, qui ad delictum capitale ſuſtinendum ducuntur, ne *triſtitia* penitus *confecti ſuccumbant,* vinum porrigi ſolet, quo ſpiritus excitentur contra pondus prementis calamitatis. Quod ſi modice fiat, nec ad ebrietatem uſque, & veræ pœnitentiæ ſinceræque contritionis, fide in Chriſtum temperatæ, impedimentum, uti non improbamus; ita negamus præciſe hoc præcipi à *Salomone*, a) cum ait: *Date ſiceram pereunti, & vinum amaris animæ*: Non defuerint licet eruditi, obſervante B. *Geiero*, b) exiſtimantes, *reis capitali ſupplicio afficiendis, propinatum fuiſſe apud Ebræos vinum. uſq; adeo ut omnem uſum rationis expectoraverint morituris*, quo nomine remit-

a) *Prov.* 31. 6.

b) *Com. in Prov. l. c. p.* 1624.

c) *H. Sanhed. c.* 15.
d) *l.* 8. *A. V.* 19.
e) *ad Exod.* 21. 16.
f) *Sanhed. c.* 6.
g) *Exerc. ante Baron.* 16. *n.* 95. *p.* 548. *ſqq.*

mittunt ad *Maimon.* c) *Galat.* d) *Fagium*, e) *Coccejum*, f) & alios. Quem etiam morem apud Athenienſes obtinuiſſe, *Caſaubon.* g) obſervavit; qui de eo plura etiam habet. אובד *periens* enim non eſt præciſe, & neceſſario is, qui extremum ſupplicium ſubire tenetur; ſed, uti vir ſapiens ſcipſum explicat, intelliguntur quivis *amari animi*, qui ſcil. amaris tribulationibus variis ad mortem uſque excruciantur; uti de amaritudine animæ paſſim ſcriptura loquitur. 1. *Sam.* 1. 10. *Exod.* 1. 14. *Iob.* 9. 18. Hos refici vult Salomo, cum aliis beneficiis, tum etiam vino propinato, ſi ex anguſtia domeſtica tali deſtituuntur, *quo*, ut eximie B. D. *Geierus* h) explicat, *ad hilariorem quodammodo perducantur mentem, & fugatis ſolicitudinibus immodicis liberius mens adſcendat ad DEUM, qui per naturalia etiam ſua dona mederi vult quandoq́; animi paſſionibus.*

h) *l. c.*

§. 22. Quanquam verò hæc ita ſint, non tamen, ceu dicere incepimus, penitus improbamus iſtum morem, ceu ex humanitate profectum, quo miſeris, qui ob perpetrata delicta ad locum ſupplicij ducendi ſunt, & ducuntur, vel ducti ſunt, contra nimiam triſtitiam & mœrorem, potu vini ſuccurritur, ad mitigandum horrorem ſupplicij, & metum ſenſus ejuſdem: Non vero ut morituro rationis uſus tollatur. Hoc enim, exercitium pœnitentiæ, & ſeriam ad beate moriendum præparationem turbat, imo impedit. Unde non

pro-

probandum, quod Ebræi olim, ceu id factum fuiſſe, (inclinata procul dubio Republica) ex *Maimonde*, & *Moſe Kozenſi*, *Goodvvinus* a) refert, *hora executionis dari* ſoliti fuerint *reogranum thuris in calice vini, ut turbarent cerebrum rei, mentemq; abalienarent, quo minus cruciatum ſentiret.* Facinoroſis enim non omnis horror & ſenſus cruciatuum eximendus eſt, cum finis pœnarum, alios ſcil. deterrere, ne ſimile committant, alias non obtineretur.

a) *Rit. Ebr.* l. 5. c. 7. §. 7.

§. 23. Dimiſſis aliis affectibus, *Spes* quoque ad agendum mortales impellit, & agere jubet. Quid in humanis rebus ſpes poſſit, *Maximus Tyrius* a) explicat. Πάλαι γὰρ ἂν, ἀπούσης ἐλπίδος, καὶ ὁ χρηματιστὴς ἐπαύσατο χρηματιζόμενος, καὶ ὁ μισθοφόρος στρατευόμενος, καὶ ὁ ἔμπορος πλέων, καὶ ὁ λῃστὴς λῃζόμενος, καὶ ὁ ἀκόλαστος μοιχεύων, *ſi ſpes*, inquit, *ex humanis rebus exulaſſet, jam diu commercia ſua negotiator, & ſtipendia miles, & navigationem mercator, & rapinas ſuas prædo, & nocturna intermiſiſſet furta ſcortator.* *Quid plura?* ait Maſſilienſis Eccleſiæ Presbyter *Salvianus*, b) (cum paulo ante dixiſſet, *omnia in rebus humanis ſpes futurorum agere.*) *Pax quoq; inter feras ac barbaras gentes ſpe innititur, & fide adſtipulante firmatur. Latrones quoq; ipſi & ſanguinarij, fidem ſibi invicem non negant, & quæ promiſerint mutuo, ſervatores eſſe confidunt.* Ita patet, qua ratione ſpes referri poſ-

a) *Differt.* 37. p. m. 369.

b) 2. *contr. avar.* p. 79.

ſit tam ad bona, quam ad mala, ſub ratione boni nimirum apprehenſa. Etſi vero *Polybio* c) videatur, *τὴν περὶ τοῦ μέλλοντος ἐλπίδα, μηδένα τῶν νῦν ἐχόντων ποτ' ἂν εὐλόγως βεβαιώσασθαι, de futuro ſanæ mentis neminem certam ſpem ſibi eſſe ſponſurum*: Prout tamen major vel minor rei ſperatæ probabilitas apparet, ita in contrahendo, & in damno dato æſtimando, ejus ſolet haberi ratio. Sic apud *Puſendorf.* d) *peculiare genus emtionis* explicatur, *qua non certa res, ſed probabilis tantum ſpes emitur, cui ex conventione contrahentium pretium conſtituitur*; hac lege, ut neque emtor à venditore id poſtulare poſſit, ſi ſpes multum fefellerit, neque venditor queri debeat, ſi ea multum abundaverit: Exempli gratia à *Weſembecio* e) referuntur *fructus futuri*, *captura piſcationis*. Similiter in locationis conductionis contractu contingit haud raro, ut rei locatæ, vineæ v. c. vel horti proventus ſit incertus. Conveniunt itaque paciſcentes, prout probabiliter iſte exuberans ſperari, & malignus metui poteſt, hac lege, ut quemadmodum exuberans iſte proventus conductoris lucro, ita malignus ejuſdem damno accidat: Niſi caſus, qui proventus iſtos impediunt, ita comparati ſint, ut contrahentes, vel prudenter contracturi, tales non credantur ante oculos habuiſſe. Præterea cum, *Grotio* f) ex *Soto* & *Leſſio* monente, damni dati nomine etiam fructus ſperati veniant, modo probabiliter quis illos fuerat perceptu-

c) *l.* 3. *hiſt.* c. 31.

d) *I. N.* G. 5. 5. 6.

e) *Paratitl. Dig. de contrah. emt.* §. 7. *p. m.* 441.

f) *I. B. P.* 2. 17. 4. *ad. Puſendorf. I. Nat. G.* 3. 1. 3.

ceptururus, & proinde etiam æſtimationem damni dati ingrediantur, uti *ſpes lucri æſtimatur ſecundum propinquitatem ad actum*, uti Grotius g) loquitur, ita pari ratione lucrum ceſſans, damnumque datum æſtimantur; illorumque *æſtimatio*, explicante *Puſendorfio*, h) *intenditur & remittitur, prout fructus ſperati longius aut propius à fine incerti proventus remoti fuerint.* Minor æſtimatur meſſis in herba perdita, quam ſi ariſtæ jam flaveſcunt. Ita quanquam homo occiſus, membra etiam hominis, nullam admittant æſtimationem, quando tamen damna, ex cæde v. c. mariti, ſervi, & læſione membrorum data, ſunt æſtimanda, de quo *Dicaſtillo* i) videndus, fieri id ſolet, poteſtque cæteris paribus, prout major vel minor ſpes fuit percipiendæ majoris minoriſve utilitatis ex cæſi vita, vel ex uſu membrorum, niſi ille ſublatus impedituſque fuiſſet. Quod ſi vero falſa ſpe quis alterum lactaverit, fraudeque ad agendum, contrahendum, paciſcendum, promittendum induxerit; ceu *Cicero* k) Pythium quendam, Syracuſis Cajo Canio equiti Romano impoſuiſſe refert; uti dolo malo, qui pacto promiſſove cauſam dedit, res fuit peracta, ita non ſolum ex iſto facto ſuo paciſcens promittenſque non obligatur, ſed & ad reſtitutionem damni emergentis, lucrique ceſſantis, ejuſmodi *perfidus, improbus, malitioſus*, qualis Pythius, uti *Ciceroni* appellatur, tenetur.

g) *l. c. §. 5.*

h) *l. c.*

i) *de I. & I. l. 2 tract 2. diſp. 7. dub. 4. ſq.*

k) *3. Offic. 14.*

a) *Comm. in 2. 2. Thom. de contract. de uſur. dub. 5. n. 5. p. m. 115.*
b) *l. c. dub. 1. l. c.*
c) *dub. 5. 15.*
d) *Grot. l. B. P. II. 12. 21.*

§. 24. *Iohannes de Salas*, a) Salmanticenſis Doctor, etſi uſuram, hoc eſt *lucrum ſupra ſortem exactum tantum propter mutuationis officium*, uti ex *Heroaldo* loquitur, b) *tanquam pretium mutuationis, reddendum pro mutuo ex obligatione juſtitiæ*, c) accipere, juri naturali contrariari pronunciet, de quo ſuo tempore: *Licitum tamen eſſe* concedit, *mutuare non ſolum cum ſpe recipiendi aliquid ultra ſortem, ſi alias etiam eram mutuaturus*, (quam ſpem aliqui *concomitantem* appellant) ſed etiam *mutuare cum ſpe recipiendi aliquid ultra ſortem, etiamſi ſine tali ſpe non eſſem mutuaturus*: Dicitur hæc ſpes aliis *antecedens*. Verumenimvero licet id quod ex liberalitate, gratitudine, & benevolentia mutuatarij accipitur, uſuræ nomine non veniat, cum hæc ex certo genere pacti ſit; d) non tamen apparet, qui ſpes, & intentio comparandi aliquid ultra ſortem, quod ex benevolentia, gratitudine, aut liberalitate mutuatarij proveniat, antecedenter ad dationem mutui ſe habens, excuſari poſſit, ſi ex ratione pacti, & ſic ex *obligatione juſtitiæ*, uti *Salas* loquitur, à mutuatario aliquid accipere non liceat. Cum enim ſpes iſta antecedens ſit appetitio quædam ejus quod ultra ſortem expectatur, ita ſe habens, ut quis non eſſet mutuo aliquid daturus, niſi ab alterius benevolentia tale lucrum ſperaret, quod tanquam finem ſuæ mutuationis intendit; ſane ſi honeſte tale commodum appetere & tan-

tanquam finem etiam, imo, quod vult iſta ſpes antecedens, tanquam cauſam ſine qua non hujus ſuæ dationis, alias non futuræ, intendere licet, qui pacti objectum iſta intentio eſſe non poſſit, non apparet; cum intentio mutuo dantis eadem ſit in utroque caſu, ſive ab alterius gratitudine, ſive ab ejuſdem juſtitia, iſtud lucrum poſtulare poſſit, poſtuletque, jure licet ibi imperfecto, hic vero perfecto, id faciat: quæ diverſitas ad mutuo accipientem potius pertinet, & in eo ſuam vim exerit, quam ad mutuo dantem; cujus intentio in utroque caſu eadem.

§. 25. *Deſperatio Ciceroni* a) dicitur *ægritudo, ſine ulla rerum expectatione meliorum.* Oritur hæc ægritudo ex opinione & apprehenſione rei tam vera, quam erronea. Illa fit prudenter per non appetitionem ejus, de quo certo conſtat, quod obtineri non poſſit, vel non debeat. Hinc nec de eo conſequendo, vel retinendo, ulterius conſultatio inſtituitur. ὐδεὶς βουλεύεται περὶ τῶν ἀνελπίςων, *nemo conſultat de rebus deſperatis*, ait *Ariſtoteles.* b) Unde Hannibal prælio à Scipione victus, cum Pœnorum res perditas & deſperatas vidiſſet, ubi Carthaginem rediit, *faſſus eſt*, ſcriptore *Livio*, c) *non prælio modo ſe, ſed bello victum; nec ſpem ſalutis alibi, quam in pace impetranda eſſe.* Similiter in deliberatione: *Libertas an pax placeat*, cujus mentio fit apud *Tacitum*, d) rebus perditis & deſperatis, *ubi*, uti *Grotius* e) loqui-

a) *l.* 4. 77. *Tuſc. P.* 213.

b) R*hetor. l.* 2. *c.* 5.

c) *l.* 30.

d) 4. *Hiſt.* 67

e) *I. B. P. l.* 2. *c.* 24. 6

loquitur, *recta æſtimatio futuri, nihil ferme aliud, quam totius populi exitium videtur portendere,* recte fit, ſi omiſſa ulteriori deliberatione, pax & vita pluris libertate æſtimantur,
f) *l. c.* annuente *Grotio*; f) cum non minus prudenter, quam fortiter, noſtræ ſaluti debemus conſulere. *Omnibus fere gentibus,* B. inquit *Au-*
g) *l. 18. de civ. Dei c. 2. t. V. opp.* *guſtinus* g) *quodammodo vox naturæ iſta perſonuit, ut ſubjugari victoribus mallent, quibus contigit vinci, quam bellica omnifaria vaſtatione deleri*; miraturque illos, *qui perire, quam ſervire maluerunt.* Meretur etiam talis deſperatio excuſationem. Cleon apud *Thucydid.* h)
h) *l. 3. f. 95.* εἴ τινες, inquit, ὑπὸ τῶν πολεμίων ἀναγκασθέντες ἀπέστησαν, ξυγγνώμην ἔχω, *ſi qui, quod ab hoſtibus compelluntur deſciſcunt, veniam do.* Habent enim humana ſemper exceptionem neceſſitat inſuperabilis.

§. 26. Contingit vero nonnunquam, ut jacturam boni, quod deſperamus, concomitetur, vel conſequatur malum aliquod, quod homines vehementer exhorrent, ad quod declinandum omni hinc niſu moventur. Turpe illud jam, jam triſte eſt. Singulari hinc nonnunquam incenduntur audacia ad illud depellendum, ita ut voluntaria etiam morte, ceu minori malo, & quod boni rationem habere videtur, illud evitare, aut certe finem illius quærere non dubitent, turpi timiditate. Accidit etiam interdum, ut tali audacia incenſi, dum malum quod metuunt ita declinare,

vel

Digitized by Google

vel finire conantur, ſingulari caſu ex improviſo emergente, novam ſpem boni deſperati conſequendi concipiant. Hoſti fugienti *viam hinc, qua fugiat, muniendam* cenſuit Scipio, apud *Vegetium*, a) quod *clauſis ex deſperatione creſcat audacia, & cum ſpei nihil eſt, ſumat arma fortitudo.* Imo uti loquitur *Polyænus*. b) πολλάκις ἀπόνοια δίδωσιν, ὅσα μὴ ἔδωκεν ἀνδρεία, *ſæpe numero deſperatio dat hominibus, quod non dat fortitudo.*

a) *l. 3. de re milit. c. 21.*

b) *lib. 1. Strateg.*

§. 27. Cæterum ad deſperata conſilia non facile deſcendere licet, vel à rebus deſperatis petere conſilij factique alicujus excuſationem; cum non ſolum neceſſitas incolumitatis neceſſitati honeſtatis debeat cedere, quod tamen ut plurimum in tali rerum ſtatu non contingere ſolet: *Deſperatis rebus*, ait *Livius*, a) *honeſta cedunt utilibus*; ſed & anceps Reip. ſtatus majoribus objiciatur periculis: Ne dicam, deſperationem, ſtatu rerum dubio, ex erronea opinione reique apprehenſione ſæpe naſci, mente noſtra præcipiti conſternatione atque metu turbata. Laudatur hinc à *Floro* b) Varro conſul, quod poſt cladem Cannenſem *non deſperaverit*; cui etiam Romæ à Senatu & populo gratiæ actæ ſunt, quod Rempublicam *non deſperaſſet*, boni civis officio functus: qui etiam *Paulo Diacono* c) dicitur *reliquo ætatis ſuæ tempore approbaviſſe, quod non vitæ cupiditate, ſed amore reipublicæ ſuperfuiſſet.*

a) *l. 23.*

b) *l. 2. c. 6*

c) *Hiſtor. Miſc. l. 5. c. 10.*

Digitized by Google

§. 28. Datur tamen deſperate agendi facultas, hoc eſt talia faciendi, quæ quis, niſi boni, vel rei ſperatæ conſequendæ ſpe prudenti judicio penitus excidiſſet, non ageret; ſi ingruens neceſſitas, & quod minatur malum, ſalva honeſtate tolerari non poſſit, ut illi quocunque modo repugnare, quam aliquid, quod pietatem & bonos mores lædat, committere malimus. Ita cum ſit ſancta deſperatio, quæ deſperat vitam æternam, abnegata vera religione, mortem intrepide pati præſtat potius, quam violentiæ externæ impie cedendo ſuccumbere: Martyrum exemplo, qui *Ammiano Marcellin.* a) notante, *deviare à religione compulſi, pertulere cruciabiles pœnas, adusq; glorioſam mortem intemerata fide progreſſi.* Deſperatum ergo Catonis conſilium, in quo deprædicando tantopere *Seneca*, b) poſt alios, occupatur, qui rebus Pompeji deſperatis, *in gladium incumbendo*, uti *Valerius Maximus* c) loquitur, mori potius, quam ſub Cæſare vivere maluit, probare non poſſumus; cum Cæſaris victoris dominationem perferre, quam nemo mutare poterat, bonos mores non læſerit: Verum licet interim ſit illud *Antiphon.* d) ὐδὲν πικρότερον τῆς ἀνάγκης ἔδοξεν εἶναι, *nihil neceſſitate amarius videtur.*

a) *l. 22. c. 28.*

b) *de pro-vid. c. 2.*

c) *l. 3. c. 3.*

d) *Orat. 3.*

§. 29. Præterea rebus prudenti judicio deſperatis, audaciæ extraordinariæ contra emergentia mala datur excuſatio, ſi rationabiliter apparet, conatu ſuccedente novam ſpem

poſſe

poſſe concipi, irrito vero facto, rem non majoribus involvi difficultatibus. Tale fuit conſilium factumque Leonidæ, qui cum ex oraculo, de quo *Herodotus*, a) cognoviſſet, ἢ Λακεδαίμονα ἀνάστατον γενέσθαι ὑπὸ τῶν βαρβάρων, ἢ τὸν βασιλέα σφέων ἀπολέσθαι, *fore ut aut Sparta everteretur à barbaris, aut Rex ejus occumberet*; ubi ſuos ita firmavit, ut *ire ſe paratos ad moriendum animo ſcirent*, uti ex *Trogo Pompejo* refert *Iuſtinus*, b) in prælium cum paucis ruit, *ut vinceret, aut majore gloria cum paucis aut minore damno republicæ caderet.* Nihil denique ejuſmodi factis, quæ rebus perditis & deſperatis ſuſcipiuntur, contra honeſtatem fieri debet; id quod illi fecerunt, qui metu ſtupri, quod aliter evitari non poſſe videbatur, ſe interfecerunt. c) Quanquam vero hæc ita ſint, nullam tamen eſſe minus probandam, quam quæ de republica fit deſperatio, cenſemus. Quæ ſi fit de Eccleſia, plane homine Chriſtiano indigna eſt; & in promiſſionem Chriſti d) impia.

a) *l.7.c.220.*

b) *l. 2. c. 11.*

c) *Euſeb. H. E. l. 8. c. 12.*

d) *Math.* 16. 18.

§. 30. Ex furore vero irrationali, & impatienti animi inquietudine, profecta fuit deſperatio, quæ proin, ceu jure talia agendi deſtituta, excuſationem non admittit, qua Xanthij, apud *Appianum*, a) ἐλευθερίας ἕνεκα, *libertatis amore*, omnes ſuis, ſuorumque manibus potius cadere, quam victoris gratiam experiri maluerunt. Ἁλούσης, inquit *Appianus*, τῆς πόλεως οἱ Ξάνθιοι ἐς τὰς οἰκίας συνέτρεχον, καὶ τὰ

a) *Bell. Civil. l. 4. f.* 635.

φίλτατα σφῶν κατεῖργον, ἑκόντα τὴν σφαγὴν ὑπέχοντα, capta urbe Xanthij ſe intra privatas ædes ſuas recipiebant, & chariſſimum quemq; necabant ultro præbentem jugulum. Crudelitatis hujus, quam furibunda peperit deſperatio, rabies eo ſceleratior fuit, quod *cum Brutus miſeratus virorum ad libertatem natorum generoſam indolem, ad pacem eos invitaverit per nuntios, illos interfecerint, & contrucidatis prius ſuis omnibus, atq; in rogos compoſitis, ſubjecta flamma poſtrema ſeipſi jugulaverint.*

§. 31. Quid ex ſceleris conſcientia profecta deſperatio poſſit, ut ceu ultimus conatus aliquid adhibeatur ad evitandum malum, cujus fugam nulla ulterius alia ratione ſperare licet, Aſtapenſis in Hiſpania urbis interitus exemplo patet, quod *Livij* a) verbis explicare placet: *Oppidani conſcientia ſcelerum, quia nec deditio tuta ad tam infeſtos* (Romanos) *videbatur, nec ſpes mœnibus aut armis tuendæ ſalutis erat, facinus in ſe ac ſuos fœdum & ferum conſciſcunt. Locum in foro deſtinant, quo pretioſiſſima rerum ſuarum congererent: ſuper eum cumulum conjuges ac liberos conſidere cum juſſiſſent, ligna circa extruunt, faſceſq; virgultorum conjiciunt: quinquaginta deinde armatis juvenibus præcipiunt, ut donec incertus eventus pugnæ eſſet, præſidium eo loco fortunarum ſuarum, corporumq; quæ cariora fortunis eſſent, ſervarent, ſi rem inclinatam viderent,*

a) *l.* 28.

atq;

atq; in eo jam eſſe, ut urbs caperetur: ſcirent omnes, quos euntes in prælium cernerent, mortem in ipſa pugna obituros, illos ſe per Deos ſuperos inferosq; orare, ut memores libertatis, quæ illo die aut morte honeſta, aut ſervitute infami finienda eſſet, nil relinquerent, in quod ſævire iratus hoſtis poſſet. Ferrum ignemq; in manibus eſſe. Amicæ ac fideles potius ea, quæ peritura forent, abſumerent manus, quam inſultarent ſuperbo ludibrio hoſtes: Dira adjecta exſecratione, ſi quem à propoſito ſpes mollitiave animi flexiſſet. Explicat dein autor, quomodo rebus deſperatis cives *turbam fœminarum, puerorum imbellem inermem ceciderint, & in ſuccenſum rogum ſemianima pleraq; injecerint corpora, riviq; ſanguinis flammam orientem reſtinxerint, poſtremo ipſi cæde miſeranda ſuorum fatigati, cum armis medio incendio ſe injecerint.* Ita ſuo ſcelere perierunt, quos etiam dubiam victoris gratiam experiri decuerat.

§. 32. Ex prudenti denique, quæque ſanæ rationis dictamine regitur, deſperatione, oritur jus agendi ex *ratione belli & ſtatus.* Diverſimode vero cum civilis prudentiæ Doctores vocibus his utantur, placet nobis, quod B. *Bœclero* a) *per rationem ſtatus proprie dictam illa fieri cenſeantur, quæ modo & ratione extraordinaria, & ſubſidiaria, ad ſummum finem fortiter aut ſolerter accommodantur.* Quando enim in eo ſtatu res ſunt, ut ordinariis mediis

a) *Animadverſ. in Hippol. a Lapide de Rat. Stat. prol. p. 9.*

diis ad finem intentum nos perventuros eſſe deſperemus, verâ non imaginaria data neceſſitate, ex illo rerum ſtatu ſingulari principium petitur, & petere licet, ex quo formentur concluſiones pro præſenti rerum habitu, eoque tantum exiſtente uſurpandæ. Norma harum ſunt leges divinæ morales, regulæ juris univerſaliores, peculiaris negotiorum honeſte ſuſceptorum ſtatus, atque finis licite intenti neceſſitas vera, licet regulis, quas ſtatu rerum ordinario dato obſervare ſolemus, non reſpondere videantur, ceu quæ habitu rerum plane extraordinario orto, cum uſus illarum ceſſet, quieſcere cenſentur, loco interim relicto mediis extraordinariis, & ſubſidiariis. *Non*, uti præclare monet *Vir Illuſtris, Dn. Obrechtus*: b) *quod rerum aut negotiorum conditio ipſam juris atq; honeſti naturam dirigat, atq; formet: ſed quia deductis in certum ſtatum, habitumq; negotiis, ea actiones juri ac honeſtati deſinunt contraria eſſe, quæ ſecundum hunc negotiorum habitum, ſtatumque, ad finem neceſſarium, tanquam media propria & adæquata, coordinantur*: Quæ non honeſtatis, ſed rerum eſt mutatio. Peccavit ergo Jeroboamus, c) ex imaginaria neceſſitate, ne tribus gentis Ebræorum, à ſe deficiendo rurſus redirent ad Domum David, à qua defecerant, ſi in ſacrorum & templi communione cum cæteris fratribus, qui Rehabeamo fideles permanſerant, perſiſterent, & contra legem DEI cultum vitulo-

b) *De Ration. Bell. c. 2. §. 3.*

c) *1. Reg. 12. 26.*

tulorum idololatricum inſtituens. Bene *Grotius*, d) *non debuerat*, inquit, *Ieroboamus decurrere ad ejuſmodi vaframent a: ſed* DEO, *qui regnandi ipſi autor erat, confidere, & facere quod ſui erat officij.* Ulterius: Deſperata pace inter gentes oritur bellum, quod non ad ordinarium, ſed extraordinarium generis humani ſtatum, atque quæ in illo locum habent, ſubſidia, referendum, ut obtineatur illud *Thucydidis*: Ἐκ πολέμου μὲν εἰρήνη μᾶλλον βεβαιοῦται, c) *magis confirmatur ex bello pax*; quando ſcil. ſub hac, quod haud raro contingit, non Mars gravior latet, ut imago potius pacis dici debeat, quam vera pax.

d) *Not. in III. Reg. c.*

c) *l. 1. f. m. 40.*

§. 33. Sequuntur Jura *Pudoris*. Eleganter de hoc philoſophatur *L. v. Velthuyſen*: a) *Pudor*, inquit, *à natura homini tuendæ & conſervandæ dignitatis & exiſtimationis ſuæ cuſtos datus eſt: Quemadmodum* DEUS *homini alias paſſiones largitus eſt ad tutelam: metus enim infamiæ reprimit animum, ne procaciter, inordinate, aut turpiter quid peragat.* Hinc *Tertulliano* b) monente, *omne malum, aut timore, aut pudore natura perfudit*: tam ex metu pœnæ, quam ex opinione & ſenſu inconvenientiæ, qua nos, noſtrumque ſtatum lædi illius turpitudine exiſtimamus. Obſequendum ergo huic pudori eſt, quatenus, cum ſit naturæ noſtræ rationalis & ſocialis affectus, ex hujus dictaminibus iſtius ſenſus oritur. *A quibus hinc matrimoniis contrahendis natura rationalis*

a) *de pudor. Nat. p. m. 2.*

b) *Apol. c. 1.*

c) *Comm. Grot. P. II. p. 170.* *nalis non depravata abhorret, illa B. Bœclero* c) *omnino neceſſario naturæ dictato interdicta videntur.* Addit: *Qui naturalem pudorem audit, vocem naturæ jubentem audit.* Imo non ſolum in naturæ noſtræ rationalis & ſocialis ſano dictamine jura pudoris naturalis fundantur, ſed & iſtorum congruentiam à corporis noſtri fabrica derivare licet. Sic enim

d) 1. *Offic.* 35. Cicero: d) *Natura corporis noſtri magnam videtur habuiſſe rationem, quæ formam noſtram reliquamq́ figuram, in qua eſſet ſpecies honeſta, eam poſuit in promptu; quæ autem partes corporis, ad naturæ neceſſitatem datæ, aſpectum eſſent deformem habituræ atq́ turpem, eas contexit atq́ abdidit.* Fœditas itaque humanæ naturæ tam mere naturalis, quam quæ & moralis, nuditas v. c. membrorum rebellium, uti tegi debet, ita detecta non caret pudore: cum talem ab aliis aſpici & videri, indecorum eſſe cenſemus, vel metuimus, ne id noſtram dignitatem minuat, & reprehenſionem mereatur, ex ſanæ rationis dictamine, atque lumine pra-

e) *Rom.* 1. 32. ctico, ad quod etiam *Paulus* e) provocat. Sed de hoc infra forte rurſus. Cauſa hæc etiam eſt,

f) *NaVig. ad terr. ignot. c.* 4. quare, uti *Aloyſius Cadamuſtus* f) autor eſt, Azenagas, Africæ populum, *æque oris pudeat, quod totum cooperiunt, atque pudendorum, nec illud detegant, niſi ſumendi cibi cauſa; ideo quod velut ſentina quædam, halitum tetrum ſemper emittat.* Dignitatis quippe ſuæ cum ex amore ſuimet ipſius ſit amantiſſimus homo,

deli-

Digitized by Google

delicataq; quadam æſtimatione ſeipſum complectatur; inde quando cenſet, aut ſuſpicatur, vel in ſe, vel in ſuis, vel denique in facto ſuo, & ſuorum, aliquid hærere vitij, culpæ, imperfectionis, propter quod ab aliis minoris æſtimari, viliorque haberi, contemni denique poſſit, perturbatur naturaliter, commotuſque erubeſcit, atque ſi aliter mutare defectum neſcit, tegere eundem, & occultare conatur.

§. 34. Pudor hic, cui ratio modum ponere, illiuſque arbiter eſſe debet, uti reliquorum affectuum, oritur vel ex eo, quod aliquid commiſſum eſt contra jus naturæ, quod naturâ turpe; ſic, ut aliorum ſe indignorum, ita & ſcelerum puduit Neronem, ut dixerit *Suetonio* a) autore, *vivo deformiter & turpiter*: a) *Ner. c. 49.* Vel quod peccatur contra decorum naturale, & contra id, quod hominum ex naturæ ſuæ conditione, dignitate & excellentia, naturaliter decet: Vel quando dictum factumque aliquod peccat contra id, quod eſt conveniens perſonæ, vel rei, citra tamen neceſſitatem moralem, quanquam ad bene eſſe morale pertineat, ornatumque quendam convenientem rei ſuperaddat. Unde cum nihil agere debemus, propter quod pudore ſuffundamur, *primi generis pudor* prohibet omnia, quæcunque rationalitati & ſocialitati naturæ noſtræ repugnant; qualia ſunt conjugia etiam inter parentes & liberos, quibus diſtinctiſſimæ ſocietates, nuptialis & paterna, confunduntur, ſub-

ſublatis officiis perpetuis, quibus parentes & liberi, quamdiu tales manent, ſibi invicem obligantur. Graviter fœditatem hanc, & fœdam confuſionem, ordinem matrimonialem, & jura ſocietatum harum, legibus naturæ contenta, pervertentem, exhibet *Philo*, b) ἀσέλγημα vocans, πατρὸς εὐνὴν τετελευτηκότος, ἣν ἄψαυστον ὡς ἱερὰν ἐχρῆν φυλάττεσθαι, καταισχύνειν, γήρας δὲ καὶ μητρὸς αἰδῶ, μὴ λαμβάνειν, τὸν αὐτὸν δὲ αὐτῆς υἱὸν καὶ ἄνδρα γίνεσθαι, καὶ πάλιν τὴν αὐτὴν υἱοῦ μητέρα καὶ γυναῖκα, καὶ τοὺς ἀμφοῖν παῖδας, τοὺς μὲν πατρὸς ἀδελφοὺς, υἱωνοὺς δὲ τῆς μητρὸς, καὶ τὴν μὲν ὧν ἔτεκε μητέρα τε καὶ μάμμην. Τῶν δὲ ὧν ἐγέννησεν, ὂν ταυτὸν πατέρα τε καὶ ὁμομήτριον ἀδελφὸν, *conſpurcare defuncti patris thalamum, cui maxima debebatur religio, matri nullam exhibere reverentiam, filium eundem & maritum fieri, matrem viciſſim uxoris nomen aſſumere, communes libros patris quidem fratres, matris vero nepotes cenſeri. Hanc prolis ſuæ matrem ſimul eſſe ac aviam, illum filiarum patrem & germanum uterinum.*

b) *de LL. Spec. f.* 600.

§. 35. *Secundi ordinis pudor* non ſolum has inter parentes & liberos nuptias iniri non vult, ſed & conjugia fratrum & ſororum præprimis improbat, cæteraque iſta matrimonia, quæ à DEO ſunt in Gentilibus etiam punita: a) cui pudori naturali potiſſimum illa contrariantur. De quo non ſolum communi conſenſu præcipui noſtrates Theologi, integra Collegia Theologia, & Conſiſtoria Eccleſiaſtica; ſed

a) *Levit.* 18. & 20.

Digitized by Google

ſed & doctiſſimi quique etiam ex Reformatis, & ex his nuper *Heideggerus*, b) in diſp. ſuper c. 18. & 20. Levit. contra ſingularizantes *Bezam*, & *Zanchium*. Licet enim jure naturali nuptiæ hæ non ſimpliciter prohibeantur, non tamen cum *Michaële Epheſio* c) ſtatuendum, τὸν ἀδελφὸν μίγνυσθαι τῇ ἀδελφῇ ἐξ ἀρχῆς ἀδιάφορον, *fratrem cum ſorore concumbere à principio indifferens fuiſſe*: Quandoquidē, quod attinet horum connubium, ob originis cōmunionem, qua ambo parentum ſuorum caro & ſanguis ſunt, ſicut cum ſanguine parentum, in illorum propria perſona, ſuum miſcere ſanguinem, fœditate non caret morali fœdiſſima, naturali & neceſſario ſe exerente pudore; ſic nec abſque tali pudore, à turpitudine hac revocante, miſcebitur idem cum ſanguine parentum in ſorore. Ita quemadmodum natura partes corporis, quarum partim uſus fœdus, partim concupiſcentia turpis, deformem habent atque turpem aſpectum, contexit atque occultavit; ſic non ſolum illarum nuditas tegi, ſed & earundem uſus ad opera & actiones, ad quas ordinantur, in occulto inſtitui debet, quod tam nobile animal, quale homo, & quod tam delicata æſtimatione ſeipſum metitur, ejuſmodi fœditates ita dedecere ſentiantur, ut non abſque rubore ejuſdem ab aliis obſervari poſſint; niſi Cynicorum d) caninæ impudentiæ ſubſcribere quis malit.

b) *Diſſ. ſelect. t. I. diſp. 18.*

c) *in Ariſtot. 5. Nicom. c. 7.*

d) *Laërt. l. 6. Hipparch.*

§. 36. Etſi vero, inter Barbaros inpri-

mis, prava educatione, & perverſa quæ penitus invaluit conſuetudine, hic ſecundi ordinis pudor perire poſſit, ut Braſilianorum, atque incolarum inſulæ Socotoræ, itemque fœminarum in Mozambicenſi Æthiopiæ exterioris regno, *Dappero* a) referente, exemplo patet, apud quos æque viri ac fœminæ prorſus nudi incedunt; mira tamen interim vis pudoris naturalis, quod nuditatem hanc, & alias pudoris naturaliter oborientis cauſas attinet, apparet. Uti enim in ſexu fœmineo, ceu imbecilliori, facilior, ut aliorum affectuum, ita quoque pudoris datur ſenſus, ſic pudore naturali in viris penitus extincto, illius igniculos in fœminis adhuc obſervare interdum licet. Certe de hominibus terræ Magellanicæ autor eſt, ex *Adolphi Deckeri* Diario Claſſis Naſſovicæ, Vir celeberrimus, Dn. *Iulius Reichelius*, b) Collega noſter honoratiſſimus, quod viri prorſus nudi incedant, fœminis majori pudore ambulantibus. Manet etiam ſæpe pudor primi ordinis, & quoad alia turpia, malis licet moribus pudor ille ſingularis perierit, quo de de ſua nuditate erubeſcendum. Sic enim *Oſorius* c) de Braſilianis refert, quod etſi nuditatis membrorum pudore non tangantur, *illic* tamen *nec filias parentibus, nec ſorores fratribus collocare licuerit; in adulterio autem deprehenſas vel occiderint, vel tanquam ſervas vendiderint.*

a) *Afric. deſc. p.* 660.

b) *Exercit. de terra Auſtral. p.* 18.

c) *de geſt. Emanuel. l.* 2. *p.* 50.

§. 37. *Tertij generis pudor* illa obſer-

vari

-ari vult, quæ, modo in ſe non ſint turpia, mo-
ibus receptis pro honeſtis habentur, & decora
unt: De quibus *Cornelius Nepos*, a) *non omni-* a) *Proleg.*
us, inquit, *eadem ſunt honeſta atq; turpia, ſed*
mnia majorum inſtitutis judicantur. Id cum
Græcorum & Romanorum diverſis moribus
lluſtraſſet, ſubjicit, ea quæ apud illos facta
unt, apud hos *partim infamia, partim humi-*
lia, atq; ab honeſtate remota poni; & horum
tiam moribus pleraq; eſſe decora, quæ apud il-
os turpia putantur. Præcipit idem pudor,
it quis ſuo muneri, ætati, ſexui; convenienter
e gerat, nec contra τὸ πρέπον peccet. Unde
videmus erubeſcentes homines etiam de illis,
quæ in ſe ſunt ἀδιάφορα, perſonæ tamen, tem-
pori & loco, minus congrue dicta atque facta,
ubi aliis obſervantur, vel illis innoteſcunt.
Hujus generis eſt, quod *Cicero*, b) *Plutarchus*, b) *1. Offic. c. 35.*
c) & alij rerum Romanarum ſcriptores tra-
diderunt, quod apud Romanos *puberes filij* c) *t. 2. opp. qq. Rom. f. 274.*
cum parentibus, cum ſoceris generi lavare non
ſoliti fuerint, *cujus generis verecundiam etiam*
retinendam cenſuit Cicero. d) Sic ſi quis apud d) *l. c.*
nos, notus licet, honeſtiorem matronam oſ-
culo ſalutaret, cum noſtris moribus id non
ſit receptum, rubore utiq; illa ſuffunderetur.

§. 38. Pudori itaque noſtro uti parcere
debemus, ſic & alieno. Nam non ſolum gra-
vi cum injuria conjunctum eſt, ſi pudori vis
injuſta infertur, quæ in teneriorum animos
tam alte haud raro deſcendit, ut dolorem hinc

exortum ſuſtinere nequiverint, ceu illorum exemplo patet, qui ne vim talem pati cogerentur, ſe ipſos interficere maluerunt; ut *Euſebius* a) autor eſt, matronam quandam Antiochenam, ut ſuæ & filiarum pudicitiæ conſuleret, ſe cum illis in flumen conjeciſſe; ſed etiam tanto ſimul periculo exponitur, ut ſemel amiſſus vix redeat. Candaulis certe uxor apud *Herodot.* b) ubi mariti artibus ſe à Gyge nudam eſſe viſam intellexit, quod non apud *Lydos tantum, ſed & fere apud cæteros quoq; barbaros magno probro erat,* inito cum Gyge de occidendo marito conſilio, *ejus mox ſanguine dotata, regnum viri & ſe pariter adultero tradidit,* notante *Iuſtino.* c) Unde *redire,* ait *Seneca,* d) *cum perit, neſcit pudor.* Favor hinc defenſæ pudicitiæ, etiam cum cæde petulantis invaſoris, oritur, ita ut juſte non in foro tantum externo, ſed etiam interno, talis occidi multis credatur. Delicate itaque haberi vult pudor alienus, quo ne ſuffundantur homines, etiam crudeles eſſe malunt, ceu meretricum infanticidarum exemplo patet, quas, ne magiſtratus pœnam ſubire cogantur, infamiæ metus crudeli pudore in partum ſævire impellit. Factum adoleſcentuli cujuſdam, quod à Socrate factam reprehenſionem ferre non poterat, ſeipſum ſuſpendentis, ita tradidit *Plutarchus*: e) Σωκράτης λακτίσαντος αὐτὸν νεανίσκου θρασέως μάλα καὶ βδελυροῦ, τοὺς ἀμφ' αὐτὸν ὁρῶν ἀγανακτοῦντας καὶ σφαδάζοντας,

ὡς

a) *H. E. l. 8. c. 12.*
b) *l. 1.*
c) *l. 1. c. 8. 11. 19.*
d) *Agamen. v. 113.*
e) *t. 2. Opp. de puer. educ. f. 10.*

ὡς καὶ διώκειν αὐτὸν ἐθέλειν, ἆρα, ἔφησε, καὶ εἴ με ὄνος ἐλάκτισεν, ἀντιλακτίσαι τοῦτον ἠξιώσατε ἄν; οὐ μὴν ἐκεῖνός γε παντελῶς κατεπράξατο· πάντων δὲ αὐτὸν ὀνειδιζόντων, καὶ λακτιστὴν ἀποκαλούντων ἀπήγξατο, *Socrates calce impetitus ab adoleſcentulo admodum feroce & impuro, quum ſuos videret indigne id ferre, ac fremere, adeo ut illum in jus quoq; trahere cogitarent: Quid ergo, inquit, An ſi me aſinus calce percuſſiſſet, juſſuri eratis, ut contra calcem ei impingerem? Neq; tamen inultum plane id adoleſcens tulit, ſed omnibus ei facinus hoc exprobrantibus, atq;* Calcitronem *appellantibus, ſuſpendio vita ſeſe exuit.* Remoram tamen punitivæ juſtitiæ, quo minus graviter delinquentes cum ſui confuſione publica puniantur, id non injicere debet; cum metu infamiæ tales meritò coërceantur, & vis pudori delinquentis illata, pars pœnæ juſtæ ſit, quod illius, ante commiſſum delictum ſenſu, ſe non paſſus ſit à ſcelere revocari. Ubi vero exempli neceſſitas talem non exigit rigorem, nil impedit, quo minus locum habeat illud *Seneca*: f) *Meliorem illum facies ferendo; utiq; pejorem exprobrando. Non eſt, quod frontem ejus indures: ſine, ſi quid pudoris reſidui, ſervet. Sæpe dubiam verecundiam vox convicianti clarior rupit. Nemo id eſſe quod etiam videtur, timet. Deprehenſus pudor amittitur.* Ex noſtris B. *Hieronymus*, g) *ingenia*, inquit, *liberaliter educata, facilius verecundia quam metus ſuperat. Et quos tor-*

f) *l. 7. de benef. c. 28.*

g) *t. 1. opp. Epiſt. ad Pammach. f. m. 75.*

menta non vincunt, interdum vincit pudor. Unde in Japonia, cum furor hoſtium Chriſtiani nominis fruſtra omnis generis tormenta adhibuiſſet, quo fœminas ad ejurandam religionem Chriſtianam adigeret, pudorem fœmineum, in gente hac plane ſingularem, tandem, referente *Bernhard. Varenio*, h) aggreſſus eſt, fruſtra licet. Alio ſenſu *pudor vetare* dicitur, quod lex permittit, de quo *Grotius.* i)

h) *de Relig. in Iapon. c. 11. p. 197. ſq.*

i) *l. 3. I. B. P. c. 10. §. 1.*

§. 39. Aliter pudorem virginalem ex puniendi jure aggreſſi ſunt Mileſij, apud *A. Gellium* a) obtinueruntque quod intenderunt. Cum enim virgines fere omnes in illorum civitate, *repente ſine ulla evidenti cauſa, voluntas cepiſſet obeundæ mortis, ac plurimæ vitam ſuſpendio amiſiſſent, idq; in dies accideret crebrius, neq; animis earum mori perſeverantium medicina adhiberi quiret, decreverunt, ut virgines, quæ corporibus ſuſpenſis demortuæ forent, ut eæ omnes nudæ cum eodem laqueo, quo eſſent prævinctæ, efferrentur. Poſt id enim decretum virgines voluntariam mortem non amplius petierunt, pudore ſolo deterritæ tam inhoneſti funeris.* Mortuis quippe etſi ſenſus non inſit, viventes tamen honeſte adhuc haberi volumus poſt fata noſtra, tangitque vivos confuſio quædam, ex amore honeſti & ſui ipſius orta, cogitantes inhoneſte ſecum poſt mortem actum iri: qua magiſtratus etiam legitime, ad con-

a) *Noct. Attic. l. 15. c. 10.*

continendum in officio vivos, qui morte ſe pœnam evitare poſſe ſperant, uti poteſt.

§. 40. Tyrannicum fuit quod de Tiberio *Suetonius* a) memoriæ prodidit, quod *immaturas puellas, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatas prius à carnifice, dein ſtrangulari* voluerit. Ita Sejani filiam à carnifice laqueum juxta compreſſam, *exin oblifis faucibus*, tradit *Tacitus*; b) *ſcilicet*, ut recte de hoc facto judicavit B. *Bœclerus*, c) *ut crudelitas horrenda etiam ludibrio cumularetur*. Hoc nimirum eſt *novum illud jus, cujus machinator non alius potuit eſſe, quam tyrannus, cui inter primas regnandi leges fuit omnis juris everſio*; eodem judice.

a) *Tiber. c.* 61.

b) 5. *Annal.* 9. 3.

c) *in Suet. diſſert. de Tib. §.* 21.

§. 41. Tale quoque eſt illud jus belli, quod fœmineo pudori vim impune inferri permittit, imo & jubet. Sæpius ſtupra quidem in fœminas in bellis permiſſa leguntur, ſed moratioribus improbata. Unde *Thuanus* a) in Corbolij expugnatione, *in fœminas etiam ac virgines, impotenti libidine ſævitum ab Hiſpanis* tradidit, *magno gentis ad diſciplinam militarem præ aliis, ut ſibi videtur, nata dedecore*. Nimirum qui actus per ſe eſt turpis, qualis eſt ſtuprum fœminæ, etiam hoſtili, per vim illatum, ille jure belli exerceri non poteſt, cum non minus honeſte, quam fortiter bella ſint gerenda: Finis etiam ejuſdem alius vix eſſe poſſit, quam efferatæ libidinis expletio. Unde nec minis, ad terrorem hoſti fa-

a) *hiſt.* 99. *f.* 88.

Digitized by Google

ciendam, honeſte illum addi poſſe cenſemus. Conſentiunt *Grotius*, b) *Zouchaus*, c) alij.

§. 42. De Juribus *Iræ* aliquid adhuc addendum. Vehementiſſimus hic eſt affectus: *In jaculum, quodcunq; ferit, dementia mutat: Omnibus armatur rabies pro cuſpide ferri. Cuncta volant dum dextra ferox in vulnere ſævit, pro telo geritur, quicquid ſuggeſſerit ira*, canit *Claudianus*: a) & talis ira vere furor audit. Facilius tamen cadere iracundiam *in fœminas, quam in mares, Plutarchus* b) monet, quas ἀνδρῶν ὀργιλωτέρας eſſe ſcribit, explicatque *Tiraquellus*. c) Eodem *Plutarcho* d) notante, iracundiores ſunt νοσοῦντες ὑγιαινόντων, καὶ γέροντες ἀκμαζόντων, καὶ κακῶς πράττοντες εὐτυχούντων, *ægroti quam ſani, & ſenes juvenibus, rebus adverſis utentes proſperam habentibus fortunam*. Unde non eodem plane modo de juribus iræ cenſendum. Juſta illa eſt, quæ ex juſta oritur cauſa. Ὁ μὲν ἐφ᾽ οἷς δεῖ, καὶ οἷς δεῖ ὀργιζόμενος, ἔτι δὲ καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε, καὶ ὅσον χρόνον, ἐπαινεῖται, *qui* enim *quas ob res, quibuſcunq; hominibus oportet, iraſcitur: præterea vero & quemadmodum, quo tempore, & quamdiu oportet, laudatur*, monente *Ariſtotele*. e) Juſte autem iraſcimur factis, & dictis, quæ pietatem lædunt, quæ ſunt contra bonos mores atque honeſtatem, tranquillamque humani generis conſociationem turbant. Unde quanquam non laudatur ira ex impatientia nata; permiſſa tamen, atque exemplis ſancto-

b) *l. B. III.* 4. 19.
c) *Iur. Fec. P. II. ſect. X. q. 17. p. m.* 379.

a) *Epigram.* 28.

b) *t. 2. Opp. Dial. de ira cohib. f.* 457.
c) *de Leg. connub. Gloſ. I. par. 9. n* 184. *ſqq.*
d) *l. c.*

e) 4. *Eth. c.* 5.

ctorum f) probata eſt, quam format juſtitiæ zelus. *Iraſci enim peccanti, ut corripiatur, nullus ſanæ mentis reprehendet*, gravi B. *Auguſtini* g) judicio. Neſcit ſane humani generis ſocietas conſiſtere, ubi malo reſiſtere, injuſtumque vindicare non eſt conceſſum. Et cum omne animans illa declinare quærat, quæ nocitura videntur, ad finē hunc obtinendum, non audaciam tantum, ſed & iram natura conceſſit, quæ hinc cos fortitudinis dicitur.

f) *Exod.* 11. 8. c. 16. 20. 2. *Sam.* 13. 21. *Nehem.* 5. 6. *Act.* 17. 16.

g) *t. V. Opp. l.* 14. *de C. D. c.*

§. 43. Cum itaque ira ſit vindictæ appetitio, juſte hanc quoque appeti conſtat, ubi juſtitiæ intereſt tam univerſalis, quam particularis, improbe dicta & facta, cunctaque quæ juſtitiam tam univerſalem quam particularem lædunt, non relinqui inulta, & citra correptionem. Juſtæ proin iræ effectus ſunt bella, tam quæ injuriæ propulſandæ, quam quæ illatæ vindicandæ, aut pœnæ inferendæ gratia geruntur; duella item publica, bellorum compendia, ſi illa juſta ſunt, legitima; pœnæ item & ſupplicia, quibus juſto dolore animadvertitur in delinquentes. *Πάντως μὲν τινὰ δεῖ δίκην τὸν ἀεὶ κακουργοῦντα διδόναι omnino opus eſt, ut unoquoq; tempore in maleficos homines animadvertatur*, ait Agrippa apud *Dionem*. a) Aſt quæ privati doloris explendi gratia tantum inſtituitur, in aliena involando jura, ultio injuſta eſt, tollitque vitæ ſocialis ordinem, qui non niſi effectum imperij in perſonam in civitate illam eſſe vult. Unde cum,

a) *l.* 52.

 ut

b) 4. Var. Epiſt. 4.

ut *Theodoricus* loquitur apud *Caſsiodorum*, b) *hinc legum reperta ſit reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu*, duella privato conſilio honoris partim conſervandi, reparandique gratia ſuſcepta, cædem adulteri, furori potius, quam juſto dolori tribuimus; ad cujus exceſſum talia rectius pertinere, nec omni culpa carere, judicantur, vehementior licet iræ impetus talia committentes abripuerit, & indignationis cauſa juſta fuerit.

a) 1. Offic. c. 11.

b) I. B. P. l. 2, c. 1. §. 9.

§. 44. Nimirum quæ ex ira fiunt, juſta licet ex cauſa, ratione modi etiam quo peraguntur juſta eſſe debent, ne quid injuſte, crudeliter, ſuperbe, & ex privati tantum doloris ſenſu committatur. *Sunt*, inquit *Cicero*, a) *quædam officia adverſus eos ſervanda, à quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus*. Quando itaque *Grotius* b) *illum, qui injuria me parat afficere, hoc ipſo mihi dare jus contendit, hoc eſt facultatem quandam moralem adverſus ſe in infinitum, quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo*: niſi æquitas, humanitas, juſtitia atque charitas principio huic fines poſuerint, omnis generis furor atque crudelitas, mali alicujus arcendi gratia exercita, inprimis ea, quæ ex ratione ſtatus atque belli fieri dicuntur, quocunque fiant modo, ceu juſte, certe non injuſte facta prædicari, aut excuſari poterunt. Sapior illorum eſt diſciplina, & fini conſociationis humanæ convenientior, quæ neceſſitatem

in-

Digitized by Google

incolumitatis, neceſſitati honeſtatis, & legibus naturalibus cedere jubet. Unde effatum hoc, quod ex Scholaſticis c) *Grotius* imbibit, ex ipſo *Grotio* d) etiam limitate accipi debet, quando, quod *in bello juſto actus quidam interna juſtitia careant*, tum *admittendum eſſe negat*, quod dicitur: *omnia dat, qui juſta negat.* Camillus certe, etſi bellum inter Romanos & Faliſcos, *neutro inclinata ſpe*, non ſine animorum exacerbatione ſic gerebatur, ut *diuturnus videretur labor futurus*, Faliſcorum pueros, *quorum parentes capita ibi rerum fuerant*, à magiſtro proditos accipere noluit; *nobis*, inquiens apud *Livium*, e) *cum Faliſcis, qua pacto fit humano, ſocietas non eſt: quam ingeneravit natura, utriq; eſt, eritque. ſunt & belli ſicut pacis jura: juſteq; ea non minus, quam fortiter didicimus gerere.* Et mox: *Ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, ſicut Vejos vincam.* Propiora contra ſi conſideramus, Carolus Guſtavus Sueciæ Rex, *Paſtorio*, f) Polono ſcriptori, *novo & atroci ultionis genere ſuam in Gedanenſes iram effudiſſe* dicitur, *perfoſſa parte aggeris illius, quo depreſſius ſolum contra Iſtulæ vim defenditur, aquas fluminis in ſubjectam urbi inſulam immittendo, obrutis non ſatis tantum & paſcuis; ſed & incolis ſubito aquis circumdatis, ægre ſe, & ſua periculo ſubducentibus, & in vicina dilapſis.* Idem ſcriptor mox, *inhumanum iratæ potentiæ opus* hoc appellavit. Negarique nequit, diverſis gen-

c) *Bannez.*
d) *l. 3. I. B. c. 11. §. 1.*
e) *l. 5.*
f) *Flor. Pol. l. 7. p. 592.*

b) 4. Var. Epiſt. 4.

ut *Theodoricus* loquitur apud *Caſſiodorum,* b) *hinc legum reperta ſit reverentia, ut nihil manu, nihil proprio ageretur impulſu,* duella privato conſilio honoris partim conſervandi, reparandique gratia ſuſcepta, cædem adulteri, furori potius, quam juſto dolori tribuimus; ad cujus exceſſum talia rectius pertinere, nec omni culpa carere, judicantur, vehementior licet iræ impetus talia committentes abripuerit, & indignationis cauſa juſta fuerit.

a) 1. Offic. c. 11.

b) I. B. P. l. 2, c. 1. §. 9.

§. 44. Nimirum quæ ex ira fiunt, juſta licet ex cauſa, ratione modi etiam quo peraguntur juſta eſſe debent, ne quid injuſte, crudeliter, ſuperbe, & ex privati tantum doloris ſenſu committatur. *Sunt,* inquit *Cicero,* a) *quædam officia adverſus eos ſervanda, à quibus injuriam acceperis. Eſt enim ulciſcendi & puniendi modus.* Quando itaque *Grotius* b) *illum, qui injuria me parat afficere, hoc ipſo mihi dare jus contendit, hoc eſt facultatem quandam moralem adverſus ſe in infinitum, quatenus aliter malum illud à me arcere nequeo:* niſi æquitas, humanitas, juſtitia atque charitas principio huic fines poſuerint, omnis generis furor atque crudelitas, mali alicujus arcendi gratia exercita, inprimis ea, quæ ex ratione ſtatus atque belli fieri dicuntur, quocunque fiant modo, ceu juſte, certe non injuſte facta prædicari, aut excuſari poterunt. Sapior illorum eſt diſciplina, & fini conſociationis humanæ convenientior, quæ neceſſitatem

in-

Digitized by Google

incolumitatis, neceſſitati honeſtatis, & legibus naturalibus cedere jubet. Unde effatum hoc, quod ex Scholaſticis c) *Grotius* imbibit, ex ipſo *Grotio* d) etiam limitate accipi debet, quando, quod *in bello juſto actus quidam interna juſtitia careant*, tum *admittendum eſſe negat*, quod dicitur: *omnia dat, qui juſta negat.* Camillus certe, etſi bellum inter Romanos & Faliſcos, *neutro inclinata ſpe*, non ſine animorum exacerbatione ſic gerebatur, ut *diuturnus videretur labor futurus*, Faliſcorum pueros, *quorum parentes capita ibi rerum fuerant*, à magiſtro proditos accipere noluit; *nobis*, inquiens apud *Livium*, e) *cum Faliſcis, quæ pacto fit humano, ſocietas non eſt: quam ingeneravit natura, utriq; eſt, eritque. ſunt & belli ſicut pacis jura: juſteq; ea non minus, quam fortiter didicimus gerere.* Et mox: *Ego Romanis artibus, virtute, opere, armis, ſicut Vejos vincam.* Propiora contra ſi conſideramus, Carolus Guſtavus Sueciæ Rex, *Paſtorio*, f) Polono ſcriptori, *novo & atroci ultionis genere ſuam in Gedanenſes iram effudiſſe* dicitur, *perfoſſa parte aggeris illius, quo depreſſius ſolum contra Iſtulæ vim defenditur, aquas fluminis in ſubjectam urbi inſulam immittendo, obrutis non ſatis tantum & paſcuis; ſed & incolis ſubito aquis circumdatis, ægre ſe, & ſua periculo ſubducentibus, & in vicina dilapſis.* Idem ſcriptor mox *inhumanum iratæ potentiæ opus* hoc appellavit. Negarique nequit, diverſis

gen-

c) *Bannez.*
d) *l. 3. I. B. c. 11. §. 1.*
e) *l. 5.*
f) *Flor. Pol. l. 7. p. 592.*

gentium judiciis id fuiſſe exceptum ; *Loccenio* g) licet, quibus idem defenſum iret, ſuæ neque rationes, neque exceptiones defuerint.

g) *Hiſt. Suec. l. 9. p. 779.*

§. 45. Cæterum licet, quando de jure iræ diſquiritur, illud negari non poſſit, ea quæ ex ira modum excedente, juſta licet de cauſa, gravi ſcil. & ingenti injuria, fiunt, non omni carere culpa, *Ariſtoteli* a) agnita, & diſtinctius *Platoni* b) explicata; ſi tamen ſubſequentem habent pœnitentiam, aliquam tum admittunt excuſationem, ſcil. quando inter injuriam, mentem delinquentis loco moventem, & ultionem, nullum tempus interceſſit, ita ut delictum in ipſo calore iræ fuerit commiſſum. Cum enim, ut *Zacchias* c) loquitur, *homo tunc extra mentem eſt, & rationi non obediens*, vehementiori iræ impetu mentis impos redditur, dolus, vel certe tantus, ut alias, non videtur habere locum, nec talem iram eatenus, & ſpeculative loquendo, ordinariam luere debere pœnam cenſendum. Prolixius hæc diſputat *Rachelius*, d) & ex Moralium Doctoribus idem monet *Caſtro Palaus*, e) quî *ira voluntarium liberum minuat*, explicans.

a) *5. Ethic.* 10.
b) *de LL. l. 9. f. m. 657.*
c) *qq. Medico Leg. l. 2. tit. 1. q. 6. p. 52. n. 23.*
d) *de Princip. act. moral. diſp. 2. §. 5. ſqq.*
e) *Op. Moral. p. 1. Tr. 2. diſp. I. punct. 5.*

§. 46. Hac de cauſa in civitate nonnunquam *ira ſua indulſiſſe fraudi non fuit*: doceturque *Valer. Maximo* a) aliquot exemplis privatorum, *quos in vindicanda pudicitia dolore ſuo pro publica lege uſos*, tradit. Solent nimirum, ſolitique ſunt Legiſlatores, nonnunquam extra ordinem, & in pœnam ma-

a) *l. 6. c. 1. n. 13.*

malitiæ invaleſcentis, ex odio ſcelerum, & favore innocentis atrociter læſi, ceſſante inprimis judicio, laxare frena juſto dolori, & privato auſu exercitam vindictam pro publica declarare, vel loco ejus, quæ publice infligi non potuit, quod judicis nulla copia fuerit, habere, certe nulli ſubjicere pœnæ. Nec erraverit, meo quidem judicio, ſi quis dixerit, hac etiam ratione niti legem non Ebræorum ſolum, ſed & aliorum populorum, de *fure nocturno impune occiſo*, quæ ob ancipitem rerum ſtatum, plus oppreſſo, & ſcelere nocturno petito, quin & *ſive* iræ, ſive conſternationi ejuſdem tantum favet, ut ejuſmodi nocturnus aggreſſor impune quocunque modo occidi poſſit; interim minime illorum improbata diſciplina, quæ naturali etiam æquitati legem hanc reſpondere contendit. Hinc non ſolum populus Romanus abſolvit M. Horatium Tergeminum, parricidij reum, quod *Dionyſio Halicarnaſſ.* b) ſcriptore, *iratus per latus ſororis enſem adegerat*, quum lugeret Curiatium ſponſum, à fratre pro Rep. ex condicto pugnante interfectum, *oblita*, ut credebat juvenis, *fratrum mortuorum vivique*, *oblita patriæ*, ut loquitur *Livius*; c) quia ex judicio *Valerij Maximi*, d) *immaturum virginis amorem ſevere magis, quam impie punitum exiſtimaverat*: Verum Jure etiam Romano legis Corneliæ *de Sicariis* pœnæ non fuit obnoxius maritus, *ſi*, uti *Papinianus* e) loquitur, *uxorem in adulte-*

b) *Antiquit Rom. l.* 3. 5.

c) *l.* 1.

d) 8. 4. 1.

e) *D. l.* 38. *ad l. Jul. de adult.* §. 8.

rio

rio deprehenſam, impetu tractus doloris interfecerit: quod & Divus Pius in hæc verba reſcripſerit Apollonio: Ei, qui uxorem ſuam in adulterio deprehenſam occidiſſe ſe non negat, ultimum ſupplicium remitti poteſt, cum ſit difficillimum juſtum dolorem temperare: Bene licet addat Imperator, talem *ſe vindicare non debuiſſe, & plus feciſſe*, quam fieri ſcil. debebat.

f) *l. 20. cod.* Plus eodem jure f) indulgetur iræ patris, *cui jus datur occidendi adulterum cum filia, quam in poteſtate habet. Ideo autem*, uti habet JCti

g) *l. 22. cod.* ratio, g) *patri, non marito mulierem, & omnem adulterum permiſſum eſt occidere, quod plerunque pietas paterni nominis conſilium capit pro liberis, cum mariti calor & impetus facile decernens fuerit refrænandus.* Parere autem

h) *tom. I. P. II. cap. 7. §. 7. n. 15. & 21.* hæc impunitatem in foro externo tantum, non juſtitiam facti internam, alibi monetur, explicaturque *Covarruvia* h) etiam.

§. 47. Patet hinc quoque, quid de *calore juvenili*, & de illis, quæ ex calore juvenili fiunt, habendum. Sæpius enim accidit, ut ira facile ſubeunte ejus impetu abripiantur ad ultionem, ad cædem etiam committendam,

a) *t. II. opp. de Virt. Moral. f. 450.* juvenes: Νέοι μὲν, inquit *Plutarchus*, a) καὶ ὀξεῖς καὶ ἰταμοὶ περί τε τὰς ὀρέξεις διάπυροι καὶ οἰστρώδεις αἵματος πλήθει καὶ θερμότητι, *adoleſcentum cupiditates ob copiam & calorem ſanguinis celeres, feroces, atq; rabidæ ſunt.* Unde

b) *5. Æneid.* de Gya *Virgilius*: b) *Tum vero exarſit juveni dolor oſſibus ingens, nec lacrymis caruere genæ, ſegnemq; Menœtem*, navis rectorem, invito Gya pro-

proram ad pelagi undas detorquentem, *oblitus decoriſq; ſui, ſociiſmq; ſalutis, in mare præcipitem puppi deturbat ab alta.* Duella ex calore hoc orta conſtat, mutuis ſe vulneribus conficientibus partibus. De aliis, qui luſibus indulgent, verum eſt illud *Ovidii*: c) *Ira ſubit, deforme malum, lucriq; cupido, jurgiaq; & rixæ, ſollicituſq; dolor. Crimina dicuntur, reſonat clamoribus æther, invocat iratos & ſibi quiſq; Deos.* Culpa nimirum talia minime carent, licet ea major minorque ſit, prout major vel minor fuit in agendo libertas, ex minori majorive affectus perturbationis vehementia relicta; ita ut, quæ ex ejuſmodi calore juvenili furente atque præcipiti fiunt, jam ἀδικήματα ſint, ſeu injuriæ, jam ad μοχθηρίαν, improbitatem, proxime accedant, certe plurimum de ea participent. Pertinet huc *Platonis* d) diſciplina, ſupra jam laudata, ea quæ ex iræ impetu fiunt diſtinguentis: θυμῷ γὰρ δὴ πέπρακται καὶ τοῖς ὅσοι ἂν ἐξαίφνης μὲν καὶ ἀπροβουλεύτως τοῦ ἀποκτεῖναι, πληγαῖς ἤ τινι τοιούτῳ διαφθείρωσί τινα, παραχρῆμα τῆς ὁρμῆς γινομένης, μεταμέλειά τε εὐθὺς τοῦ πεπραγμένου γίνηται· θυμῷ δὲ, καὶ ὅσοι προπηλακισθέντες, λόγοις ἢ καὶ ἀτίμοις ἔργοις, μεταδιώκοντες τὴν τιμωρίαν, ὕστερον ἀποκτείνωσί τινα, βουληθέντες κτεῖναι, καὶ τὸ πεπραγμένον αὐτοῖς ἀμεταμέλητον γίγνηται, *per iram enim facit & qui ſubito absque voluntate interimendi verberibus, vel quovis modo interfecit, ita ut confeſtim poſt impetum pænitentia ſequatur: & qui contumelia vel in-*

c) 3. de arte amandi.

d) de LL. l. 9. f. 657.

injuria laceſſiti, ideoque in vindicta cupiditate perſeverantes, poſtea volentes interfecerunt, nec pœnitet ea feciſſe. Jure hinc Romano e) *in delictis minor 25. annis non meretur in integrum reſtitutionem, utiq; atrocioribus: niſi quatenus interdum miſeratio ætatis ad mediocrem pœnam judicem produxerit.* Monet idem, explicavitque eximie *Alberic. Gentilis.* f)

e) *D. l. 37. de minor.*

f) *Ad Vor. Hiſp. l. 1. c. 14. p. m. 62.*

§. 48. Affectuum injuſtitiam etiam majorem minoremve debere conſiderari, quando pœnarum taxatio ex merito inſtituitur, *Grotius* a) recte monuit. Hæc ne ultra meritum fiat, prudens ejus fieri debet examen, & uti aliarum circumſtantiarum, ita quoque affectuum ejus, qui deliquit, cum affectuum impetu complures ad delinquendum abripiantur. Cum vero affectus naturaliter exoriantur ex perſecutione boni & fuga mali: DEVS enim, *quum hominem primum fingeret, mirabili providentia ingeneravit ei,* ut *Lactantius* b) loquitur, *iſtas animi commotiones*: & proin alij ſint motus appetitus noſtri, tam rationalis quam irrationalis, appetentes ſive concupiſcentes bonum, alij declinantes & fugientes malum; omnes equidem æque naturales cenſeri debent: *Omni* enim *animantium generi, Cicerone* c) monente, *à natura hoc tributum eſt, ut ſe, vitam, corpuſq; tueatur, declinetq; ea quæ nocitura videantur; omniaq; quæcunq; ad vivendum ſint neceſſaria, inquirat, & paret*: plus ſpontanei tamen & libertatis habent

a) *l. B. P. II. 20. 29.*

b) *l. 6. c. 15.*

c) *1. Offic. c. 5.*

bent illi appetitus, quos major elicit voluptas ob bonum ſive verum, ſive apparens, quam motus & impetus, qui mali & noxij declinandi gratia exoriuntur. Hic enim neceſſitas, rationem voluntarij minuens, favorem parit, loco excuſationi relicto, cum ibi, in voluptatis ſcil. deſiderio, tanta vis, voluntatem licet inclinans, minime tamen cogens, ſive neceſſitans, non detur, *quod*, uti *Grotius* d) recte ob- d) *l. c. §. 31.*
ſervat, *& minus efficaciter moveat, & differri, & aliam ſibi materiam ſine injuria facilius quaerere poſſit.* Eximie haec tractavit *Ariſtoteles*, e) e) *3. Ethic. c. 1. & 12.*
qui cum docuiſſet, ea quae cupientibus & volentibus nobis fiunt, cum voluptate quadam fieri, quae invitis & nolentibus, non abſque dolore & moleſtia, f) ſic etiam loquitur: g) f) *Giſan. Com. in 3. Ethic. c. 12. p. 245.* g) *3. Eth. 12.*
Ἑκουσίῳ δὲ μᾶλλον ἔοικεν ἡ ἀκολασία τῆς δειλίας, ἡ μὲν γὰρ δι' ἡδονήν, ἡ δὲ διὰ λύπην· ὧν, τὸ μὲν αἱρετόν, τὸ δὲ φευκτόν· Καὶ ἡ μὲν λύπη ἐξίστησι, καὶ φθείρει τὴν τοῦ ἔχοντος φύσιν· ἡ δὲ ἡδονή, οὐδὲν τοιοῦτον ποιεῖ, μᾶλλον τε ἑκούσιον· διὸ καὶ ἐπονειδιστότερον, *videtur intemperantia magis quam timiditas ſponte ac voluntate ſuſcipi: Illa enim propter voluntatem, haec propter dolorem, quorum alterum optabile eſt, alterum fugiendum. Ac dolor quidem naturam ejus, qui angitur, de ſtatu ſuo deturbat & interimit: voluptas autem nihil tale facit: & proinde eſt aliquid magis voluntarium: eamq; ob rem probroſior ac flagitioſior eſt.* Alibi etiam Philoſophus probaturus, ἀδικωτέραν, *injuſtiorem* & *turpiorem* eſſe

incontinentiam in voluptatibus illa altera, quæ eſt in ira, inde probat; h) quod οὐδεὶς ὑβρίζει λυπούμενος, ὁ δὲ ὀργῇ ποιῶν πᾶς, ποιεῖ λυπούμενος· ὁ δὲ ὑβρίζων μεθ' ἡδονῆς, *quod nemo dolens ſtuprum infert alteri, ut ille qui ira incitatus aliquid facit, dolens facit: Qui enim ſtuprum infert, cum voluptate infert.*

h) *l. 7. Ethic. c. 6.*

SUBSECTIO IV.

DE

JURE CORPORIS.

§. I.

De *jure Corporis* jam agendum, & quomodo agendi poteſtatem habeamus ex eo, quod corpus nobis ſit, altera pars naturæ noſtræ eſſentialis, diſquirendum. Uti enim ſuum jus corpori competit ad complura habenda, quæ ipſi proin etiam debentur, atque non citra injuriam denegantur, ita varia naſcitur hoc nomine agendi poteſtas, acquiſitioni, uſurpationi, & defenſioni jurium corporis reſpondens. Fontes horum jurium, atque inde manantis agendi poteſtatis, ſunt *corporis cuſtodia*, quam *Paulus* Apoſtolus, a) & gentium Doctor, etiam commendat, qualem τῆς σαρκὸς πρόνοιαν, *carnis curam agere* debeamus, præcipiens; ad ſingula ejus membra, illorumque curam, variaſque neceſſitates, cum quibus illi membriſque laborandum, ſe extendens: Et na-

a) *Rom.* 13. 14.

natura humanæ dignitas, quæ nec ad quoſvis uſus membra corporis adhiberi, nec ipſum corpus quovis modo tractari patitur. Sunt enim animalis rationalis & ſocialis partes, quod non ſolum ad imaginem DEI primitus fuit creatum, ſed & ex ſenſu honeſti, & decori, delicata quadam æſtimatione ſeipſum complectitur, quod proinde ſuum ſervare vult, ſibique præſtari honorem. *Honorabilem te*, B. inquit *Auguſtinus*, b) *libenter appello, quia novi te eſſe hominem, & novi hominem ad imaginem* DEI *& ſimilitudinem factum, & in honore poſitum ipſo ordine & jure naturæ, ſi tamen intelligendo quæ intelligenda ſunt ſervet honorem ſuum.* b) *t. 2. opp. Ep.* 203.

§. 2. Ex *corporis cuſtodia*, quod ad eam iure naturali obligamur, naſcitur jus declinandi cuncta quæ nocitura ei videntur, & ad illud, ejuſdemque membra, & vires conſervandas facere creduntur; unde cibi, potus, & medicamentorum uſus neceſſarius ſit: Laudatque *Theodoretus* a) hoc nomine diſciplinam *Platonis*, τὴν ἀναγκαίαν ἐπιμέλειαν ποιεῖσθαι τοῦ σώματος, *ad neceſſariam corporis curam habendam*, monentis. Quod, etſi corpus lacerare, flagellare, membra etiam abſcindere, atque caſtrare ſeipſum non concedat, etiam *ad carnis tentationes ſuperandas*, cum, *Leſſio* b) explicante, ad hunc finem remedium hoc *neque neceſſarium, neq; conveniens, neq; utile ſit*; c) in certa tamen corporis pernicie putridum

a) *t. IV. opp. ſerm.* 12. *f.* 672.

b) *de I. & Iuſt. l.2.c.9. dub.* 14. *n.* 98.

c) *Tertull. I. côtr. Marc. f. m.* 166. *circa fin.*

membrum enſe recide
cera trahatur. Nam
um eſt, ſi poteſt, remo
malo majus malum de
ni jactura majus bo
Non tamen licet grav
& gravioribus moleſt
vitæ periculo ſe liberet
tum abigere, cum ſit æ
licet in viſceribus ejus
d) *de Offic. hom. & Civ. l.2. c.3. §.4.* *tur quidem*, inquit *Pu*
tia parentum ſoboles, u
ditionem humanam cur
riæ etiam ab ipſis parent
abeſt, ut ſit permiſſur
priſe par force, & deven
un avortement, auent
de peur qu'elle ne perd
Herau, TheologiæMo
legio Claromontano
ii, damnata ab Univer
blice proſcripta an. 16

§. 3. Jure etiar
me neceſſaria, illi abut
eum adhibent, ut fict
nant, *cadaveroſam fac*
a) *Diſſ. de pulchrit. fucat §.18.* loquitur B. *Schallerus*,
omnes credant.

Naturaq; decus merc
nec ſinere in pro
nis,

hoc genus hominum dicitur *Propertio*.b) Supra jam notavimus, qua ratione hæc ars fallendi contra jus viſus etiam ſit. Quanquam vero *Thomas* c) fucum, *qui ſit propter laſciviam, vel in contemptum DEI*, vel *pulchritudinis non habitæ fingendæ*, non item *turpitudinis ex alia cauſa provenientis*, v. c. *ægritudinis, occultandæ* cauſa, peccati loco habeat; aliter tamen Patribus viſum fuit, *Tertulliano, Cypriano*, qui integris Commentariis, *Auguſtino, Hieronymo*, qui paſſim in moris hujus vitium invecti ſunt, cum pertineat ad artes, ad fallendum, & mentiendum inventas. Turpitudinem quidem in vultu, vel alios corporis nævos occultare atque tegere, non item tota facie immutata pulchritudinem, ut aliis imponas, fucis mentiri licet. Alienam item & adulterinam faciem, priori quaſi extincta forma, ſubſtituere non decet. Nec occultandi tantum faciei nævi cujuſdam, ſed alienæ plane formæ, ac ſi revera talis foret, ſupponendæ finem habent, qui tale quid faciunt, & intentionē fallendi; ita ut etiam in caſu, quo *Thomas* fucos permittit, locum habeant verba *Auguſtini*: d) *Fucare pigmentis, quo vel* morbis etiā fœda aſpectu, *rubicundior, vel candidior appareat, adulterina fallacia eſt.* Et ſi Thomæ non ſatis eſt *Auguſtini* autoritas, addimus B. *Hieronymum*: e) *Quanto fœdior*, inquit, *tanto pulchrior. Quid faciat in facie Chriſtiana purpuriſſus & ceruſſa? quorum alterum ruborem genarum labiorumq; mentitur,*

b) *l. 1. El. 2. §. 5.*

c) *II. ſecunda. q. 169. a. 2. reſp. ad 2.*

d) *t. 2. opp. Ep. 73.*

e) *t. I. opp. Epiſt. ad Fur. f. m. 37. C.*

Digitized by Google

alterum candorem ori
ſtra obtenditur adoleſc
ſeritur. Cura inter
& naturalis pulchrit
poris, nequaquam n
centem corporis cul
viter hujus exceſſum

f) de Cult. fæmin. c. 4. & 5 f. m. 514. ſq.

Tertullian. f) Cu
croco vertere, & atri
improbaſſet, in nim
jus viri nonnunquam
proprias, inquit, præ
ſibi agnoſcit, barbam
circumdare capillum,
caniciem, primam qu
poris lanuginem, pign
guere, cætera pulveri
vigare, tum ſpeculum
inſpicere. Ex Græc

g) Pædag. l. 3. c. 2.

rem, uti par eſt, taxav
τὺς καλλωπιζομένυς
lunt viros, ob κενο

h) l. c. c. 3.

inprimis reprehend

§. 4. Prætere
gnitas, uti nec, ceu
turalis, corporis, &
ſecretiorum, nuditat

a) 1. Offic.

cero, a) ſic expreſſit
natura ipſa videtur
formam noſtram, rel
eſſet ſpecies honeſta,

autem partes corporis, ad naturæ neceſſitatem, aſpectum eſſent deformem habituræ, atq; turpem, eas contexit atq; abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, removent ab oculis, ipſiq; neceſſitati dant operam, ut quam occultiſſime pareant. Verum cum in ſtatu ante lapſum humani generis talis jam corporis noſtri fabrica fuerit, & *Lactantio* b) obſervante, *in omnibus fere quæ ſpirant, eadem ſeries & ordo membrorum ſit, ita ut in quadrupedibus idem opifex contextum ſpinæ, à ſummo capite deductum, longius extra corpus eduxerit, & acuminaverit in caudam, ut obſcœna corporis partes vel propter fœditatem tegerentur, vel propter teneritudinem munirentur:* membraque hæc etiam, ne, ſi qua illis accidit fœditas, aſpectum præbeant deformem, natura partim jam contexerit atque abdiderit, partim etiam per munditiei ſtudium contra conſuli poſſit; partium harum corporis velamento quodam tegendarum cauſa non fuiſſet opus, niſi ſimul ex indecentia quadam morali, libidine per iſtas partes turpiſſime, invito etiam homine, erumpente, aſpectum quoque moraliter turpem inprimis habuiſſent, atque haberent. Hæc eſt cauſa, cur pudenda vocentur membra, quæ idem *Lactantius*, c) *divinum & admirabile* DEI *opus ad propagandam ſucceſſionem, inexcogitabili ratione proviſum, & effectum*, non dubitavit appellare;

b) *de Opif. Dei. c. 7.*

c) *l. c. c. 13.*

lare; quibus per ſe ni
deat, ineſt, cum ſint
nunc ab illis nuditas
lis, quæ *ad hominis p*
d) *l. c. c. 7.* *valuerat*, ita ut, cenſ
neq; nudo quadrupede
gitari quicquam turpi
per genitalia ſe exerer
ri, pudori, & aliis eti
lum ex præcepto Ju
jam ſunt, ſed & ipſe
æſtimatione ſeipſum
hujus ſenſu, atque fu
tem occultare compe
divinæ juſtitiæ ſingul
bra, quibus peccatum
dientia ſua homo co
propagatur. Maxim
turpitudo, cum his i
genda illa ſunt. Apud
les gentes, pudicitiæ
tia, honeſtæ fœmina
e) *Gen.* 20. antiquiſſimo; e) de
16. *c.* 24. 64. conſtat. Notus eti
f) *Azoar.* 24. ſponſæ velo ſe ob pu
g) *l. 2. Genial. c. 5.* bant, de quo *Alexand*

§. 5. Veſtium
rius, quo tectus ince
nuditatis ſuæ probro
dus. Quamvis enim
nudi incedunt, viris

de Braſilianis refert *Oſorius*, a) *ille pudor ſingularis perierit, quo de ſua nuditate erubeſcere debebant*, judice *Lamb. Velthuyſio*; b) *Americanarum etiam inculta nuditate minus ad libidinem viros pellici*, quam nimio noſtrarum fœminarum cultu, *Lerius* contendat; attamen, cum iſte ſtatus natura humana corrupta indignus ſit, uti à barbarie, qua ad brutorum indolem degenerarunt, homines revocandi ſunt ad vitam moratiorem, ita ſenſus pudoris in illis, uſu veſtium imperato, reſuſcitandus eſt. Veſtis eſt neceſſaria in *auxilium cum corpori, tum pudori, Seneca* c) Doctore. Iniqui hinc in corpus ſuum ſunt, vimq; faciunt pudori, qui veſtibus utuntur, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut pudor poſſit.

a) *de geſt. Eman.*

b) *de Pudor. Natur. p.* 23.

c) *Epiſt.* 90.

§. 5. Sit etiam cuique ſexui ſuus veſtitus proprius. Veſte muliebri virum uti, improbat *Auguſtin.* a) & merito. Sexus enim eſt mendacium, in ſexus virilis vituperium cedens, & confuſionem contra decentem in vita ſociali ordinem inducens. Unde *Seneca*, b) *non*, inquit, *videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum fœminis veſtem?* Et *Clemens Alexandrinus*, c) ἔστων, ait, αἱ ἐσθῆτες ἁρμόζουσαι ἡλικίᾳ, προσώπῳ, τύποις, φύσει, ἐπιτηδεύμασιν, *congruant veſtes ætati, perſonæ, figuris, naturæ, ſtudiis.* Peculiari etiam lege levitatem hanc, alterius ſexus veſtitu utendi, DEUS prohibuit. d) Id quod, an ex ratione idololatriam prohibendi fuerit

a) *t.* I. *opp. f.* 539.

b) *Epiſt.* 122.

c) *Pædag. l.* 3. *c.* 11. *f.* 245.

d) *Deut.* 22. 5.

 fa-

Digitized by Google

e) *Mor. Ne-ƀoch. P. III. c. 4.*

f) *Hiſtor. Orient. l. 8 12. p. 305. ſq.*

factum, de qua ex M
ger, merito dubitam

§. 6. In ead
tate fundatur *jus e*
ræ. Non ſolum en
obitum à defuncto
quicquid eſt præſtat
mortem honeſte tra
ſiorum virgines, cu
ſuſpendio finiendi a
revocatæ fuerint, cu
forum efferrentur:
ταφία, καὶ αἰσχύνης μ
pitudinis imaginatio,
illis eventuri, ut *Plut*
perferre non potuerin
ſtræ naturæ, qua cæt
bus, prohibet, ne *ſep*
num laniatus ſit, uti
fert, ad quos à Pe
deſcendiſſe, ex *Hero*
lienum eſt, abjici co
proteri tanquam rem
conſpectu omnium
culis, ſoliq; ea pater
cultaverant, hone
habentes. Naturæ
ex morte cognoſcitu
communis tegenda
humano ἐν ἀτιμίᾳ, u

a) *Plutarch. t. 2. Opp. de Virt. Mul. f. 249.*

b) *l. 41. c 3.*

c) *l 1. c. 140.*

d) 1. *Cor.* 15. 43.

Digitized by Google

corpora humana contabeſcant. Pertinet huc *Sopatri* locus apud *Grotium.* e) e) *I. B. P. II.* 19. 2.

§. 7. Cum itaq; humanæ ſortis comune commercium decentem cadaverum humanorum curam haberi imperet, aliis placuit corpora condîta prius humo tegere, aliis comburere, aliis ſepelire. Ferinum Eſſedonum morem, quo corpora defunctorum ſuorum *laniata, & cæſis pecorum viſceribus immiſta, epulando conſumere ſoliti fuerant,* jure *dictu audituque fædum* appellavit *Pomponius Mela.* a) a) *de ſit. Orb.* 2. 1. Humandi autem ritus, qui priſcis Ægyptiis atque Ebræis probatus fuit, hodieque non Chriſtianis tantum, ſed & Turcis, aliiſque Mahummedanis, Barbaris etiam Gentilibus, ceu ex *Dapperi* Africæ populorum hiſtoria conſtat, receptus eſt, præ more corpora cremandi, propius ad humanitatem accedit, ſique cadavera defunctorum, è conſpectu honeſte remota, putrefactioni qua ſponte ſua reſolvuntur relinquimus, id quod ipſa natura intendit, quam ſi ipſi eadem conficimus. *Si paterna,* inquit B. *Auguſtinus,* b) *veſtis & annulus, ac ſi* b) 1. *de Civ. Dei* 13. *quid hujuſmodi tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes major affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utiq; multo familiarius atq; conjunctius, quam qualibet indumenta geſtamus, hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent.* Et cum naturaliter aliquid reſolvi malit in ea principia

ex

ex quibus coaluit, & per ἀνα
dam, quam natura amat, ad id
dire, unde originem traxit;
huic ordini, & corporis noſtri
corpora ita uti ſunt humo tegi,
rit, ut cum *corpus terra ſit, q*
c) *l.* 4. *capiat*, uti *Ennius* loquitur apu
d) 2 *de Legg.* P. 181. Et *Cicero* d) *redditur*, inquit,
ita locatum ac ſitum, quaſi ope
e) *Geneſ.* 3. 19. *obducitur*. Ex divino Oracul
& in terram reverteris, ulteri
mat diſciplina noſtra Chriſtian

§. 8. Cæterum hæc na
gnitas non impedit, quo minu
tomicæ corporis humani, ejus i
extremum ex cauſa delicti ſuſt
um, inſtitui poſſint, quas variæ
que neceſſitates, quibus fragilis
eſt obnoxia, potius in commu
ſalutem exigunt; ita ut referr
ea, quæ ad corpus noſtrum ſan
dum neceſſaria ſunt, neceſſitate
in ad bene vivendum, finemque
manæ pertinent. Ὑγιαίνειν σῶ
λα ῥώννυσθαι πρῶτον κτ φύσιν ἀ
θρώποις, *ſanum eſſe corpore & f*
a) *l.* 38. *ne præditum, natura primum eſt*
b) *de Veteri Medic. c.* 6. bene dicitur apud *Dionem*. a)
nomine *Hippocrati* b) *ipſa nec*
c) *de Mirac. mort. P.* 9. *c.* 35. *homines coëgiſſe Medicinam inqu*
nire. *Kornmanno* c) quidem

tiva magis probatur, utpote non tam ſæva, & iniqua in mortuos, nec tam fœda, nauſeaq; plena. Verum ſævum eſſe dici nequit, quod non ex ira, odio, alioque maligno affectu proficiſcitur; cum qui ſectiones iſtas inſtituunt, neque ſanguine, neque vulneribus, neque dolore hominum gaudeant, ſed generis humani ſalutem, & veri ad artem medicam, qua vita hominum ſocialis carere neſcit, neceſſarij inveſtigationem ſpectent. Nec iniquum cenſendum, quod ſummum civile imperium concedit, ex jure quod habet in caput civis ex delicto, ob quod de ejus vita & corpore diſponere poteſt; & quod unice, in ipſius naturæ humanæ commodum, neceſſario inſtituendum fuit.

§. 9. Injuſtæ vero quæ ſunt læſiones, juri corporis ita quidem repugnant, ut quovis modo illas declinare liceat. At quæ juſte infliguntur, ex cauſa delicti, cum hoc caſu delinquentes competentem ſuſtinent pœnam, humanæ naturæ dignitas non impedit, quo minus ob malum actionis corpore commiſſum, contra humanæ naturæ dignitatem, inflicto malo paſſionis talia patiantur, cum ut humanæ naturæ ſua dignitas rurſus aſſeratur, quam male læſam eſſe delicto, pœnæ aſperitas docet, tum ut eidem, ne ſimilem dignitatis ſuæ læſionem rurſus patiatur, caveatur. Nec hujus generis mala, pœnas ſcilicet, pro alio quam medicinali malo natura humana habet, cum

uſus

uſus illarum generi hu
to licet infligantur.
a) *Declamat. 11.* *cui nocenti*, inquit, *p*
Infinitam, judices, ſce
ſi pœnam licet eligere
ullam mortalium innoc
tineas, ſi patitur dep
maluit. Levat omne
rem, præparata ment
Fallitur quisquis huma
num atrocitate meti
invito.

§. 10. At qua
ipſi naturæ humanæ c
naturalia, horumque
pœnæ, quæ corpori in
neque ad belli jura re
itaque crudelitatis rab
a) *Act. Legat. Soc. Indic. Orient. Belg. ad Imp. Iapon. f. 234.* *noldo Montano* a) ſcrip
nes, quæ Chriſtianam
rant, in publico vitiar
ceſtuoſum cum matre
gerunt; liberos par
carnifices fecerunt in
plicio, quod perſecut
ſtianas in lupanaria o
b) *Apolog. ſub fin. f. m. 898.* Eccleſiaſtica conſtat.
Gentilibus objicit, c
quam ad Leonem, Chri
Aguetem, ſcriptore q
nus judex juſſit exſpolia

duci, ſub voce præconis dicentis, Agnem ſacrilegam virginem, Diis blaſphemiam inferentem, ſcortum Lupanaribus datam. Hoc omnem furorem ſuperat, quod honeſtas matronas, quo Chriſtianum nomen ejurarent, equorum libidini vi applicari non dubitaverint Japonenſes. De facto Tyrañico, quo Tiberius, *Suetonio* c) autore, *immaturas puellas, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatas prius à carnifice, dein ſtrangulari* imperavit: De ſtupris etiam in fœminas in bellis, ex *Grotio* d) ſupra egimus.

c) *Tib. c. 16.*

d) *l. B. P. 3. 4. 19.*

§. 11. Pudendus denique corporis humani abuſus eſt, quando ex furore plus quam hippomanico, defuncti cadaver atroci ſcelere ad turpem adhibetur libidinem; quale flagitium de priſcis Ægyptiis memoriæ prodidit *Herodotus*, a) refertque de milite quodam *Rogerus*; b) & de Periandro, Græciæ aliquando ſapiente, poſtea tyranno & uxoricida, *Suidas*, c) quem *ab Herodoto id habuiſſe*, *Menagius* d) notat. Quod licet *Pellizarius* e) *malitiam beſtialitatis includere* gratis exiſtimet, confutatus à *Diana* f) hoc nomine, non tamen ſcelus hoc *pari paſſu ambulare cum concubitu cum ſtatua*, uti *Diana* cum aliis opinatur, exiſtimamus, qui illud ex circumſtantia objecti extremum malitiæ gradum, quæ in mollitie dari poteſt, includere judicamus: Etſi, *ſæpius in praxi tale delictum accidiſſe*, ſe ex Confeſſariis cognoviſſe, idem teſtetur *Diana*. g)

a) *l. 2. c. 89.*

b) *in Chron. Angl.*

c) *t. 2. Periand.*

d) *in Laert. l. 1. Periãd. ſ. 34.*

e) *tom. 2. Man. Regul. tract. 4. c. 3. ſect. 4. § 70.*

f) *Reſolut. Moral. Part IX. tract. 9. Reſ. l.*

g) *l. c.*

AR-

alterum candorem oris
ſtra obtenditur adoleſc
ſeritur. Cura interi
& naturalis pulchritu
poris, nequaquam ne
centem corporis cultu
viter hujus exceſſum i

f) *de Cult. fœmin. c.* 4. & 5 *f. m.* 514. *ſq.*

Tertullian. f) Cum
croco vertere, & atrum
improbaſſet, in nimiu
jus viri nonnunquam
proprias, inquit, *præſti*
ſibi agnoſcit, barbam ac
circumdare capillum, d
caniciem, primam quan
poris lanuginem, pigmen
guere, cætera pulveris c
vigare, tum ſpeculum on
inſpicere. Ex Græcis

g) *Pædag. l.* 3. *c.* 2.

rem, uti par eſt, taxavit C
τὺς καλλωπιζομένυς τῶν ἀ
lunt viros, ob κενοσπουδ

h) *l. c. c.* 3.

inprimis reprehendens.

§. 4. Præterea n
gnitas, uti nec, ceu ſupr
turalis, corporis, & part
ſecretiorum, nuditatem

a) 1. *Offic.*

cero, a) ſic expreſſit: C
natura ipſa videtur hab
formam noſtram, reliqua
eſſet ſpecies honeſta, eam

Digitized by Google

autem partes corporis, ad naturæ neceſſitatem, aſpectum eſſent deformem habituræ, atq; turpem, eas contexit atq; abdidit. Hanc naturæ tam diligentem fabricam imitata eſt hominum verecundia. Quæ enim natura occultavit, eadem omnes, qui ſana mente ſunt, removent ab oculis, ipſiq; neceſſitati dant operam, ut quam occultiſſime pareant. Verum cum in ſtatu ante lapſum humani generis talis jam corporis noſtri fabrica fuerit, & *Lactantio* b) obſervante, *in omnibus fere quæ ſpirant, eadem ſeries & ordo membrorum ſit, ita ut in quadrupedibus idem opifex contextum ſpinæ, à ſummo capite deductum, longius extra corpus eduxerit, & acuminaverit in caudam, ut obſcœnæ corporis partes vel propter fœditatem tegerentur, vel propter teneritudinem munirentur:* membraque hæc etiam, ne, ſi qua illis accidit fœditas, aſpectum præbeant deformem, natura partim jam contexerit atque abdiderit, partim etiam per munditiei ſtudium contra conſuli poſſit; partium harum corporis velamento quodam tegendarum cauſa non fuiſſet opus, niſi ſimul ex indecentia quadam morali, libidine per iſtas partes turpiſſime, invito etiam homine, erumpente, aſpectum quoque moraliter turpem inprimis habuiſſent, atque haberent. Hæc eſt cauſa, cur pudenda vocentur membra, quæ idem *Lactantius,* c) *divinum & admirabile* DEI *opus ad propagandam ſucceſſionem, inexcogitabili ratione proviſum, & effectum,* non dubitavit appellare;

b) *de Opif. Dei. c. 7.*

c) *l. c. c. 13.*

lare; quibus per ſe nihil, quod hominem pudeat, ineſt, cum ſint res à DEO creatæ; licet nunc ab illis nuditas probroſa ſit inſeparabilis, quæ *ad hominis pulchritudinem mire olim valuerat*, ita ut, cenſente rurſus *Lactantio*, d) *neq; nudo quadrupede, neq; homine tecto excogitari quicquam turpius poſſit.* Libido itaque per genitalia ſe exerens, cum homini dedecori, pudori, & aliis etiam ſcandalo ſit, non ſolum ex præcepto Juris naturalis illa tegenda jam ſunt, ſed & ipſe homo delicata quadam æſtimatione ſeipſum complexus, dedecoris hujus ſenſu, atque fuga, turpem iſtam nuditatem occultare compellitur. Viſum enim fuit divinæ juſtitiæ ſingulari infamia notare membra, quibus peccatum Originale, quod inobedientia ſua homo contraxit, ad ſobolem una propagatur. Maxima ergo inordinatio, atque turpitudo, cum his in membris ſe prodat, tegenda illa ſunt. Apud Turcas, & alios Orientales gentes, pudicitiæ teſtandæ & ſervandæ gratia, honeſtæ fœminæ vultum operiunt, more antiquiſſimo; e) de quo etiam ex *Alcorano* f) conſtat. Notus etiam eſt veterum ritus, quo ſponſæ velo ſe ob pudorem obnubilare ſolebant, de quo *Alexander ab Alexand.* g)

d) *l. c. c. 7.*

e) *Gen.* 20. 16. *c.* 24. 64.

f) *Azoar.* 24.

g) *l. 2. Genial. c. 5.*

§. 5. Veſtium ergo uſus fuit neceſſarius, quo tectus incederet homo, qui pudore nuditatis ſuæ probroſæ non erat confundendus. Quamvis enim in barbaris, qui prorſus nudi incedunt, viris æque atque fœminis, uti

de

Digitized by Google

de Braſilianis refert *Oſorius*, a) *ille pudor ſingularis perierit, quo de ſua nuditate erubeſcere debebant*, judice *Lamb. Velthuyſio*; b) *Americanarum etiam inculta nuditate minus ad libidinem viros pellici*, quam nimio noſtrarum fœminarum cultu, *Lerius* contendat; attamen, cum iſte ſtatus natura humana corrupta indignus ſit, uti à barbarie, qua ad brutorum indolem degenerarunt, homines revocandi ſunt ad vitam moratiorem, ita ſenſus pudoris in illis, uſu veſtium imperato, reſuſcitandus eſt. Veſtis eſt neceſſaria in *auxilium cum corpori, tum pudori*, *Seneca* c) Doctore. Iniqui hinc in corpus ſuum ſunt, vimq; faciunt pudori, qui veſtibus utuntur, in quibus nihil eſt, quo defendi aut corpus, aut pudor poſſit.

a) *de geſt. Eman.*

b) *de Pudor. Natur. p.* 23.

c) *Epiſt.* 90.

§. 5. Sit etiam cuique ſexui ſuus veſtitus proprius. Veſte muliebri virum uti, improbat *Auguſtin.* a) & merito. Sexus enim eſt mendacium, in ſexus virilis vituperium cedens, & confuſionem contra decentem in vita ſociali ordinem inducens. Unde *Seneca*, b) *non*, inquit, *videntur tibi contra naturam vivere, qui commutant cum fœminis veſtem?* Et *Clemens Alexandrinus*, c) ἔστων, ait, αἱ ἐσθῆτες ἁρμόζουσαι ἡλικίᾳ, προσώπῳ, τύποις, φύσει, ἐπιτηδεύμασιν, *congruant veſtes ætati, perſonæ, figuris, naturæ, ſtudiis.* Peculiari etiam lege levitatem hanc, alterius ſexus veſtitu utendi, DEUS prohibuit. d) Id quod, an ex ratione idololatriam prohibendi fuerit

a) *t.* I. *opp. f.* 539.

b) *Epiſt.* 122.

c) *Pædag. l.* 3. *c.* 11. *f.* 245.

d) *Deut.* 22. 5.

 fa-

factum, de qua ex *Maimonide* e) egit *Hottinger*, merito dubitamus. f)

e) *Mor. Nevoch. P. III. c. 4.*

f) *Hiſtor. Orient. l. 8 12. p. 305. ſq.*

§. 6. In eadem naturæ humanæ dignitate fundatur *jus exequiarum*, atque *ſepulturæ*. Non ſolum enim ex præſumta, vel ante obitum à defuncto declarata voluntate, hoc quicquid eſt præſtatur officij, cum etiam poſt mortem honeſte tractari velimus, ita ut Mileſiorum virgines, cum furioſo impetu vitam ſuſpendio finiendi agerentur, ab inſania hac revocatæ fuerint, cum poſt mortem nudæ per forum efferrentur: Tanta vis fuit αἰσχρῆ φαντασία, καὶ αἰσχύνης μετὰ θάνατον ἐσομένης, *turpitudinis imaginatio, & dedecoris poſt mortem illis eventuri*, ut *Plutarcho* a) ſcriptore, *illam perferre non potuerint*: Sed etiam dignitas noſtræ naturæ, qua cæteris præſtamus animantibus, prohibet, ne *ſepultura aut avium, aut canum laniatus ſit*, uti de Parthis *Iuſtinus* b) refert, ad quos à Perſis hanc inhumanitatem deſcendiſſe, ex *Herodoto* c) conſtat. Æque alienum eſt, abjici corpus humanum exanime, proteri tanquam rem vilem & abjectam, & in conſpectu omnium diffluere, omniumque oculis, ſoliq; ea patere, quæ vivi tam ſolicite occultaverant, honeſtam ſui corporis curam habentes. Naturæ noſtræ imbecillitas ſatis ex morte cognoſcitur, fœditas poſt mortem communis tegenda eſt, ut procul à conſpectu humano ἐν ἀτιμίᾳ, uti Apoſtolus loquitur, d) cor-

a) *Plutarch. t. 2. Opp. de Virt. Mul. f. 249.*

b) *l. 41. c 3.*

c) *l 1. c. 140.*

d) *1. Cor. 15. 43.*

corpora humana contabeſcant. Pertinet huc *Sopatri* locus apud *Grotium*. e)

§. 7. Cum itaq; humanæ ſortis comune commercium decentem cadaverum humanorum curam haberi imperet, aliis placuit corpora condîta prius humo tegere, aliis comburere, aliis ſepelire. Ferinum Eſſedonum morem, quo corpora defunctorum ſuorum *laniata, & cæſis pecorum viſceribus immiſta, epulando conſumere ſoliti fuerant*, jure *dictu audituque fœdum* appellavit *Pomponius Mela*. a) Humandi autem ritus, qui priſcis Ægyptiis atque Ebræis probatus fuit, hodieque non Chriſtianis tantum, ſed & Turcis, aliiſque Mahummedanis, Barbaris etiam Gentilibus, ceu ex *Dapperi* Africæ populorum hiſtoria conſtat, receptus eſt, præ more corpora cremandi, propius ad humanitatem accedit, ſique cadavera defunctorum, è conſpectu honeſte remota, putrefactioni qua ſponte ſua reſolvuntur relinquimus, id quod ipſa natura intendit, quam ſi ipſi eadem conficimus. *Si paterna,* inquit B. *Auguſtinus,* b) *veſtis & annulus, ac ſi quid hujuſmodi tanto carius eſt poſteris, quanto erga parentes major affectus, nullo modo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ utiq; multo familiarius atq; conjunctius, quam qualibet indumenta geſtamus, hæc enim non ad ornamentum vel adjutorium, quod adhibetur extrinſecus, ſed ad ipſam naturam hominis pertinent.* Et cum naturaliter aliquid reſolvi malit in ea principia

ex

e) *l. B.P. II.* 19. 2.

a) *de ſit. Orb.* 2. 1.

b) 1. *de Civ. Dei* 13.

Digitized by Google

ex quibus coaluit, & per ἀνακύκλωσιν quandam, quam natura amat, ad id principium redire, unde originem traxit; naturali etiam huic ordini, & corporis noſtri primæ origini, corpora ita uti ſunt humo tegi, conveniens erit, ut cum *corpus terra ſit, quæ dederat, ipſa capiat*, uti *Ennius* loquitur apud *Varronem*. c) Et *Cicero* d) *redditur*, inquit, *terræ corpus, & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur*. Ex divino Oraculo: e) *Terra es, & in terram reverteris*, ulterius hoc confirmat diſciplina noſtra Chriſtiana.

c) *l.* 4.
d) 2. *de Legg.* *p.* 181.
e) *Geneſ.* 3. 19.

§. 8. Cæterum hæc naturæ noſtræ dignitas non impedit, quo minus *ſectiones Anatomicæ corporis humani*, ejus inprimis, quod extremum ex cauſa delicti ſuſtinuit ſupplicium, inſtitui poſſint, quas variæ infirmitates atque neceſſitates, quibus fragilis ejus ſtructura eſt obnoxia, potius in communem omnium ſalutem exigunt; ita ut referri poſſint inter ea, quæ ad corpus noſtrum ſanum conſervandum neceſſaria ſunt, neceſſitate medij, & proin ad bene vivendum, finemque ſocietatis humanæ pertinent. Ὑγιαίνειν σώματι καὶ εὖ μάλα ῥώννυσθαι πρῶτον κατὰ φύσιν ἀγαθόν ἐστιν ἀνθρώποις, *ſanum eſſe corpore & firma valetudine præditum, natura primum eſt homini bonum*, bene dicitur apud *Dionem*. a) Quo etiam nomine *Hippocrati* b) *ipſa neceſſitas* dicitur *homines coëgiſſe Medicinam inquirere, ac invenire*. *Kornmanno* c) quidem *ſententia negativa*

a) *l.* 38.
b) *de Veteri Medic. c.* 6.
c) *de Mirac. mort. p.* 9. *c.* 35.

tiva magis probatur, utpote non tam ſæva, & iniqua in mortuos, nec tam fœda, nauſeaq; plena. Verum ſævum eſſe dici nequit, quod non ex ira, odio, alioque maligno affectu proficiſcitur; cum qui ſectiones iſtas inſtituunt, neque ſanguine, neque vulneribus, neque dolore hominum gaudeant, ſed generis humani ſalutem, & veri ad artem medicam, qua vita hominum ſocialis carere neſcit, neceſſarij inveſtigationem ſpectent. Nec iniquum cenſendum, quod ſummum civile imperium concedit, ex jure quod habet in caput civis ex delicto, ob quod de ejus vita & corpore diſponere poteſt; & quod unice, in ipſius naturæ humanæ commodum, neceſſario inſtituendum fuit.

§. 9. Injuſtæ vero quæ ſunt læſiones, juri corporis ita quidem repugnant, ut quovis modo illas declinare liceat. At quæ juſte infliguntur, ex cauſa delicti, cum hoc caſu delinquentes competentem ſuſtinent pœnam, humanæ naturæ dignitas non impedit, quo minus ob malum actionis corpore commiſſum, contra humanæ naturæ dignitatem, inflicto malo paſſionis talia patiantur, cum ut humanæ naturæ ſua dignitas rurſus aſſeratur, quam male læſam eſſe delicto, pœnæ aſperitas docet, tum ut eidem, ne ſimilem dignitatis ſuæ læſionem rurſus patiatur, caveatur. Nec hujus generis mala, pœnas ſcilicet, pro alio quam medicinali malo natura humana habet, cum

uſus

uſus illarum generi humano ſalutaris ſit, invito licet infligantur. Bene *Quintilianus*, a) *ne cui nocenti*, inquit, *pœna præſtetur arbitrium. Infinitam, judices, ſceleribus aperitis audaciam, ſi pœnam licet eligere condemnato: nec jam ullam mortalium innocentiam trepidatione contineas, ſi patitur deprehenſus quiſq; quod ipſe maluit. Levat omnes cruciatus, omnem dolorem, præparata mentem compoſuiſſe patientia. Fallitur quisquis humana tormenta ſola nominum atrocitate metitur: nulla pœna eſt niſi invito.*

a) *Declamat.* 11.

§. 10. At quæ facta per ſe ſunt turpia, ipſi naturæ humanæ dedecus inferunt, & jura naturalia, horumque ordinem tollunt, neque pœnæ, quæ corpori infligatur, nomine venire, neque ad belli jura referri poſſunt. Efferatæ itaque crudelitatis rabiem arguit, quando *Arnoldo Montano* a) ſcriptore, Japonenſes virgines, quæ Chriſtianam religionem amplexæ erant, in publico vitiari juſſerunt; filios ad inceſtuoſum cum matre vidua concubitum coegerunt; liberos parentum, & hos illorum carnifices fecerunt in inferendo ultimo ſupplicio, quod perſecutores ſtatuerant. Chriſtianas in lupanaria olim detruſa, ex Hiſtoria Eccleſiaſtica conſtat. Unde & *Tertullianus* b) Gentilibus objicit, quod *ad lenonem potius, quam ad Leonem, Chriſtianas damnaverint.* Sic Agnetem, ſcriptore quodam *Pſeudonymo*, *inſanus judex juſſit exſpoliari, & nudam ad lupanar duci,*

a) *Act. Legat. Soc. Indic. Orient. Belg. ad Imp. Iapon. f.* 234.

b) *Apolog. ſub fin. f. m.* 898.

duci, ſub voce præconis dicentis, Agnem ſacrilegam virginem, *Diis blaſphemiam inferentem, ſcortum Lupanaribus datam.* Hoc omnem furorem ſuperat, quod honeſtas matronas, quo Chriſtianum nomen ejurarent, equorum libidini vi applicari non dubitaverint Japonenſes. De facto Tyrañico, quo Tiberius, *Suetonio* c) autore, *immaturas puellas, quia more tradito nefas eſſet virgines ſtrangulari, vitiatas prius à carnifice, dein ſtrangulari* imperavit: De ſtupris etiam in fœminas in bellis, ex *Grotio* d) ſupra egimus.

§. 11. Pudendus denique corporis humani abuſus eſt, quando ex furore plus quam hippomanico, defuncti cadaver atroci ſcelere ad turpem adhibetur libidinem; quale flagitium de priſcis Ægyptiis memoriæ prodidit *Herodotus*, a) refertque de milite quodam *Rogerus*; b) & de Periandro, Græciæ aliquando ſapiente, poſtea tyranno & uxoricida, *Suidas*, c) quem *ab Herodoto id habuiſſe*, *Menagius* d) notat. Quod licet *Pellizarius* e) *malitiam beſtialitatis includere* gratis exiſtimet, confutatus à *Diana* f) hoc nomine, non tamen ſcelus hoc *pari paſſu ambulare cum concubitu cum ſtatua*, uti *Diana* cum aliis opinatur, exiſtimamus, qui illud ex circumſtantia objecti extremum malitiæ gradum, quæ in mollitie dari poteſt, includere judicamus: Etſi, *ſæpius in praxi tale delictum accidiſſe*, ſe ex Confeſſariis cognoviſſe, idem teſtetur *Diana*. g) AR-

c) *Tib. c.* 16.

d) *l. B. P.* 3. 4. 19.

a) *l.* 2. *c.* 89.

b) *in Chron. Angl.*

c) *t.* 2. *Periand.*

d) *in Laert. l.* 1. *Periand. f.* 34.

e) *tom.* 2. *Man. Regul. tract* 4. *c.* 3. *ſect.* 4. § 70.

f) *Reſolut. Moral. Part IX. tract.* 9. *Reſ. l.*

g) *l. c.*

Articulus II.

De

JURE SOCIETATIS HUMANÆ, ET CHRISTIANÆ.

§. I.

VIdimus hactenus, exemplisq; docuimus, quæ & qualia jura agendi competant homini ſecundum ſe & abſolute; diſquirendum nunc de originibus juris agendi, quæ idem habet relate, ſeu prout refertur ad alios. Sub hac itaque ratione ſpectatus cum ſit animal ſociale, quod naturali inclinatione fertur ad vivendum in cœtu ſui ſimilium, ceu alibi prolixius explicatum: ſicut vita humana perpetuo, & multiplici mortalium inter ſe conſtat commercio, ita varium quoque & multiplex datur jus agendi, ex ipſa vitæ ſocialis atque conſociationis humanæ indole natum, quod per univerſam vitam humanam, ejuſdem ſtatus tam belli quam pacis, varioſque mortalium ordines, latiſſime ſe diffundit.

§. 2. Ex naturæ ſuæ conditione itaque cum homo ſit animal ſociale, & ad vitam ſocialem à DEO factus, pronunciante Naturæ noſtræ autore: a) *Non eſt bonum homini eſſe ſolum*; ita ut *Auguſtino* b) explicante, *quodammodo naturæ ſuæ legibus ad ineundam ſocieta-*

a) *Geneſ.* 2. 18.
b) *t. V. opp. l.* 19. *de C.D. c.* 12.

cietatem feratur; uti jus hoc ipſo habet ad finem vitæ ſocialis, ita quoque jus habet agendi propter finem vitæ ſocialis, ut illo potiatur atque fruatur. Videndum itaque quid finis ſocietatis humanæ, hujuſque cuſtodia requirat. Eximie vero Hugo Grotius c) *finem univerſalem publicam* facit *tranquillitatem, in qua & ſingulorum comprehenditur*; quod & Ricardus Cumberlandus d) monet, *in bono* inquiens, *totius hujuſce aggregati quærendo, ſingularum partium bonum contineri, quærendumque eſſe. Partium etiam ſingularum bonum diviſum poſtulare uſum rerum & operarum rationalium, quibus grata iis fiant. DEO ſc. honor exhibeatur, & ſingulis hominibus vita, valetudo, & vires conſerventur.* Nihil ergo agere licet, quo vel proprium commodum ſic intendimus, ut bonum publicum, & finem ſocietatis humanæ univerſalem plane negligamus, vel privati finis potiorem quam decet rationem habeamus. Non caret hoc injuſtitia. Cordate Cicero e) ſi, inquit, *ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſque emolumentum ſpoliet, autem violet alterum, diſrumpi neceſſe eſt eam, quæ maxime eſt ſecundum naturam humani generis ſocietatem. Vt ſi unumquodq; membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet: debilitari & interire totum corpus neceſſe eſt. Sic, ſi unusquisq; noſtrum rapiat ad ſe commoda aliorum, detrahatque, quod cuiq; poſſit, emo-*

c) *l. B. P. 1 4. 4.*

d) *de LL. Natural. c. 2. §. 3. p. 75.*

e) 3. *Offic.* 5.

emolumenti ſui gratia, ſocietas hominum communitaſq; evertatur neceſſe eſt. * Studium hoc privati commodi, quoad ea quæ illicite fiunt, eo uſque ſe extendit, ut *Thomæ* diſcipuli, f) *ultimum finem hominis peccantis bonum proprium ipſius peccatoris eſſe*, doceant. Hunc finem humanæ conſociationis univerſalem, quo minus *intereſſe univerſale humani generis* appellemus, nihil impedit.

f) *Philipp. a Trinitate in I. 2dæ Thom. diſp. III. dub. 4. Concl.*

§. 3. *Privati commodi* ergo, ut bonum commune negligatur, vel detrimenti quid accipiat, agere nil licet. Nemo enim cum alterius damno locupletari debet, aut ex aliena malignitate damnum accipere, ex ratione juris æquatorij, quo æqualiter ad hoc omnes homines obligantur, ne alteri per alterum iniquior inferatur conditio. Ex inæqualitate vero minus habenti jus oritur, ad repetenda & vindicanda ea quæ debentur; ſecundum illud: *Redde quod debes.* a) Intereſſe itaque ſingularum gentium privatum non aliud jus agendi gentibus concedit, quam ſub hac reſtrictione, ne quid fiat ſui emolumenti cauſa, cum injuria & damno alterius, contra intereſſe univerſale. *Hæc utique*, ſcribit *Ambroſius*, b) *lex naturæ eſt, quando nos ad omnem ſtringit humanitatem, ut alter alteri, tanquam unius partes corporis, invicem deferamus.* Gentilis vero officiorum Magiſtri c) quæ diſciplina ſit, Chriſtiani Doctoris verbis reſpondens, modo vidimus. Ubique nimirum inter mortales

a) *Math. 18. 24. 28.*

b) *3. Offic. 3.*

c) *Cic. 3. Off. 5.*

tales valet regula ſocialis, & præceptum juſtitiæ univerſalis, d) à *Chriſto* inculcatum: *Omnia quæcunq; volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis*: Quod in Chriſtiana etiam ſocietate, à piis ſuis, & fidelibus, obſervari vult Salvator.

d) *Matth.* 7. 12.

§. 4. Inclinat quidem corruptæ noſtræ naturæ impetus, prævalens præ affectu ſocialitatis, & rationis dictamine, ad privatum commodum, nulla boni communis habita ratione, vincitque haud raro, ſed ſine jure agendi. Coerceri enim ille debet, ceu naturali hominis *rectitudini*, a) in qua primo creatus erat, *valde bonus*, b) contrarius, nec ad figmentum purorum naturalium referri. Recte *Arnobius*, c) *procul*, inquit, *hæc abeat ſceleratæ opinionis immanitas, ut DEUS credatur omnipotens, magnarum & inviſibilium rerum ſator, & conditor, procreator, tam mobiles animas genuiſſe gravitatis ac ponderis conſtantiæq; nullius: in vitia labiles, in peccatorum genera univerſa declives.* Quemadmodum enim qui *in alteram partem claudicat, phyſice rectus non eſt, ita in quo inclinatio ad malum moralis, is non eſt rectus*, explicante *Dannhavvero*. d) Vitia itaque uti omni agendi jure in vita ſociali deſtituuntur, ita & naturalis ad illa inclinatio, ceu vitæ ſocialis tranquillitatem turbans. Unde *Bellum* rectius ſtatus naturalis, ratione corruptionis, quam *naturalis hominis ſtatus* ita ſimpliciter dicitur.

a) *Eccleſ.* 7. 30.
b) *Gen.* 1. 31.
c) *adverſ. gent. l.* 2. *p. m.* 88.
d) *Hodoſ. phæn.* 5. *p.* 433.

§. 5. *Intereſſe univerſale* humani ge-
a) *Tit. 2. 12.* neris vitæ honeſtatem, pietate non excluſa, a) & commoditatem complectitur. Utriuſque boni conſequendi gratia, uti jus naturæ, per ſanæ rationis dictamina, ordinem imperandi atque parendi in ſocietate obſervari præcipit; ſine quo hominum multitudo ferina prorſus & inſociabilis foret, bellum *Hobbianum*; b)
b) *Hobb. de Civ. c. 1.* ita modum conſtituendi ejuſdem, facultatemque liberam, conceſſit: modo boni publici, & ſecuritatis ſingulorum, ratio habeatur. Hinc, prout conducere viſum fuit, *cunctas*, ut
c) *4. Hiſtor.* *Tacitus* c) loquitur, *nationes & urbes aut populus, aut primores, aut ſinguli regunt*; idque vel omnium, majoris certe partis, conſenſu, vel victoris voluntate. Δύο τρόπους κτήσεως eſſe dicit Tullius apud *Dionyſ. Halicarnaſſ.* d)
d) *l. 3.* καθ' οὓς ἄνθρωποι γίνονται τῶν ἀλλοτρίων κύριοι, τόν τε ἀναγκαῖον καὶ τὸν ἑκούσιον, *duos modos acquirendi, quibus homines earum rerum, quæ alterius fuerint, dominium aſſequuntur, neceſſarium & voluntarium.* Quod ſi ad civitatis conſtitutionem applicare velimus, illud *neceſſarium* non erit intelligendum ſine omni plane conſenſu, atque pacto tacito illorum, qui à vi prævalente coguntur; atque illorum habendum numero, quæ ut *Ariſtot.* e) loquitur, διὰ
e) *l. 3. Ethic. c. 1.* φόβον μειζόνων κακῶν πράττεται, ἢ διὰ καλόν τι, *majorum malorum metu, vel boni alicujus parandi gratia fiunt.*

§. 6.

§. 6. Intereſſe hujus cuſtodiam, non prohibente religione Chriſtiana, omnibus hominibus jus naturæ præcipit quidem, peculiari tamen ratione id imperantibus, ceu divinis Vicariis, injungit. a) Cum enim à corrupta hominis natura in vita hominum ſociali id expectari non poſſit, ut propter finem communem à ſingulis ſemper agatur, ſingulique naturæ leges ad colendam vitam ſocialem obſervent; imperantes jus cogendi, atque poteſtatem coërcendi inordinate viventes habent, quo ad commune bonum, & ut quiſque ſuo jure frui queat, actiones ſuas conforment, ut cæteri honeſtam, ſecuram, & neceſſariis bonis affluentem vitam ducant. *Nihil* vero, *Auguſtini* b) judicio, *homines tam inſociabiles reddit vitæ perverſitate*. Cuſtodiunt imperantes, in magna humani generis ſocietate, publicam & communem juſtitiam, quod attinet alias gentes, atque pares, aliorum ſcil. populorum rectores, pactis & fœderibus; quod vero attinet ſubditos, cuſtodiam hanc præſtant legibus, tam religionis, Chriſtianæ inprimis recte traditæ, curam, quam vitæ honeſtatem, & vivendi commoditatem concernentibus. Naſcuntur autem ex hoc cuſtodiæ officio, ad quod etiam Princeps Chriſtianus, cæteris licet paribus, & ſalvo convenienti ordine in agendo, obligatur, varia agendi jura in ſocietate Chriſtiana, circa ſacra & circa profana. Ibi operam dandi, ut re-

a) *Rom.* 13. v. 1. 2. 4.

b) *t.* 2. *Opp. Epiſt.* 202.

rectus DEI cultus conſervetur, corruptus autem collapſuſque reſtituatur: Hic Legatos ad alios populos mittendi, cum iiſdem de his, quæ ad communem ſalutem pertinent, agendi, fœdera pangendi; inter ſuos autem leges ferendi, tam honeſtatis quam utilitatis gratia, quibus formentur actiones civium, ut fini ſocietatis humanæ & Chriſtianæ congruant; idque ex arbitrio, prout communem honeſtatem, omniumque ſalutem, ſocietatis rector id requirere judicaverit; magiſtratus conſtituendi; comitia habendi conſilij capiendi gratia, & de illis ſtatuendi, quæ ad finem conſociationis, ex prudentiæ Chriſtianæ dictamine, pertinere videntur.

§. 7. Societas nimirum humani generis quæ *Chriſtiana* eſt, non ſolum non deſinit vera ſocietas eſſe, ſed & qua Chriſtiana, præceptis ſuis, atque quæ urget officiis, quæ ex altiori, quam rationis principio deducit, eandem magis confirmat, roborat, atque perficit. Jura enim naturalia, & doctrina Chriſti, & Apoſtolorum, ſi removeas additamenta erronea, ſibi invicem non repugnant. Ad eundem enim autorem tandem cuncta revocantur. Nec ad *ſolvendam*, & abrogandam, ſed ad *implendam* legem, a) humani generis Salvator venit. Decalogus denique, quo ſumma officii Chriſtiani, operum nomine præſtandi, continetur, perfecte jus ſociale & naturale complectitur. Deſcenderemus ad expli-

a) *Matth.* 5.

plicandum, qui Chriſtianiſmus, tam ad pacem externam, & internam civitatum firmitatem, egregie faciat, niſi *Pufendorfius* jam *Concordiam veræ Politicæ cum religione Chriſtiana* explicatum iviſſet. b) Summa officij Chriſtiani continetur verbis *Pauli*, c) cum vult, *ἵνα σωφρόνως, καὶ δικαίως, καὶ εὐσεβῶς ζήσωμεν, ut ſobrie, juſte & pie vivamus.* *Pie* quomodo erga DEUM vivendum ſit, imperfecte ratio naturalis docet, & ex ea jus naturæ præcipit: d) ſufficienter id præſtat doctrina Chriſtiana. e) *Iuſte* ut vivatur, cum quod attinet officia juſtitiæ ſubditorum & imperantium erga ſe invicem, in jure rectorio fundata; ſubditorum etiam, quæ ſibi invicem, ſecundum immutabilem rationem juris æquatorij debent; tum eorum, & totius civitatis erga exteros; hæc, inquam, eximie quidem Juris naturalis diſciplina explicat, exactius vero ex ſcripturis ſacris Theologia Moralis deducit, ſuaviſſimo cum jure naturali concentu. *Sobrie*, h. e. ut, explicante B. *Hunnio*, f) *reſpectu noſtri omnia moderate geramus, & prudenter,* necque in conſultando molles, in agendo inertes, & ignavi ſimus, tam belli, quam pacis tempore, dictis & exemplis ſacræ urgent literæ. Merentur hic legi *Gregorij Nyſſeni* libellus, *ὁποῖον χρὴ εἶναι τὸν χριστιανόν, qualem deceat eſſe Chriſtianum*, g) item diſquiſitio ejuſdem, *τί τοῦ χριστιανοῦ τὸ ἐπάγγελμα, quid ſit Chriſtiani hominis profeſſio*; h) quæ ſane moralibus Ari-

b) *Diſſert. ſelect. p.* 429. *ſqq.*
c) *Tit.* 2. 12.
d) 1. *Cor.* 2. 14.
e) 2. *Tim.* 3. 16. *ſq.*
f) *Comm. in Epiſt. ad Tit.* 2.
g) *t. III opp. f.* 275.
h) *t.* 3. *opp. f.* 268.

ſtotelicis præceptis longa præſtantiora ſunt; ſanctius & perfectius, ſecundum Chriſtianam diſciplinam, tradita omnia invenies. Ad munditiem & ſanctitatem cordis, wie das Hertz rein wird/ ut alicubi B. *Lutherus* loquitur, tendit illa. Egregium ſpecimen dedit in Epiſtolis *Paulus*: Cujus veſtigia ſecutus *Ambroſius* i) ita loquitur: *Mortui ſumus cum Chriſto, quid adhuc vitæ hujus actus requirimus? mortem enim Chriſti adhuc in corpore noſtro circumferimus, ut & vita Chriſti in nobis manifeſtetur. Non ergo jam illam vitam, ſed Chriſti vitam vivimus, vitam innocentiæ; vitam caſtimoniæ; vitam ſimplicitatis, omniumq; virtutum. Cum Chriſto reſurreximus, in ipſo vivamus; in ipſo aſcendamus, ut ſerpens calcaneum noſtrum, quod vulneret, in terrenis reperire non poſſit.* Denique quod Evangelium non aboleat Politiam, & cum vitæ ſocialis ſtatus ordinatus ſit, ordine legitimo inter imperantes & parentes conſtituto; alius item ordinarius, primo intentus, pacis ſc. alius ſubſidiarius, belli nimirum, ex noſtris oſtendit B. *Gerhardus*, k) ex Reformat. *Danaus*, l) qui Chriſtianæ religioni iſta non adverſentur: Nonnulli licet ex his, inter quos eſt *Althuſius*, m) *Junius Brutus*, & alij, principia ſæpe non uſque eo ſocialia, ipſis ſacris S. improbata, & proin Chriſtianiſmo genuino non imputanda, foverint.

i) *de fuga ſec. c. 7.*

k) *Loc. de Magiſtr. Pol.*

l) *Polit. Chriſt.*

m) *Polit.*

§. 8.

§. 8. Et hoc ſenſu probamus illud *Benjamini Orliſij,* a) notantis, *religionem Chriſtianam, ratione eorum quæ ipſi ſuperaddita ſunt, non facere ad ſocietatis civilis beatitudinem.* Omnino: Male ſuperaddita ſanctiſſimæ & innocentiſſimæ religioni rempublica turbant, & variorum motuum in eadem cauſa ſunt. Ejuſmodi male ſuperaddita audiunt v. c. quæ *Santarellus* ſcripſit *tractat. de hæreſi, ſchiſmate, apoſtaſia, ſollicitatione ſummi Pontificis; & de poteſtate ejus in delictis his puniendis,* quorum articulorum ſum̃am exhibet *Gramondus;* b) quos jure tam Sorbona condemnavit, quam Parlamentum Lutetianum non ſine ſeveritate notavit. Hæc, & complura alia, perverſa additamenta, dicta atq; facta, Chriſtianam religionem reddunt minus ſocialem, quæ ex ſe ſanctiſſima, juſtiſſima, maximeque ſocialis eſt. Ita nimirum fieri amat, ſi prætereuntes ſcripturam ſacram, vel à potentiorum legibus, vel à ſtudio boni publici, quod præ ſe ferunt ejuſmodi Chriſtiani, vel ab auctoritate Eccleſiæ, quam coram imperitis jactant, vel à ſuo etiam arbitrio, quod ſufficere autumant, jus & normam agendi petunt mortales. Quanquam etiam negari non poſſit, per calumniam ſæpius Eccleſiam male audire, prout primitivæ Eccleſiæ Chriſtianos, pro *nequiſſimis hominibus* à Diocletiano fuiſſe habitos, ex quodam ejus Edicto notum eſt; qui & Galerio Maximo, Proconſuli, in *Actis*

a) *de ſtat. Civil. recte gubern. c. 15.*

b) *Hiſt. Gal. l. 15. p. m. 675. ſq.*

Paſſion. Cypriani, dicti ſunt *nefariæ conſpirationis homines*.

§. 9. Scelerata vox illorum eſt, qui pietatem & Chriſtianam religionem Chriſtianos effœminatos, *hominesq; ſimpliciores reddere*, cum *Cardano*, a) & *Lucilio Vanino*, b) garriunt. Quanquam enim religio Chriſtiana mentes hominum feroces, quæ præter rapinas, cædes, libidinem, & incendia, nil utile, nil glorioſum reputant, ad pietatem, juſtitiam, concordiam, ſine quibus generis humani conſociatio tranquilla & beata eſſe non poteſt, mirum quantum inclinet; im̃anemque barbarorum feritatem mitiget, ceu exemplo patet ferociſſimarum gentium, quæ Chriſti nomen admiſerunt: Satis tamen certum eſt, urgendo eandem *ſerpentinam prudentiam, cum columbina ſimplicitate*, c) præcipere hoc ipſo veram prudentiam, quæ vitam ſocialem & civilem dirigit; & ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις, h. e. civili imperio, præcipiendo *gladij* d) uſu ſubditorum defenſionem, hoc ipſo com̃endare fortitudinem belliam. Conſtat ſane, prudentiſſimos quoſque Politicos, fortiſſimoſque bellatores, Chriſtianiſſimos fuiſſe Principes, *Macchiavelli* e) commenta diſcuſſit doctiſſimus *Pufendorfius*. f) Abſit tamen *ſuperſtitio*, quam merito *Lipſius* g) *ab omnibus, maxime à Principe, arcendam eſſe* monet, cum & Chriſtiana ſocietas erectiores amet animos, nec velit cœtum Chriſtianorum eſſe ſocietatem

a) *in Ptol. de Aſtrol. jud. l. 2.*
b) *de admirand. Nat. arcan. Dial. p. 355.*
c) *Math. 10. 16.*
d) *Rom. 13. v. 4.*
e) *Diſcurſ. ad Liv. 21.*
f) *Diſſ. ſelect. p. 444.*
g) *Pol. l. 3. 12.*

Digitized by Google

tem hominum, anilibus perſuaſiunculis deditorum, fanaticorum, & neglecta Chriſtiana libertate ſuperſtitioſorum, quales ineptias ſimplicitas Chriſtiana, & ſincera pietas non amat. Non *facit hæc animos humiles formidine divum, depreſſosq; premit ad terram*, ut cum *Poeta* h) loquar. Scriptores rerum Germanicarum prolixe, magno enarrant conſenſu, quantum, quæ ſuperioribus temporibus invaluerat ſuperſtitio, tempore Henricorum, Ottonum, Fridericorum, Reipublicæ nocuerit, cum prætenſa Romani Pontificis in Reges poteſtas ſuperior, mentes hominum illaqueaſſet. Talia agendi jura ſocietatis Chriſtianæ indoles non admittit.

h) *Lucret.* l. 6. v. 51.

§. 10. Cum itaque in ſocietatibus Chriſtianis principes veri nominis principes ſint, & maneant, id quod etiam in parentes, quibus obſequij gloria relinquitur, cadit, ut tales ſc. ſint, & maneant; illis, & his, in iſtis ſocietatibus eadem competunt primo jura, & officia agendi, quæ ſecundum legem naturalem habent. Attamen cum ſimul Chriſtiani imperantes & parentes ſunt, hic ſtatus, adventitius licet ſit, non aliud iiſdem jurium ſuorum, tam agendi quam habendi aliquid, permittet exercitium, quam quod cum regulis Chriſtianæ religionis, atque pietatis, ſtare poſſit, nec illis adverſetur. Etſi enim Chriſtianum eſſe accidens ſit imperantium & parentium, ut ſunt tales; qua tamen ſunt impe-

ran-

rantes & parentes Chriſtiani, non erunt à ſeipſis difformes, ſed ſe gerent iſti, ceu decet
a) Deut. 17. 19. *cuſtodes* a) *utriuſq; Tabulæ Decalogi,* & *nutritios Eccleſiæ,* b) *ſub quibus & tranquilli & pie vi-*
b) Eſa. 49. 23. *vere debemus*; c) hi vero, ut ſciant, DEO *magis*
c) 1. Tim. 2. 2. *obediendum, quam hominibus injuſta præcipientibus*: d) Et hi & iſti, ne ſub prætextu Chriſtia-
d) Act. 5. 29. niſmi, & religionis, jura naturalia, quæ etiam Chriſtiano regimini ſubſternuntur, tollant.

§. 11. *Vivendi commoditas* quæ ad finem ſocietatis humanæ, etiam Chriſtianæ pertinet, æſtimatur ex ſufficientia rerum, qua data o-
a) 1. Ethic. 5. ritur αὐτάρκεια, quam *Ariſtot.* a) inter propria felicitatis humanæ refert. Conſtat hæc *ſufficientiâ*, h. e. neceſſaria illarum rerum copiâ, quas multiplex humanæ vitæ indigentia, variæque neceſſitates, cum quibus in vita ſociali conflictandum, deſiderant. Multiplicem iſtam civitatis indigentiam, variaſque conſociationis humanæ neceſſitates, explicat pro-
b) l. 2. de Rep. f. 426. ſqq. lixe *Plato,* b) tollendas per agriculturam, varij generis opificia, mercaturam, varia denique miniſteria eorum, qui ſua opera, quam præſtant, rei privatæ & familiari, agriculturæ, ſtatui politico, Eccleſiaſtico, rei item militari inſerviunt. Quam late hæc pateant eximie no-
c) l. c.
d) 4. Polit. c. 4. tarunt *Plato* c) & *Ariſtoteles,* d) ſecutus magiſtri diſciplinam; ex recentioribus autem
e) Oecon. Legal. l. 1 & 2. *Gryphiander*; e) *Bornitius* f) inprimis, ſolicite
f) de rerum ſuffic. minima perſecutus, hoc præſtitit, nihil fere omittens illorum, quæ ad rerum ſufficien-

tiam

tiam procurandam in vita ſociali, & civitate, poſſe facere videri queant. Sequitur hinc, ex neceſſitate cum finis conſociationis humanæ, tum medij, jus mortales habere varias diſcendi exercendique artes, tanquam media, ad procurandam in ſocietate humani generis neceſſariam rerum ſufficientiam. Tales ſunt artes ruſticæ, artes opificum mechanicæ, cultura foſſilium, tam metallorum, quam lapidum, ſtudium mercaturæ, tam terreſtris, quam nauticæ; artes item, & diſciplinæ liberales, literæ tam ſacræ, quam profanæ. Omnes hæ ſuum ἐπιϐάλλον μέρος ad finem humanæ ſocietatis, & comunem utilitatem, conferunt, & ut commode vivamus. Addiſcendæ proin illæ unicuique ſunt, prout vel naſcendi locus, vel occaſio, vel uniuscujusque ingenium id admittit, ut *aptum ſe omnibus, atq; utilem præſtare proximo* poſſit, uti præcipit *Irenaus.* g) *Nam turpis omnis pars eſt, ſuo univerſo non congruens,* ſecundum *Auguſtinum.* h)

g) *l. 4. adverſ. har. c. 27.*
h) *t. l. Opp. Conf. l. 3. 8.*

§. 12. Vindicat ſocietatis humanæ, à qua Chriſtiana ſocietas ſpecie non differt, tranquillitatem, publicam item communemque juſtitiam, atque ſingulorum jura, is penes quem eſt jus, atque poteſtas cogendi, adverſus pares bello, adverſus ſubditos autem pœnis, a) non repugnante diſciplina Chriſtiana, ſed potius jubente. Ideo enim cœtui ſociali ſe aggregarunt, eique qui in illo imperium tenet, ſe homines ſubmiſerunt, ut ſecu-

a) *Rom.* 13. 3./99.

curius ſcil. & affluentius viverent, fruerenturque cum communi utilitate, tum ſuo etiam quiſque jure atque bono, ceu alibi docetur. Ex muneris ergo ratione jus habent rectores gentium, etiam Chriſtianarum, ab omni injuria, & vi injuſta externorum, armis cives tutos præſtare; inter ſuos vero juſtitiam adminiſtrare, judicia & judices conſtituere, exortas lites decidere, injurias arcere, delinquentibus pœnas irrogare, etiam ſi publica ſic exigit ſalus, capitales, ἵνα ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, *ut placidam & quietam vitam agamus, cum*
b) 1. *Tim.* 2. 2. *omni pietate & honeſtate*, uti *Paulus* b) loquitur. Quanquam enim *prudenter conſtituerit majeſtas, quæ reipublicæ viſa eſt exegiſſe utilitas*;
c) *de Rep. Rom. Germ. P. I. p.* 44. *inanis tamen*, uti monet *Lampadius*, c) *eſt omnium legum tenor, niſi de genere facti poſitæ ſingularibus applicentur, & quod cuiq; potentia competit, id actu ſeu effectu tribuatur, unde reddendi juris nata poteſtas, quæ factis ſingulis in ſpecie ſtatuta accommodet.*

§. 13. Conſurgit equidem *commune bonum* ex conjunctione boni partium ſingularum, quod in ſe continet, ita ut cum ſocietas notat aggregatam hominum multitudinem, ſignificet etiam aggregatum omnium bonorum, prout ea ad ſingulos in ſocietate viventes, etiam ſecundum ordinem, quem habent in ea, pertinent, & à quovis ordinate appetuntur. *Studium* hoc *boni communis* in-

pri-

Digitized by Google

primis Chriſtianorum ſocietates intendunt, cum tenemur proximum diligere, ſicut noſmet ipſos. Quod ſi tamen cum bono totius communitatis non omnium ſimul partium utilitas, uti intenditur, & intendi debet, obtineri poteſt, commodum majoris partis, commodo minoris, totiuſque corporis bonum, bono partium ſingularum, in quærenda & obſervanda publica utilitate, cæteris paribus præferri licet poteſt. *Eſt enim*, ut eximie *Grotius* d) diſputat, *manifeſte iniquum, ut pars major ſequatur minorem. Vt omnes conſociationes habent hoc commune, quod in iis rebus ob quas conſociatio quæq; inſtituta eſt, univerſitas, & ejus pars major obligant ſingulos, qui ſunt in ſocietate*: cum hæc ſit ratio expediendi negotia plane naturalis. Pro concione olim Athenis hæc ita diſſeruit Pericles, apud *Thucydidem*: e) *Ego exiſtimo melius agi cum civibus privatim, ſi tota civitas fortunata ſit, quam ſi per ſingulos cives felix ſit, publice vero labefactetur.* Καλῶς μὲν γὰρ φερόμενος ἀνὴρ τὸ καθ' ἑαυτὸν, διαφθειρομένης τῆς πατρίδος, οὐδὲν ἧσσον ξυναπόλλυται· κακοτυχῶν δὲ ἐν εὐτυχούσῃ, πολλῷ μᾶλλον διασῴζεται. Ὁπότε οὖν πόλις μὲν τὰς ἰδίας ξυμφορὰς οἵα τε φέρειν, εἷς δὲ ἕκαστος τὰς ἐκείνης ἀδύνατος, *nam cum evertitur patria, is cui privatim bene eſt, nihil tamen minus & ipſe evertitur: cui autem male, is in illa proſpere agente multo magis incolumis eſt. Cum igitur civitas quidem ſingulorum res adverſas ſuſtinere*

d) *I. B. P. l. 2. c. 5. §. 17.*

e) *l. 2. ſ. m. 66.*

poſſit,

poſſit, ſinguli autem illius res adverſas ferre nequeant, quo pacto non conveniat univerſos illi opitulari, neq; domeſticis jacturis attonitos reipublicæ ſalutem pro derelicta habere. Ex hoc jure civitatis, & majoris ejuſdem partis, totius ſcil. ſocietatis, oritur *dominium eminens. Competit id communitati in partes, & res partium, boni communis cauſa, Grotio* monente, f) & ulterius explicante. g) Quam late autem hæc facultas pateat, & quid per eam liceat, qualia item agendi jura ex illa fluant, B. *Bœclero,* h) & *Friderico Hornio* i) prolixe docetur; & ex jure Regio, à *Samuele* k) Ebræorum, in ſtatus ſui mutationem prurientium, motui oppoſito, doceri poteſt.

f) *l. B. l.* 1. 5.
g) *l. c. ll.* 14. 7.
h) *Comm. Grot. P. l. p.* 85.
i) *de Civit.*
k) 1. *Sam.* 8.

§. 14. Differt hoc *jus majoris partis,* quod habet ipſe ſummus imperans, vel ipſa ſocietas in ſingulos, boni publici cauſa, à jure partis majoris inter pares, in Comitiis v. c. vel in conſilio aliquo publico, in judiciis; *ubi, quanquam impar ſit prudentia, par omnium jus eſt,* cenſente *Plinio,* a) ita ut B. *Bœclero* b) monente, *etiam major pars ſit, quæ una tantum ſententia vincit:* Niſi vel lex ſuperioris, vel inter pares pactum, aliam negotiis tractandis formam præſcribat. Hoc niſi fiat, cenſendum eſt, pares in conſilio aliquo, vel judicio, hac forma negotia velle tractare, illique ſe ſubjeciſſe etiam, ut pro majori parte illa habeatur, quæ ſuffragiorum numero, etiam unius, reliquos vincit; niſi ſuis deliberationi-

a) 2. *Ep.* 12.
b) *In Differt. Academ. de Calc. Minerv. p.* 307.

bus

bus & judiciis nihil actum velint. Sibi vero tum imputent, ſi major pars in damnum minoris aliquid decernat. Iſta enim incommoda, & pericula, initio conſtituendæ ſocietatis atque Collegij, quo per plurium vota res atque negotium aliquod tractari debuit, avertenda fuiſſent à rectoribus, qui ejuſmodi Collegia & tribunalia inſtituerunt, vel iſtis pluribus, quorum ſententiis, quid utile & juſtum in judicio, erat definiendum. Habet tamen & res ſic explicata, ſuas adhuc limitationes. Pars nimirum major jus habet integri, & plurium ſententiæ vincunt naturaliter, cæteris paribus, h. e. ſi ſunt pares jure, & poteſtate agendi; item qua & quouſque pares ſunt, eo etiam reſpectu quo pares exiſtunt. Unde cum in Comitiis Ratisbonenſibus ann. 1653. *de pluralitate votorum in materia collectarum* diſceptaretur, civitates Imperiales, apud *Londorpium*, c) diſtinxerunt inter *actum & negotia univerſitatis ſtatus Romani Imperij in univerſitate, ut univerſos concernentia, & actus univerſitatis, in quibus tractatur de rebus concernentibus ipſam univerſitatem, & ſingulos*; concedentes, quod ibi valere debeat, quod pluribus viſum; *negantes* vero, *quod hic ſufficiat majoris partis conſenſus, ſed omnes expreſſe conſentire debeant*; quod omnium ſcil. non eadem ſit ratio. Nimirum cum, ut ſinguli ſpectati ſtatus Imperij, opibus & viribus impares ſint, onus vero collectarum non ejus vires, cui imponitur,

c) *Act. Publ. tom. 7. c. 266. f. 228.*

excedere debeat, recte hic negatur, majorem partem vincere; cum id non verum ſit, niſi de æqualibus, quatenus & quouſque æqualia habent jura, & æquales vires. Unde & in rebuspublicis Syſtematicis, quando plures civitates perfectæ fœdere perpetuo in unum corpus coaleſcunt, ſuffragiorum ratio conſtitui nonnunquam ſolet, pro ratione & diverſitate potentiæ ſingularum civitatum, quæ ſic confœderatæ ſunt: quemadmodum in fœdere Belgico Hollandiæ trium; Geldriæ, Seelandiæ, Friſiæ duorum; Trajectinæ, Tranſiſalanæ, Grœningiæ, ſingulis unius ſuffragiorum in ferendis ſententiis jus eſt.

§. 15. Etſi vero in rebus conſilij, atque adiaphoris, qua talibus, externis item, & quoad juſtitiam facti externam, jus majoris partis obtinet; uti tamen illud, quid in ſe juſtum & injuſtum, contra jura naturalia, ceu ſuperiora, non determinabit, ita nec ratio veri & falſi, & conſequenter nec res religionis, veritas & falſitas doctrinæ Chriſtianæ, definitioni & juri majoris partis obnoxia erit. Dudum multitudini Patrum Judaicorum Chriſtus oppoſuit ſuum Ἐγὼ *Ego*. a) Idem cum in ſcripturis ſacris hodie reſonet, pari jure majori contradicentium parti opponetur; cum nec hodie multitudo errantium pariat errori patrocinium. Jus majoris partis in rebus fidei, & religionis, eſt penes Scripturam S. cujus cognoſcendæ, quilibet jus habet, ex-

a) *Matth.* 5. 21. *ſqq.*

exemplo Berroënſium. b) Alias juſte à Synedrio Chriſti confeſſio condemnata fuiſſet. c) Recte proin Paphnutius apud *Sozomenum*, d) cum in Concilio Nicæno placuiſſet legem introduci, *qua juberet, ut quicunq; ad ſacerdotis dignitatem evecti eſſent, cum uxoribus, quas antequam ſacris initiati erant, duxerant, non dormirent*, contradixit, *nuptias honorabiles, & conſuetudinem virorum cum ſuis uxoribus continentiam* vocans, hortatus etiam Concilium, ut *talem legem minime promulgaret.* Nec alia fuit mens B. *Auguſtini*, ceu diſputat B. *Dorſch.* e)

b) *Act.* 17. 11.
c) *Math.* 26. 64.
d) *H. E. l.* 1. *c.* 22.
e) *Scrup. Rel. p.* 7.

§. 16. Etſi vero *intereſſe humani generis univerſale* vitæ honeſtatem, & agendi commoditatem, complecti ſupra diximus, in jure tamen agendi, quod ex ejus neceſſitate oritur, id non licet, ut, ſi neceſſitas honeſtatis cum neceſſitate commoditatis una locum habere non poſſit, hujus præ illa habeatur ratio, & utile præ honeſto vincat; cum potius, revera aliquid non eſſe utile, cenſeri debeat, niſi ſimul ſit honeſtum; & niſi id fiat, quod à fine humani generis, & vitæ ſocialis, aberretur. Inde nihil agendum, quod cum damno, & læſione jurium alterius conjunctum. Negamus hinc, licere invito territorij domino tranſire per illud, cum talis tranſitus ſit injuſta uſurpatio rei alienæ, lædatque jura dominij ejus, cujus ditiones tranſeuntur. Facti ergo potius, quam juris fuit, quando Ageſilaus, Macedonum rege, à quo tranſitum

cum exercitu poſtulaverat, *ſe deliberaturum* dicente, apud *Plutarchum*, a) ſubjecit: Βουλευέσθω τοίνυν, ἡμεῖς δὲ πορευσόμεθα, *deliberet ergo, nos pergemus*. Idem cenſendum de occupatione loci, qui ſitus eſt in ſolo pacato, tempore belli, ſi fiat invito loci Domino. Tua enim utilitas non jubet inter pacatos quieſcere honeſtatis & ſocialitatis præceptum, *de abſtinendo à re aliena*; quaſi tuæ utilitati aliorum jura cedere tenerentur. De ſimili caſu ſimile ferendum judicium.

a) *t. 2. Opp. Apophth. Lacon. f.* 210.

§. 17. Ex eodem etiam principio petimus rationem decidendi quæſtionem, *an civis innocens, qui ad exitium ab hoſte crudeli depoſcitur, tradi*, an vero *deſeri* poſſit. *Vaſquius*, a) contra quem *Grotius* b) diſputat, utrumque negat. Illud ob hanc rationem, quod *inter cives ſolummodo ſit quædam bonæ fidei ſocietas, ad hunc finem contracta, quo magis quiſque in tuto, & cum omni commoditate vitam agere poſſit. Ergo cum iſtius contractus ſummam fidem bonam violare nefas ſit, aut aliqua ex parte lædere, ſupereſſe*, concludit, *ut omnibus una civibus & ſociis unum & commune periculum eſſe debeat, quamdiu quiſq; eorum reliquis concivibus innoxius minime nocuit.* Deſeri autem à concivibus civem non poſſe, contra *Dominicum Sotum* inde probat *Vaſquius*, c) quia *à perfidia parum remotum eſt; cum una ſalus eſſe debeat, unum & commune periculum inter concives, & hac de cauſa potiſſimum hujuſmodi*

a) *Controv. Ill. l. 1. c.* 13. *n.* 3.
b) *l. B. P. II.* 25. 3.
c) *l. 5. de Iuſt. & l. 9. 1. a. 7.*

Juſmodi ſocietatem politicam, vitamq́ ſocialem cives delegerint. Certe Raguſini apud *Bonfinium*, d) hoſpitem etiam, Georgium Deſpotem, Myſia e) à Turcis exactum, cum Raguſi viventem Amurathes Turca, *ſibi tradi miſſis literis* poſtularet, unico omnes conſilio Barbari facinus abominantes, *de fide hoſpitÿ* ſecurum eſſe juſſerunt. Ipſe vero, *ne cujus cum profana gente belli autor eſſet, propediem ſe abiturum eſſe* ſua ſponte *recepit.* Multo minus ergo ex ratione honeſti civitati licebit civem innocentem tyranno, ejus deditionem injuſte, ad ſatisfaciendum ſuæ crudelitati, poſtulanti, ad cædem tradere, cum id repugnet primo pacto, quo cives in unum coiverunt cœtum, quod unum nimirum, & commune, omnium ſociorum periculum eſſe debeat, conjunctis viribus propulſandum. Nec dici poteſt, id civitati licere, quod primo pacto tacite id ſit civitati contra civem exceptum; cum, uti id fini, propter quem quis ſe cœtui certô aſſociat, repugnat, ita ordinarie neſciat illarum rerum numero eſſe, quæ tacite excipiuntur. Quibus enim ordinarie reclamare videmur, illa pacto tacito contra reclamantes non licet excipere. Hoc potius pacto primo exceptum credere licet, quod liceat tali caſu civitati ad deditionem poſtulatum deſerere; vel uti *Toletus* f) loquitur, *non defendere.* Cum enim tota ſocietas non præſumi poſſit, tale iniiſſe pactum cum ſingulis, ut,

d) *l. c. n.* 13.

e) Rer. *Vngar, dec.* III. *l.* 5. *f. m.* 432. *ſq.*

f) *Inſtruct. ſac. l.* 5. *c.* 6. *n.* 20.

ut, ſi unus à tyranno potentiſſimo, cui reſiſti non poſſet, ad cædem injuſtam poſtularetur, is cum præſenti omnium internecione defenderetur, prudenter tacite quilibet in ſocietatem civilem ſub hac conditione receptus creditur; quod tali caſu, is qui ſic ad deditionem & cædem poſtulatur, abire, fugaque ſibi conſulere debeat, civitatique illum deſerere, & ex ſuo cœtu expellere, ni velit abire, liceat. Nec tum utile honeſto præfertur, cum tale pactum turpe non ſit, & incolumitas unius ſaluti totius ſocietatis, certo & fruſtra periturae, poſtponi non debeat. Quicquid aliis videatur: Nos difficultatem hanc, & jus civitatis agendi in hoc, & ſimilibus caſibus, commodius ex prima civitatis inſtitutione, & præſumta ſocietatis & ſociorum voluntate, naturalem ordinem ſequente, jure item majoris partis, quam aliunde explicari, exiſtimamus.

§. 18. Cæterum ſicut ex his patet, quid pro *Vaſquio*, & quid pro *Grotio* dici poſſit, ita dubium nullum eſt, modum excedere Moralium doctores, *Bonacinam,* a) *Eſcobar.* b) qui pro ſe allegat *Tannerum*: *Reginaldum,* c) quos ſequuntur *Bannez,* d) *Petrus de Ledeſma,* e) *Samuel de Lublino*, f) aliique, docentes, licere Reip. (*Reginaldus* g) dicit *abſolute*) in illo caſu ad ſe liberandam, & ad evitandum adeo grande periculum, tyranno innocentem tradere: Non quidem ut interima-

a) *Theol. Mor. t. 2. f.* 667. *n.* 1.
b) *Theol. Mor. tr.* 1. *ex.* 7. *c.* 3. *n.* 51.
c) *Prax. For. Pœn. P. I. l.* 21. *c.* 3. *n* 29.
d) *in Thom. t.* 4. *q.* 64. *art.* 6 *concl.*
e) *Theol. Moral. tr.* 8. *c.* 18. *p.* 517.
f) *Sum. P. I. Def. n.* 13. *p.* 186. *ad. P. II. tit. Homic. n.* 4.
g) *l. c.*

matur, ſed ut reſpublica liberetur; cum quod, ut *Ledeſma* h) loquitur, *reſpublica jus habet ad exponendum cives ſuos, quantumvis innocentes, certo mortis periculo, pro bono communi, ut videre eſt in bello juſto*; tum quod Reſpublica civem cogere ad id poſſit, ad quod ex juſtitia legali & charitate tenetur, quale eſt, ut expoſcenti tyranno, ne tota Univerſitas pereat, ſeipſum tradat. Ad hoc ergo ſi jure cogi poteſt, obſequi nolentem tradi poſſe, ceu hominem civitati noxium, inferunt. Verum his, aliiſque rationibus non obſtantibus, diſſentiunt alij, à *Sayro* i) allegati, quibus addendus *Franciſc. Toletus*, k) negans *licere noſtro caſu innocentem morti tradere, inimicorum manibus; quamvis poßit non defendi ob commune bonum.* Unde excuſandum potius cenſemus, quam probandum, factum Arcadii Imp. qui Gainæ, hominis Gothi & tyranni, exercitu valido inſtructi, minis territus, *Saturninum & Aurelianum, viros conſulares, quos ſibi refragari arbitrabatur* rebellis, atque hoc nomine *poſtulaverat*, *Sozomeno* l) ſcriptore, barbaro tradidit. Nimirum cum, ut notus *Seneca* m) locus habet, *ille in nos dominetur affectus, qui animum primus intravit*; turbetque conſternatio malorumque undique urgentium; tali impetu mente perculſa, conſulere rebus noſtris haud raro ſolemus modo, quem ſereniori rerum facie improbamus: Οὕτω πάντων τῶν δεινῶν ὁ φόβος μάλιστα καταπλήττει τὰς ψυχὰς,

h) *l. c.*

i) *Clav. l. 7. c. 12. n. 12.*

k) *l. c.*

l) *Hiſt. Eccl. l. 8. c. 4.*

m) *Controv. l. 8.*

uſq; adeo, inquit *Xenophon*, n) *metus inter omnes res terribiles maximo impetu animos percellit.* Jus vero civitatis ad exponendum civem periculo in bello, non applicari poteſt ad ſtatum rerum, de quo quæſtio eſt concepta. Nam, uti etiam B. *Bœclerus* o) obſervat, ibi *non eligitur vita*, uti hic fit, *ſed opera civium ad ſervandum totum corpus: & cum exitus fortuna moderante, undiq; incertus ſit, non minus ad ſpem, quam ad metum via patet:* Quod in noſtro caſu locum vix habet, pepercerit licet Gainas ab Arcadio traditis. Non etiam videtur vigore primi pacti inter civitatem, & cui hoc in noſtro caſu favet, civem, hunc, quamdiu ſpem fuga ſibi conſulendi habet, ad tradendum ſe tyranno teneri ex juſtitia legali, niſi expreſſa civitatis lege, cui ſe, cum in civium numerum reciperetur, ſubjecit, ita ſit ſtatutum; & charitate, quæ à ſe-ipſa incipiens, vim injuſtam, ſi fuga illam evadere non poſſit, mavult expectare, quam eidem ſe offerre. Denique nec vis dominij eminentis, contra divina jura, p) in Chriſtiana inprimis civitate, hunc invertere poteſt ordinem, ut neceſſitas honeſtatis poſt ſe non relinquat neceſſitatem incolumitatis. Caſum illuſtrem huc pertinentem à *Libanio*, q) Sophiſta, formatum producit, conſideratque B. *Bœclerus* r) noſter.

n) *de Inſt. Cyr. l. 3. f. 67.*

o) *Comm. in Grot. P. l. p. 99.*

p) *Act. 5. 29.*

q) *tom. I. declam. 27.*

r) *Comm. Grot. P. l. p. 95./99.*

§. 19. Præter hoc, quod primæ ſocietatum humanarum origenes, primaque quibus

bus illæ inſtitutæ ſunt pacta, tam tacita quam expreſſa, & rationabiliter præſumta in tales ſocietates coëuntium voluntas, origenes etiam ſint jurium, & ordinis agendi in civitate, & ſocietatibus humanis; jus agendi in vita ſociali etiam oritur ex neceſſitate, & natura commercij, ſine quo nec major humani generis ſocietas, nec civilis etiam conſociatio, tam inter infideles, quam inter Chriſtianos, conſiſtere poteſt. Mortalium hoc inter ſe cōmercium varium eſt, & multiplex, pro varia conſociationis ratione, quæ in genere humano datur, exercendum. Jam enim pacata eſt, floretque, cum inter gentes, tum inter cæteros mortales, *pax* & concordia, quam majoris ſecuritatis gratia *pacto* etiam munire licet, atque *promiſſo*; eaque omnia agere, quæ ad illam conſervandam, ſecundum regulas honeſti, facere videntur. Naſcuntur hinc *jura congreſſuum*, ſecure, & cum congredientium dignitate, inſtituendorum; uti ipſos ſummos imperantes, vel ſummarum poteſtatum *legatos* congreſſos, & congredi conſtat. *Grotius* a) refert inter *modos quibus vitari poteſt, ne controverſiæ in bellum erumpant*; prolixius *Bœclero* b) explicatum. *Ius Legationum*; *jus fœderis* faciendi, vel *commerciorum*, vel *auxiliorum* gratia, prout mutua gentium, etiam Chriſtianarum, indigentia requirit; jus *contrahendi, paciſcendique*; *jus poſtulandi juramentum* ab illis, cum quibus vi-

a) *I. B. P. II.* 23. 7.

b) *differt. de Congreſſ. Princip.*

vendum. Debent enim ſibi homines juramenta, ex jure convivendi: Quæ & ſanctos præſtitiſſe conſtat, c) Chriſto non improbata. De Chriſtianis priorum ſeculorum, legendus eſt *Tertullianus*, d) & *Eucherius Lugdunenſis* de Martyribus Thebæis, apud *Baronium*, e) & ſimilia. Jam ſublata inter mortales concordia, *bello* omnia ardent; quod uti pacis, & ſocietatis humanæ tranquillandæ, ultimum eſt remedium, ita non, niſi reliquis fruſtra adhibitis, ad illud deſcendendi jus eſt, neceſſario etiam adhibendum, ſi per alterius injurias incolumes, & quieti eſſe non poſſimus. *Cum enim duo*, ut *Cicero* f) loquitur, *ſint genera diſceptandi, unum per diſceptationem, alterum per vim; cumq́ illud proprium ſit hominis, hoc belluarum, confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet priore.* Deducuntur hinc *belli jura*, exercenda quidem prout *ratio belli*, vel *ratio ſtatus* civitatis, quæ bellum gerit, legitima, id ſuadere videtur; non vero quaſi hoc generis humani ſtatu omnia humana jura ſoluta forent, quæ tantum ad tempus ſuſpenduntur; vel omnis humanitatis communio ſublata eſſet; cum illa ſaltem vitæ ſocialis, & pacatæ, officia intermittere liceat, qnorum exercitium cum fine belli componi nequit, ſalvo interim primævæ, & univerſalis humanæ conſociationis vinculo.

c) *Geneſ.* 14. 23. c. 31. 54. *Deut.* 6. 13.
d) *Apolog.*
e) *Ann.* 297. *ſ. m.* 695.
f) 1. *Offic.*

§. 10.

§. 20. Effectus hujus rei eſt *fides publica*, quæ etiam hoſtes obligat, ut mutuo præſtetur. Inter Chriſtianos etiam, ut hi tam ſibi invicem eandem præſtent, quam hæreticis & infidelibus, Chriſtiana ſimplicitate perfidiam nullo in caſu, & ſub nullis circumſtantiis, probante. Cum Hæreticis enim & infidelibus quia ſocialiter vivendum a) eſt, vinculo ſocietatis, quod eſt fides, cum illis etiam Chriſtianos conjungi decet, à quibus fidei officia, ceu jure ſibi debita, illi jure etiam poſtulabunt. Unde B. *Theodoretus*, b) *κοινόν τι*, inquit, *χρῆμα πάντων ἡ πίστις*, *communis quadam res eſt cunctis fides*. Nam non ſolum hæc illam conſociationem, in quantum non quoad omnia vincula bello rumpitur, cuſtodit; ſed etiam atrociſſimo bello, animis vehementiſſime exacerbatis, ad finem belli plurimum facit. Habet enim in bello, ob finem ſocietatis humani generis, cujus obligatio à ſtatu humanitatis, dum animalia rationalia & ſocialia ſemper manemus, eſt inſeparabilis, locum jus congreſſuum inſtituendorum, jus legatorum mittendorum, pactorum ineundorum, obſidum dandorum & poſtulandorum, & ſimilia; quæ ſine fide publica exerceri non poſſunt. Eximie *Cicero*: c) *In bello & ſuſcipiendo, & gerendo, & deponendo, jus plurimum valet, & fides*. Ex quo ſequitur, juſtas hoſtium adverſus hoſtes querelas eſſe poſſe, ita ut hominis injuſti, & ferocis, ſit re-

a) 1. *Tim.* 2. 2. 1. *Petr.* 2. 12, 15. *ſq.*

b) *t. IV. opp. ſerm. I. f.* 482.

c) 2. *de L.L. p.* 176.

reſpondere: *Quicquid feci in hoſtibus, Jus belli defendit.* d) Et cum Chriſtiana ſocietas vera ſit mortalium conſociatio, in eadem omnia hæc exerceri poſſe, nil eſt quod prohibeat. Socialiter enim vivere qui tenentur, ſocietatis juribus gaudeant neceſſe eſt, ſive publica, ſeu privata illa ſint.

d) *Liv. l. 26.*

§. 21. Præter commercium denique quod in ſocietate humani generis inter pares intercedit, & ſocietatis paris eſt cum ſocietate pari, gentis cum gente, vel hominis cum homine, qua pares ſunt, datur etiam tale inter mortales, qui ſunt ejuſdem ſocietatis, hoc eſt inter imperantes & parentes in civitate; inter maritum & uxorem, herum & ſervum, patrem & liberos. Conſiſtit autem hoc commercium in exercitio imperij & obſequij, ad finem, ſeu ſcopum ſocietatis cujuslibet genuinum ordinati. Finis hic cum in civitate ſit tam τὸ ζῆν, *vivere,* cujus gratia eam quoque γινομένην, *natam* dixit *Ariſtoteles:* a) Nam συνέρχονται καὶ τοῦ ζῆν ἕνεκεν αὐτοῦ, *conveniunt vivendi ipſius cauſa,* rurſus eodem b) explicante; qui mox ſic pergit: Καὶ συνέχουσι τὴν πολιτικὴν κοινωνίαν, καὶ κατὰ τὸ ζῆν αὐτὸ μόνον, ὡς ἐνούσης τινὸς εὐημερίας ἐν αὐτῷ, καὶ γλυκύτητος φυσικῆς, *& tuentur civilem communionem ut vivant ipſum ſolum; tanquam inſit in ipſa vita proſperitas quædam, & dulcedo naturalis,* ita ut propter eandem etiam graves tolerare moleſtias non dubitent. Quam

a) 1. *Polit.* 2.
b) 3. *Polit. l. 4. al. 6.*

Quam τὸ εὖ ζῆν, *bene vivere*: quod vitæ primo honeſtatem, dein ejuſdem utilitates, & commoditates complectitur: Patet ex finis hujus neceſſitate,& hinc orta obligatione propter eundem agendi,imperantem etiam Chriſtianum, & Rectorem civitatis Chriſtianæ, jus habere civem ſibi obligandi univerſaliter, ut ubique ſuas ſic conformet actiones, ne à fine ſocietatis aberrent, ἵνα, ut *Paulus* c) loquitur, ἤρεμον καὶ ἡσύχιον βίον διάγωμεν ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, *ut placidam ac quietam vitam degamus in omni pietate & honeſtate.* Ad hunc finem obtinendum neceſſariæ ſunt omnes illæ poteſtates, & facultates agendi morales, quæ *jurium majeſtaticorum* nomine alias celebrantur, quæque naturaliter ita ſunt connexæ, ut ſi *una vel altera abfuerit*, mancum ſit, ut *Pufendorf.* d) monet, *futurum imperium, nec ad finem civitatis procurandum idoneum*: Cum circa omnes actiones, res atque perſonas, ad hunc ſcopum ordinandas, vim ſuam hoc jus imperantium exerat. Ipſam autem partium harum cohærentiam inſeparabilem explicant *Grotius*, e) *Lampadius*, f) *Pufendorfius*, g) alij.

§. 22. *Commercium* maris & fœminæ *conjugale*, uti ordinatur in omni *ſocietate nuptiali* ad ſobolis propagationem: a) Τοῖς γεγαμηκόσι σκοπὸς ἡ παιδοποιΐα, *illis qui matrimonio juncti ſunt, ſcopus eſt & inſtitutum, procreare liberos*, ait *Clem. Alex.* b) Ita utrique

con-

c) 1. *Tim.* 2. 2.

d) *de Offic.* l. 2. c. 7. 17.

e) *I. B. P.* l. 3. 6.

f) *de Rep. Rom. Germ.* P. I. §. 15.

g) *de Offic.* l. 2. c. 7.

a) *Geneſ.* 1. 28.

b) *Pæd.* l. 2. c. 10.

conjugum poteſtatem & *jus* in alterius cor-
c) 1. *Cor.* 7. 4. pus largitur, c) finis hujus obtinendi gratia, & in remedium incontinentiæ, d) quod eſt fi-
d) 1. *Cor.* 7. 2. 9. nis conſociationis hujus acceſſorius. Habiles ergo ad matrimonium eſſe debent, qui ſe ejus contrahendi jus habere contendunt, de
e) *Pædag. l.* 2. *c.* 10. quo prolixe *Clemens Alexandrinus.* e) Cumque matrimonium ad propriam tantum, utrique conjugum, non aliis ſobolem quærendam inſtitutum ſit; neuter conjugum, quorum hic paria jura ſunto, jus habet corporis ſui uſum alijs concedendi, ſive primarij, ſive ſecundarij finis gratia id fiat; cum finis matrimonij extra matrimonium non detur. Summam in vita ſociali confuſionem hæc mulierum uſurpatio, & permutatio infert. Unde
f) *Apol. f. m.* 877. *Tertullianus*: f) *Omnia indiſcreta ſunt apud nos, præter uxores*: Reprehendens *illos, qui non ſolum amicorum uſurpant matrimonia, ſed & ſua amicis patientiſſime ſubminiſtrant.* Qualitas quoque commercij matrimonialis inter parentes & liberos jus connubiale nunquam
g) *Levit.* 18. 7. *ſqq.* largitur; g) inter fratrem & ſororem non niſi in caſu propagationis humani generis, ex
h) *Act.* 17. 26. *Gen.* 4. 17. unius hominis ſanguine. h) Et cum inter maritum & uxorem ſocietas jus agnoſcat rectorium, i) regere quidem, & corrigere uxo-
i) *Gen.* 3. 16. ris mores licebit, non tamen extremo in eandem animadvertere ſupplicio: Quod tamen cum jure naturalis, & neceſſariæ defen-
ſio-

Digitized by Google

ſionis ſub moderamine inculpatæ tutelæ, non erit confundendum.

§. 23. *Commercium* quod in ſocietate *inter parentes & liberos* datur, uti fundatur in fine hujus ſocietatis, qui eſt liberorum educatio, a) ita ratio eſt jurium hujus conſociationis. Parentes enim, quia liberos educare tenentur, inde jura quoque ſua liberorum vitam, actiones, & mores regendi, petulantiam eorum coërcendi, contumaces puniendi, refractarios cogendi, habent, pro indole hujus conſociationis, quæ paterna eſt, & ratione ætatis liberorum, quæ variat. Et cum convictus hic non careat mutuo amoris naturalis affectu, qui iſto commercio magis incenditur, & ſua liberis hinc derivare licebit jura, qualia ſunt: Jus familiæ; ſucceſſio in bona parentum, &c. alibi explicanda.

a) *Eph.* 6. 4.

§. 24. Ratio denique *commercij*, quod in *ſocietate herili* inter herum & ſervum datur, a) origines oſtendit, & qualitates jurium cum heri, tum ſervi. Vel enim iſtud commercium ex pacto tantum, & locationis conductionis contractu datur; vel oritur ex proprietate, & dominio perſonæ. Ibi locum habent jura utriuſque partis, ex pacti & contractus modo quæſita; hic jus re, ceu ſua, libere utendi, ſolis humanitatis, & æquitatis naturalis legibus temperatum. ᾗ μὲν δοῦλος, inquit *Ariſtoteles*, b) οὐκ ἔστι φιλία πρὸς αὐτόν, ᾗ δ' ἄνθρωπος, *qua ſervus eſt id quod eſt, nulla*

a) *Eph.* 6. 5. *Coloſ.* 3. 22. *Tit.* 2. 9. 2. *Pet.* 2. 18.

b) *Ethic. Nicom.* l. 8. c. 11.

cum

cum eo amicitia intercedit domino: ſed qua homo eſt, aliqua.

§. 25. Officia hæc inter Conjuges, parentes item atque liberos, heros atque ſervos, & jus à ſe invicem iſta poſtulandi, religio, & diſciplina Chriſtiana non tollit; ceu in Decalogo contenta, & ab Apoſtolo, a) cum *δικαίως vivendum* eſſe urget, intimata, & paſſim, ceu ex ſupra dictis patet, notata; ſine quibus etiam minores iſtæ ſocietates ſubſiſtere neſciunt. Similiter *Cyprianus*, b) in *breviario præceptorum cæleſtium de religioſa ſectæ noſtræ*, ut loquitur glorioſus Martyr, *diſciplina*, Quirinum ſuum informans, *liberis, parentibus, ſervis, heris*, eadem *Pauli* monita commendat.

a) *Tit.* 2.

b) *l.* 3. *ad Quirin. c.* 70. *ſqq. f. m.* 312.

§. 26. Communia hæc ſunt omnibus Chriſtianis, & non Chriſtianis, officia, atque jura agendi, vel poſtulandi, habendique aliquid in vita ſociali, quæ etiam naturali lumine practico innoteſcunt; Chriſtianis licet ex Spiritus ſancti illuminatione, per ſcripturas ſacra, etiam nota ſint. Quatenus itaque ex viribus naturæ talia peraguntur humana ſunt; qua vero ex fide fiunt, à converſis & regenitis, ex gratia Spiritus ſancti renovatrice, & ad ea quæ ſunt Spiritus DEI referuntur, bonorumque operum nomen merentur, Chriſtiana ſunt. Ibi agitur ſub intuitu boni, rationis lumine cogniti, quod in Gentiles etiam cadit: a) Hic vero ſub intuitu boni fide agniti, b)

a) Rom. 1. 29. *ſqq. c.* 2. 15. *ſqq.*

tiæ, b) & ſunt fructus ſpiritus. c) Illi actus b) *Rom.* 14.
naturales, ſeu ut cum ſcriptura loquamur, d) 24.
animales ſunt, & ratione *objectorum*, & ratio- c) *Gal.* 5. 22.
ne *cauſa efficientis*: Hi ratione objecti mate- d) 1. *Cor.* 2.
rialis *naturales* quidem dici queunt; ratione vero *cauſæ efficientis*, & qua motu regenitis proprio, virtuteque gratiæ in regeneratione acceptæ, peraguntur, ſub ratione quadam ſpirituali, *ſpirituales* ſunt. De quo prolixius B.
D. *Iohannes Muſæus*. e) Nimirum ſicut ſci- e) *de Con-*
entia & fides circa idem objectum naturale, *verſ. diſp.* 4.
diverſa licet ratione ſub qua, interdum ver- c. 1. §. 37.
ſantur, quod ex lumine naturæ, & verbo DEI *p.* 264. *ſqq.*
innoteſcit; f) ita circa idem objectum πρακ- f) *Ebr.* 11.
τικὸν materiale, naturalis & ſpiritualis homo, diverſimode licet, ut explicatum, interdum occupantur. Longe hinc aliter, quam olim *Stoici*, quid Chriſtianum in vita ſociali Chriſtiana *of-*
ficium ſit, deſcribit *Clemens Alexandrinus*: g) g) *Pædag.*
Nimirum ἀκόλουθον ἐν τῷ βίῳ θεῷ καὶ Χριστῷ *l.* 1. *c.* 13. *f.*
βούλημα, ἐγκατορθούμενον ἀϊδίῳ ζωῇ, *quæ in vita* *m.* 136.
DEVM & Chriſtum ſequitur voluntas una, quæ ſe propter vitam æternam recte, & ex virtute gerit. Stoicis vero προσῆκον καὶ καθῆκον, officium audivit τὸ κατορθούμενον κατὰ τὴν τοῦ λόγου ὑπακοὴν, *quod ex rationis obedientia recte geritur.* Conſentit diſciplina B. *Ambroſij*: Et videtur, ex recentioribus, ad hanc differentiam officiorum etiam reſpexiſſe Poloniæ Mareſchallus, *Lucas Opalenius*, ſub *Pauli Næocelij* nomine, in libr. de Officiis: Nec omnino male: li-

cet quæ ex domeſtica diſciplina immiſcuit, nobis non probentur.

§. 27. Cæterorum denique, quæ commoditas vitæ ſocialis, ratio vivendi, uſus etiam vitæ humanæ deſiderat, faciendorum & uſurpandorum Chriſtianos jus habere, *Tertullianus* rurſus monuit: a) *Non Brachmanæ,* inquiens, *ſumus, aut Indorum Gymnoſophiſtæ, ſylvicolæ, & exules vitæ. Meminimus gratiam nos debere Domino* DEO *creatori, nullum fructum operum ejus repudiamus. Itaq; non ſine foro, non ſine macello, non ſine balneis, tabernis, officinis, ſtabulis, nundinis veſtris, cæteriſq; commerciis, cohabitamus in hoc ſeculo, navigamus & nos vobiſcum & militamus, & ruſticamur, & mercamur, proinde miſcemus artes, opera noſtra publicamus uſui gentilium.*

a) *Apolog. f.* 183.

ARTICULUS III.

De

JURE SACRORUM.

§. I.

SAcrorum uti in omni ſocietate humana ſumma eſt neceſſitas, ita divinis, humaniſque legibus illorum præcipitur cuſtodia. Τὸ γνωςὸν τȣ̃ Θεȣ̃ a) per naturam manifeſtum eſt in nobis, ut DEUM, cui omnia debemus, cognoſcentes, eundem etiam, ceu creatorem, ut

a) *Rom.* 1. 9.

Digitized by Google

ut creaturas decet, veneremur. *Hac*, hinc eximie inquit *Lactantius*, b) *conditione gignimur, ut generanti nos DEO juſta & debita obſequia præbeamus, hunc ſolum noverimus, hunc ſequamur*: Quo nomine etiam, eodem Doctore, c) *juſtitiæ DEI cultus adſcribitur: quem qui non ſuſcipit, hic à natura hominis alienus vitam pecudum ſub humana ſpecie vivit.* DEI equidem colendi ergo, ab ipſo Numine Optimo, Maximo, adhuc per naturam, idque quoad primas tantum, eaſque obſcuriores lineas, ſufficienter autem in Scripturis ſacris religio nobis præſcripta eſt: Sed prævalens perverſa educatio, & naturæ imbecillitas, atque depravatio, quæque hinc orta eſt, in ſcripturis etiam interpretandis, φιλαυτία, qua cuilibet id placet, quod in oculis ipſius rectum videtur, cum *naturalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus DEI, quæ illi ſunt μωρία, ſtultitia*, d) in diverſas de religione mentes hominum diſtrahunt ſententias, in ſimultatem, diſſidia, & hoſtiles inimicitias erupturas, verum licet non niſi unum ſit. *An* ergo, & *quid* cuilibet homini hic *juris*, quidque circa *cuſtodiam* rei in vita ſociali ſumme neceſſariæ *juſtum* ſit, diverſimode cum mortales diſquirant; quid ex rei natura, ſana ratione, & Scriptura ſacra, ſecundum Auguſtanæ Confeſſionis Doctorum diſciplinam, maxime ſocialem, nobis videatur, paucis explicabimus, arduam

b) *l.* 4. *c.* 28.

c) *de ira Dei c.* 7.

d) 1. *Cor.* 2. 14.

Digitized by Google

e) *de Conſtit. Imp. R. P. l. §. 16.* licet hanc materiam, & diſputationibus obnoxiam eſſe fateatur cum aliis *Lampadius,* e)

SUBSECTIO I.

De

JURE CIRCA RELIGIONEM.

§. I.

ETſi quid ex *jure religionis* liceat prolixius, & diſtinctius, quam in præſenti ſit, explicandum videatur, oſtendere tamen nunc, & illuſtrare aliquot exemplis licebit, ut in ſuperioribus factum, quomodo inter origines facultatis agendi, certumque genus actionum edendi, *religio* referatur. Docebit hoc ipſa natura, indoles, & finis religionis, hujuſque conſideratio. A natura enim & fine rei petendum, quid juris agendi illa largiatur, quemadmodum, ut *Cicero* a) loquitur, *omnia honeſta ac turpia à natura dijudicantur.*

a) *1. de LL. P. 165.*

§. 2. Significatur *religionis* vocabulo modus colendi DEUM, non quidem qualem ratio ſibi relicta præciſe præſcribit, ſed potius qualem à DEO facta revelatio præprimis docet. Ille enim Numinis colendi modus, etſi vera ſit religio, & ἀλήθεια τ͂ Θεῦ, *veritas DEI Paulo* a) dicatur, quamdiu ejus principia debito modo accipiuntur; longe tamen imperfectior eſt, quam ut ſufficiat ſaluti æternæ

a) Rom. 1. 25.

næ obtinendæ, cujus homo vage, ex ſenſu aliquo immortalitatis animæ ſuæ, avidus eſt; debilior licet ille fuerit in Gentilibus, ita ut ex imperfectionis hujus ſenſu, ultra *prudentiam hanc univerſalem,* uti appellatur *Edoardo Herberto de Cherbury,* divinam aliquam revelationem deſideraverint ſaniores etiam ex Gentilibus, Pythagoras, Plato. Contendat enim licet ratio cum *Cherburio,* b) etſi vix ſine formidine oppoſiti, ex naturali aliqua fiducia, quam in divina bonitate, atque Ente per naturam optimo & perfectiſſimo locet, DEUM cunctis hominibus ita conſuluiſſe, *ut,* quæ *Herberti* c) eſt ſententia, & verba, *una cum appetitione ſtatus æterni beatioris, quam illorum animis indidit, media porro quadam communia, efficaciaq; ad ſtatum illum conſequendum ſubminiſtraverit;* attamen uti ſummi boni non niſi vage homo, cœlo exul, eſt cupidus, ita ad omnia cæcutit, lucis, viæ, ducis ex ſe ignarus. *Eſt,* inquit B. *Dannhavverus,* d) *hominis uniuscujusq; votum; quid me oportet facere, ut ſalvus ſiam? Quid boni faciam, ut habeam vitam æternam? Quærit DEUM, palpat divinitatis veſtigia ubivis obvia, implorat* χειραγωγοὺς, *qui manu ducant;* palans, & ad omnia cæcutiens; prolixius hoc contra religionis naturalis doctorem Anglum explicante *Iohanne Muſæo,* e) Theologo Jenenſi. Unde *Clemens Alexandrinus,* f) οὐχ' inquit, ἐχέγγυοι διδάσκαλοι περὶ Θεοῦ λέγοντες ἄνθρωποι καθὸ ἄνθρωποι,

b) *de Veritat. & in l. de cauſ. error. paſſim.*

c) *append. ad l. de cauſ. error. poſt fin.*

d) *Hodoſoph. p. 21.*

e) *de Lumin. Nat. ad ſalut. inſuffic. contra Edoard. Herbert.*

f) *6. Strom. f. 697.*

 non

non ſunt fide digni cum de DEO *loquuntur homines.* Nam ὁ μὴ περὶ αὐτοῦ τ' ἀληθῆ λέγειν δυνάμενος, ἆρ' οὐ πλέον οὐδὲ τὰ περὶ Θεοῦ πιστευτέος, *qui non poteſt de ſeipſo vera dicere, annon multo magis ne de* DEO *quidem ei credendum eſt.* Et *Arnobius*: g) *Quibus modis ordinavit res ſuas* DEVS, *homo animal cæcum, & ipſum ſe neſciens, ullis rationibus conſequi non poteſt.* Conciſe etiam *Lactantius,* h) homines revelatione deſtitutos, *ſummum hominis officium non reipſa, propoſito tamen tenere,* affirmat. Ne dicam, magnum argumentum vanitatis religionis Naturalis, ceu ſufficientis ad conſequendum ſtatum hac vita beatiorem, eſſe, quod nuſquam gentium per univerſum terrarum orbem illam invenire liceat, nec aliter detur, quam Ariſtoteles, de ſua materia prima, & privatione diſputavit, quæ actu nunquam extiterunt. Licet interim non negemus, DEUM avocando per naturam, univerſali hac ſua providentia, Gentiles ab idololatria ad veri DEI, verique cultus & Eccleſiæ inquiſitionem, ad pœnitentiam etiam vocando, ultimo intendiſſe æternam hominum, ſic per naturam vocatorum, ſalutem, notante B. D. *Iohanne Schmidio.* i)

g) *Contra Gent. l.2. p. m.* 113.

h) *l.1. c.3.*

i) *de Leg. Nat. §.8.*

§. 3. Cum itaque *naturalis religio* imperfecta ſit, tam quoad cognitionem, quam quoad cultum divinum, μόνη τοίνυν, uti concludit *Clemens Alexandrin.* a) ἡ παρ' ἡμῖν θεοδίδακτός ἐστι σοφία, ἀφ' ἧς αἱ πᾶσαι πηγαὶ τῆς σο-

a) *l. c.*

φίας

φίας ἤρτηνται, ὅσοι γε τῆς ἀληθείας στοχάζονται, *ſola ergo eſt à* DEO *tradita, quæ eſt apud nos doctrina, à qua dependent omnes fontes ſapientiæ, quicunq; ad veritatem, tanquam ad ſcopum, feruntur.* Tradita autem hæc eſt per revelationem externam, viva voce olim, & ſine ſcripto, propagatam, in ſequentibus vero temporibus verbo ſcripto comprehenſam. Hujus auctoritati, & certitudini, ut inſultent *Herbertus,* b) *Hobbius,* c) *Spinoſa,* d) nobilis iſta *impoſtorum* noſtri temporis triga, ex digno B. Dn. *Kortholti* e) elogio; quibus merito addendus *Beckerus,* f) nuperus Empecta, nimis ſunt heſterni, poſtquam contra tot Atheos, illuſores, Lucianos, Hæreticos, atque Gentilium ſapientes glorioſe hactenus triumphavit. Sunt tamen non minus religioni naturali, imperfectæ licet & inſufficienti, ſua jura, quam illa, quæ verum de DEO ſenſum, & rectum DEI cultum, ſufficienter ex revelatione ſcripta continet, ſua jura habet; quæ ne falſæ quidem per omnia deneganda ſunt; non quidem ideo quod matæologia ſit, ſed ob opinionem illorum, à quibus pro vera religione habetur, & quibuſcum ſocialiter neceſſario nobis eſt vivendum.

b) *l. c.*
c) *de Civ. c. 15. 18. c. 17. 27. Leviath. c. 32. ſq.*
d) *Tractat. Theolog. Polit. Præfat. & paſſim.*
e) *de tribus Impoſtor. Magn. Præf.*
f) *Mund. faſcinat.*

§. 4. *Naturalis religio,* quæ pure talis ſit, nullibi inter mortales datur, ſed vel aſſumento gentili idololatrico corrumpitur, vel Muhamedana, vel hæretica impietate, alioque modo deformatur, vel Chriſtiana diſci-

plina, ſacris Prophetarum & Apoſtolorum literis tradita, perficitur. De *Iure ergo religionem conſtituendi* inter mortales, quæque *publica* ſit, publiceque exerceri debeat, *ordinandi*, notandum, quod, licet ob rerum humanarum imperfectionem, & ſenſus de religione inter homines diverſitatem, res non careat, in praxi inprimis, ſummis difficultatibus; jus illud omnino etiam ſit penes Rectores civitatum, & populorum, poſtquam nimirum, quæ vera ſit religio legitime, & ſufficienter prius cognoverint; ſuadendo tamen potius, cenſente ſic ex Græcis Eccleſiæ Doctoribus *Clem. Alexandr.* a) ex Lat. *Tertull.* b) quam, quod contra *Sciopium*, & *Bellarminum* aſſerimus, per vim imperando & cogendo. Rectorum vero jus eſſe conſtituere, civiliter ſcilicet, contra turbatores, & novatores, cujus religionis exercitium publice vigere debeat, cum civium licet, qui qua homines naturaliter, & æqualiter, hic ſua jura habent, conſenſu; nam ex *ſua fide quilibet vivet*; c) ex fine, cujus gratia imperandi poteſtatem à DEO acceperunt, cognoſcitur, qui eſt ut vivamus *ἐν πάσῃ εὐσεβείᾳ καὶ σεμνότητι, in omni pietate & honeſtate.* d) Prurienti itaque petulanter in religione novandi libidini, quam omnis generis impietas conſequi ſolet, à qua vera religio abhorret, cum legem Domini *cuſtodire* tenentur imperantes, e) ex poteſtate legiſlatoria jus habent obicem ponendi, ne pro lubitu

a) *Pædag. l. 1. c. 1.*
b) *ad Scapul. f. m.* 552.
c) *Habac.* 2. 4.
d) 1. *Tim.* 2. 1.
e) *Deut.* 17. 18. *Ioſ. l.* 7.

lubitu quilibet ſibi ſacra fingat, privatumque DEI cultum ſuperſtitioſe pro lubitu excogitet; uti non exiſtente apud Ebræos rege, cum quilibet, *quod rectum in oculis ejus erat, faceret*, f) Micha quidam idololatricum inſtituit cultum. *In hoc reges*, inquit B. *Auguſtinus*, g) *ſicut eis divinitus præcipitur*, DEO *ſerviunt, in quantum Reges ſunt, ſi in ſuo regno bona jubeant, mala prohibeant, non ſolum quæ pertinent ad humanam ſocietatem, verum etiam, quæ ad divinam religionem.* Quod ſalvo tamen ordine intelligendum, *Independentiſmus* etiam, ad cujus *aſylum* in Anglia ſe ſtatim *receperunt, qui ſibi conſcij fuerunt ſingularitatis, quam non toleratum iri viderunt*, ut libere ſua monſtra opinionum foverent; quantum, imperio civili non coërcitus, turbarum in Eccleſia Britannica, Reipublicæ etiam noxiarum, dederit, quantum hæreſium pepererit, ex *Honorio Reggio*, h) & *Hornbeeckio* i) patet. *Sectariorum colluvie*, inquit *Creygthonus*, k) *miſerabilis inſula* (Britannia) *non minus oppleta fuit, quam tellus olim Memphitica locuſtis ac ranis.*

f) *Iudic.* 17. 4. *ſqq.*
g) *Lib.* 3. *contr. Creſc.* c. 51.
h) *de Stat. Eccleſ. Brit.*
i) *Sum. Controverſ.* l. 10.
k) *Hiſtor. Concil. Florent. Præf. ad Lector.*

§. 5. Non minus tamen, ceu dicere incepimus, & illis, quibus obſequij gloria relicta eſt, ſua circa religionem, qua publice vigere debet, & à cunctis recipi, competunt jura, quæ non ex conceſſione imperantis demum accipiunt, vel acceperunt, ſed jam habuerunt, antequam ſe imperio humano ſubmi-

miſiſſe concipiuntur. Nam & ſolitarius homo, & in libertate naturali, extra cœtus humanos, degens, in quo τὸ γνωςὸν τῦ Θεῦ naturaliter datur, a) ad religionem obligatur, *quia*, ut *Lactantius* b) loquitur, *ſervire nos DEO, ut domino, & obſequi ut patri, neceſſe eſt: Quiq; ut cuncta viventia ſubjecit homini, ſic ipſum hominem ſibi.* c) In ſocietatem itaque quando plures congregari inſtituunt, extra cœtum ſocialem qui hactenus vixerunt, inter alia jura libertatis quibus gaudent, etiam *jus religionis*, ejuſque quoad cæteros homines libertatem, ſecum adferunt, quod invitis ab eo, à quo non acceperunt, extorqueri non poteſt, ceu res à DEO immediate conceſſa, propter quam ſoli DEO obligantur. Nec etiam debet, ob allegatam rationem, cum per religionem non mortalibus, ſed ipſi DEO immediate teneamur; niſi talis ſit, ut vitæ ſocialis officia impediat, quod vera Chriſtiana religio nunquam facit; & in ipſam humani generis ſocietatem crudelis ſit, qualis illa eſt religio, quæ ſeditioſa eſt, vel Diabolum colit, ſacrificiiſque humanis Numen, quod ſibi fingit, placare ſolet. Quis non exhorreſcat audiens, vel legens, quod *Iohannes de Summaraga*, d) de incolis urbis Mexicanæ refert, quod *Diis ſuis annuatim ultra viginti millia puerorum puellarumque, eorumq; corda ſacrificarint.* Minime ſane contra jura religionis, & naturalem ejus libertatem, egiſſe cenſendus eſt *Gelo*, qui, ſcriptore *Plu-*

a) *Rom.* 1. 19.

b) *l.* 4. *c.* 21.

c) *Lactant. l.* 3. *c.* 10.

d) *Epiſt. ad ſui ordin. congreg. an.* 1532. *Vid. Nov. Orb. region. inſ. f.* 666.

Plutarcho, c) *Carthaginenſibus*, Molochi cultoribus, *ad Himeram debellatis, pacem componens cum victis, coëgit eos inter conditiones pacis hanc quoq; adſcribere:* ὅτι καὶ τὰ τέκνα παύσονται τῷ Κρόνῳ καταθύοντες, *ipſos in poſterum liberos Saturno nunquam immolaturos.* Vera religio cum republ. optime concordat: *Paulo* explicante. f) Et in hoc triumphat religio Evangelica invariatæ Aug. Conf. quod ceu vera, maxime præ omnibus ſocialis etiam ſit, & doctrinam de majeſtate imperantium inprimis incorruptam & ſanctam conſervet.

c) *t. 2. Opp. f.* 175.

f) *Rom.* 13.

§. *6.* Cæterum quanquam qui ſe ſocietati alicui aggregant, vel cum aliis in ſocietatem quandam congregantur, jura & libertatem religionis naturalem retineant; nil tamen impedit, quo minus ordinate id fiat, ſequendo vel religionem, quæ communi conſenſu pactoque civitatis eſt recepta; vel, ſi diverſum iſti aggregati ſentiunt, diſſentientes, quibus aſſociantur, ceu in poſſeſſione conſtitutos & ut tempore priores, ſic jure ſuæ religionis potiores, non turbando, nec impediendo; vel privatam ſuam ſententiam aliis non obtrudendo, ſed ſecum fovendo, nec diſſeminando. Quod ſi vero cœtui quis ſe aſſocians, ſuam circa religionem libertatem & ſententiam ſubjicit voluntati ſummorum imperantium, totiuſque cœtus ſequitur judicium, non ratione religionis cujuſcunque id facere cenſeri debet, ſed intuitu tunc re-

ceptæ

ceptæ id fieri ſtatuendum; ita ut ſi mutata iſta religione aliam intoduci contingat, civis talis ut ſimiliter ſuam mutet religionem, non cogi poſſit ob hanc rationem, quod voluntatem ſuam circa religionem ſubmiſerit imperantibus, & judicio cœtus cui ſe aſſociavit. Cum enim id non fecerit, niſi ratione religionis tunc vigentis, quam cum civitate & imperantibus pro vera habuit, circa alias ſibi ſuum jus, ſuamque reſervavit libertatem, impie, & contra jura DEO debita facturus, ſi ratione cujuscunque religionis, ſuam voluntatem ita nude ſubjeciſſet voluntati totius cœtus, vel ſummorum in eo imperantium. *Colimus*, inquit *Tertullianus*, a) *Imperatorem ſic, quomodo & nobis licet, & ipſi expedit, ut hominem à* DEO *ſecundum &c. Itaq; & ſacrificamus pro ſalute Imperatoris, ſed* DEO *noſtro & ipſius, ſed quomodo præcepit* DEVS, *pura prece.* Naturalis etiam quod ſit poteſtatis, unicuique colere quod putaverit, recte licet omnes putare, nec ſuo religionis jure, & naturali hac poteſtate, ut à multis fit, abuti debeant, cenſuit Olaus Sueciæ rex apud *Loccenium.* b) Cum enim, quid ad religionem Chriſtianam converſus moliretur, Sueci Gentiles animadverterent, *ne vi ad deſerendum Deorum cultum ab eo cogerentur, ita cum Rege pacti ſunt, ut in quacunq; Sueciæ provincia, quæ ipſi placeret, Chriſtianæ religionis Eccleſiam conſtitueret, neminem autem ex populo à cultu Deo-*

a) *ad Scapul. c. 2. f. m. 552. ſq.*

b) *Hiſtor. Suec. l. 2. p. 52.*

Deorum recedere per vim cogeret, ſed quibuſcunque liberum foret, & qui ſponte ad Chriſtum converti vellent: Hac conditio cum regi placeret, in occidentali & auſtrali Gothia per Sigfridum, DEO faciente, fundari curavit Eccleſiam, & ſe cum ſuis ſacro fonte ablui. Violentiora contra fuerunt media iſta, quam indoles religionis, vel propagandæ, vel reformandæ admittit, quorum autorem ſe fuiſſe gloriatus eſt *Caraffa.* c)

§. 7. Jus nimirum & libertas religionis ſpectatur, vel qua eſt *jus imperantis & publicum*, vel qua *privatum* & privatorum. Illo modo ſignificat jus ad conſtituendum cultum publicum, &, ſi modum habendi ſpectes, limitari id poteſt, atque reſtringi certo pacto atque conventione, quæ pactis fundamentalibus, quibus ſocietas ab initio ſui coaluit, continetur, quaque paciſcentes ab imperantium imperio ſibi nonnulla exceperunt. Qua vero privatum ſeu privatorum, *libertas* religionis, B. *Dorſcheo* a) explicante, *eſt aliquid debitum conſcientiis, quibus naturaliter hoc debitum eſt, ut propter caliginem ad divina nulla adigantur ad credendum vi.* Fluit hoc religionis jus ex naturali hominum æqualitate, qua ad colendum Numen jam omnes obligati ſumus, & fuimus, antequam ordo imperandi & parendi, ex præcepto J. N. fuit introductus, quo facto illi quibus parendi gloria eſt relicta, jure religionis non exciderunt, cum

c) *Germania ſacr. reſtaurat. p.* 98. 103. 114. 129. *ſqq.* 134. 185. *ſqq.*

a) *Prodrom. Anticriſ. p.* 18.

Digitized by Google

cum ſit res conſcientiæ, quæ hominum imperio coactivo non ſubjicitur. Bene etiam cenſuit *Tamburinus*, b) violentioribus eſſe abſtinendum, ne infideles ſimile quid erga noſtros perpetrent.

b) *t. 2. Opp. Moral. f.* 17.

§. 8. Quanquam vero hæc ita ſint, jus tamen habent ſummæ poteſtates ex jure religionis, quod attinet *poteſtatem* in ſacris *directoriam*, ſuos invitandi ſubditos ad veram religionem amplectendam, recte illud, & juſte exerdituri, ubi nullam aliam, ſed hanc tantum iiſdem propoſuerint; ſecus licet haud raro contingat, ob diſſenſum in religione, qui maximis difficultatibus negotium hoc objicit, quolibet diſſentientium pro ſuæ religionis veritate contendente. Fecerunt ita principes Chriſtiani, Conſtantinus M. qui Emeritæ in Hiſpania, veteri inſcriptione, hoc nomine *religionis & fidei auctor* dicitur; Theodoſius M. & alij, ita ut, cum tanquam victores nullis pactis, quo minus quavis arte licita religionem Chriſtianam promoverent, eidemque libertatem procurarent, impedirentur, gentili ſuperſtitioni, magis magiſque obicem ponerent, templa denique deſtruerent idololatrarum, cum quieſcere neſcirent, vehementer poſt *Zoſimum*, a) hoc nomine indignante *Eunapio*. b) Ethnicam licet ſuam religionem pertinaces non ejurarent.

a) *Hiſtor. l.* 4.
b) *Vit. Soph. p. m.* 63.

§ 9. Helliſtæum, Æthiopum Regem Chriſtianum, victis Homeritis, rege illorum

cæ-

cæſo, alium eumque Chriſtianum præpoſuiſſe, *Procopius* a) refert. Non dubitamus, quin victor Æthiops id facere potuerit, cum Chriſtianum infidelibus imperare imperio civili nil impediat, nec religionis diverſitas jura imperandi & obligationem parendi tollat, modo imperio non abutatur ad vim conſcientiæ inferendam.

a) *de bell. Perſic. l.* 1.

§. 10. Citra idololatriæ crimen jura religionis Gentilium externa, aſſumto *Pontificis Maximi* titulo, Chriſtiani Imperatores primorum temporũ ad ſe trahebant, uti Conſtantinum M. ex *Zoſimo*, b) inſcriptionibus, atque nummis, feciſſe conſtat. Arcanum dominationis id erat, plane remoto omni reſpectu ad Gentilem ſuperſtitionem. Concernebant enim iſta tantum civilem quandam poteſtatem, illa in Republ. præcipiendi, quæ Gentiles Imperatores, qua Pontifices Maximi, exercere ſolebant, & qua in rebus ad religionem ſuam, ſeu ſuperſtitionem potius pertinentibus, atque ſic ſacrorum paganorum Præſides erant. *Ampliſſima* enim, *ſupra Conſules etiam*, notante ex *Cicerone*, & aliis *Baronio*, a) *hujus Magiſtratus fuit auctoritas; quippe qui poterat comitia, ne fierent religionis intuitu, probibere, factaq; reddere irrita, decreta a ſenatu intercedere, eademq; intercidere: Fierentne bella, ex ejus arbitrio pendebat; juſſu quoq; ejus ſe Conſules abdicabant.* Leges etiam de ſacris pro arbitrio iidem condebant. Jurium

b) *l. c.*

a) *Annal. t.* 3. *ad ann. C.* 312. *n.* 98. *f.* 96.

rium horum exercendorum gratia, utque ex jure circa ſacra, non ſolum religionem Gentilem coërcere, ſed & Chriſtianam promovere poſſent, titulum & amictum Pontificis maximi, à Pontificibus Ethnicis oblatum, ſumebant Chriſtiani Imperatores; citra tamen ſolennitatem aliquam ſuperſtitioſam, atque comunicationem cum ſacris Gentilium, quæ abrogatum ibant, retentis imperij civilis juribus, quæ ex poteſtate circa ſacra Pontifices iſti maximi ſibi arrogabant, quæque iſte titulus etiam ſignificaverat. Ita *Pontificis* appellationem in titulum mere politicum, & veſtis Pontificiæ aſſumtionem in ceremoniam quandam pure civilem, mutaverant Imperatores, citra ullam ſpeciem colluſionis alicujus cum ſuperſtitione, & impietate Gentilium. Abhorruerant Principes iſti Chriſtiani à munere Pontificis ſuperſtitioſo, ſed non à juribus ejuſdem in Republ. politicis. Non dubitavit ſane *Gennadius Scholarius*, Patriarcha Conſtantinopolitanus, à Mahomete II. Conſtantinopolis expugnatore, Turca, in Patriarchali munere confirmari, explicante *Martino Cruſio*, b) quod citra fraudem religionis Chriſtianæ id fieret.

b) *Turca Græc.* p.107.

§. 11. Similiter non ſimpliciter pro colluſione quadam illicita cum diverſa cenſendum eſt religione, ſi in regia inauguratione, à diverſæ religionis Epiſcopo unctio peragitur; modo ritus ſacri in inauguratione adhibendi neutrius

trius religioni & ſacris repugnent, & ſatis urgens ſic jubeat neceſſitas. Unctionis enim ritus hodie non ſolum per ſe, & ſua natura, res eſt indifferens, humana voluntate introducta, & plane externa; libere etiam adhibetur, ceu ſignum legitimæ, ordinariæ, cunctiſque probatæ vocationis ad regnum: Sed & religionem per ſe plane non concernit, fierique poteſt ſine ceremoniis, quæ alterius ſacris repugnent, ceu ritus mere externus, planeque libere aſſumtus. Unde, quod regni leges ita juberent, Sigiſmundus, Sueciæ Rex, Romano-Catholicus licet, ab Upſalienſi Præſule, Auguſtanæ Confeſſioni addicto, religionis diverſitate non obſtante, in Suecorum regem *ungi* non dubitavit, nec id facere idem Præſul detrectavit, licet *Franciſcus de mala Spina, Pontificis Orator, ritus ſacros in Regis inauguratione adminiſtrare ſtuduerit*, relatum *Loccenio.* a) Simile eſt, quando miniſter Lutheranus à Magiſtratu Pontificio ad munus Eccleſiaſticum, in Eccleſia invariatæ Auguſt. Confeſſioni addicta, vocatur. Ita nec ab Hæreticis legitime baptizatos rebaptizamus. Rata ergo talis manet Unctio.

a) *Hiſtor. Suec. l. 7. p. 418.*

§. 12. An vero Princeps ſubdito, vel herus diverſæ religionis ſervo, vel alias in parendi conditione conſtituto, præcipere poſſit, ut vel officij politici, vel ſervitij cauſa, ad ſua ſe comitetur ſacra, iiſque interſit, quæſitum fuit, cum in Comitiis Germanicis, Auguſtæ cele-

Digitized by Google

bratis, Carolus V. Cæſ. Miſſam aditurus, *Saxonem*, inter Proteſtantes Principem, *adeſſe juberet, ac ſibi præferre gladium, quod ejus id eſſet officium in ejuſmodi pompis*, ceu refert *Sleidanus*. a) Sane uti nuda præſentia non infert colluſionem cum cultu alieno, vel cum eodem aliquam communicationem, ita ſimpliciter illicitum non eſt adeſſe alienis ſacris, modo non ſimules eundem cultum, vel alio modo illicito cum illo communices. Licuit certe ex Eliſæ conceſſione Naamani Syro, poſt ſui converſionem, intereſſe ſacris idololatricis regis ſui, in domo Idoli Rimmonis, officij politici cauſa. b) Cenſemus enim cum *Georg. Abbatio*, c) continuiſſe petitionem Naamanis deſideratam *diſpenſationem ſuper futuris officiis, Regi in aditu ad idololatricum cultum præſtandis*; nimirum ut incurvando ſe præſtaret regi ſervitium externum, quod munus illius politicum requirebat, & citra communicationem cum idololatria Gentili præſtari poterat. Unde ſicut Naaman ab Eliſa impetravit, ut ſibi liceret comitari Regem ad templum Rimmon, ita *Saxo re deliberata, cum Theologi dicerent, licere adeſſe, quod ad ſuum officium eſſet vocatus, non ad Miſſam, velut ad cultum divinum, acceßit*, memorante rurſus *Sleidano*. d) Idem cenſuit *Tertullianus*: e) *Si propter ſacrificium* (Ethnicum) *vocatus adſiſtam, ero particeps idololatriæ; ſi me alia cauſa con-*

a) *Comm. l.* 7.

b) 2. *Reg.* 5. 18.

c) *Prælect.* 6. *qq. illuſt. q.* 6.

d) *l. c.*

e) *de idolol. ſ. m.* 738.

Digitized by Google

conjungit ſacrificanti, ero tantum ſpectator ſacrificij.

§. 13. Quod parvuli Judæorum parentibus eripiendi ſint, & illis invitis baptizandi, recte negatur; a) quod etiam de aliorum infidelium infantibus habendum: De quo poſt *Thomam* b) *Antoninus*, c) ArchiEp. Florentin. *Sylv.* d) ex *Tabiena Samuel de Lublino*, e) & alij. *Tamburinus*, Jeſuita Siculus, f) cum aliis, quos adducit, reſtricte loquitur: *Infantes*, inquit, *parentum infidelium, qui parentes ſui juris ſunt, nec ullo modo ſubjecti Principibus Chriſtianis, non poſſunt parentibus utrisque invitis baptizari.* Verum recte monet *Prieras*, g) *quod princeps* (Chriſtianus) *non plus, ſed minus dominetur ſuper filio Iudæi, quam ſuper patre, & tamen patrem non poteſt cogere ad ſuſcipiendum baptiſmum in ſe.* Nec poteſt Judæus, vel infidelis alius, civiliter ſubjectus, ob religionis diverſitatem privari jure patriæ poteſtatis, cum non ſit delictum civile, cum imperante nolle quoad religionem conſentire. Jura religionis Chriſtianæ non tollunt jura naturalia, & ſic nec poteſtatis patriæ, quam proin Judæi & infideles non minus, quam Chriſtiani habent. *Facere injuriam*, inquit *Antonin.* h) *alteri eſt malum, quod non faciendum ut eveniat bonum. Fit autem injuria parentibus, ut eis invitis eorum pueri, qui ſunt ſub cura eorum baptizentur: Et ideo non debet hoc fieri etiam propter bonum ſequendum, ut* libe-

a) *Gloſſ. in cap. Iudæorum 28. q. 1.* *Thom. II. 2. q. 10. art. 12. Reſp.*
b) *l. c. Reſp.*
c) *Sum. P. II. tit. 12. c. 2. §. 4.*
d) *Sum. P. I. Baptiſm. IIII. §. 4.*
e) *Sum. P. I. V. Iudæus. §. 15. p. 406.*
f) *t. 2. Opp. l. 2. de Bapt. c. 3. §. 2.*
g) *l. c.*
h) *l. c.*

liberentur à periculo mortis æternæ: Rumpitur enim ordo juris naturalis.

§. 14. Melitenſes Equites infantem barbarum, Imperatoris Turcarum, Jbrahimi, *filiolum* creditum, autore *Brabelio*; a) licet *Autor hiſtoriæ de tribus hujus ſeculi famoſis impoſtoribus*, b) eundem incerto parente natum, ex ſerva quadam emtitia, contendat; baptizatum ſuæ religionis ſacris imbuerunt, captum ann. 1644. intercepto navigio, quo una vehebatur cum matre, quæ ex numero uxorum Ibrahimi fuiſſe credita fuit. Recte vero cenſet *Tamburinus*, c) poſtulantibus parentibus infidelibus, captivum infantem, filiolum, ſoluto pretio reddi potuiſſe non baptizatum, cum ad religionem violentioribus mediis propagandam nulla detur obligatio.

a) *Hiſt. noſtri temp. l. 6. p. 101.*
b) *in Padre Ottoman. p. m. 3. ſqq.*
c) *t. 2. Opp. l. 2. de Bapt. c. 3. §. 2. n. 16.*

§. 15. Habent & *liberi* naturaliter *jus religionis*. Naturali, & divino jure ſcripto, a) hoc eſt ſub directione parentum, explicante *Theodoreto*; b) licet, quæ rerum humanarum eſt viciſſitudo, difficultas, & imperfectio, haud raro hi iſtam ſuam directionem male exerceant. Incipit autem in liberis juris hujus uſus, quando ratione uti ſciunt, judicioque ad diſcretionem veri à falſo ſufficienti gaudent, ad quod ex ſcripturis ſacris mature, & bene informandi ſunt, ita ut de rebus ad religionem pertinentibus judicare, ſuæque religionis rationem reddere queant. An autem, quando *implevit annum ætatis ſeptimum* puer, præ-

a) *Eph. 6. 4. Geneſ. 18. 19.*
b) *Comm. h. l. t. 3. Opp.*

præſumi poſſit ſufficientem rationis habere uſum, ad exercendum jus religionis, ut *Trullench*, c) *Bardus*, d) *de Scildere*, e) & alij exiſtimant, ut *parentibus infidelibus invitis* baptiſmum petens, *baptizari* poſſit, & à parentibus id impedire volentibus, etiam ſeparari, merito dubitatur, imo negatur. Etſi enim quando puer ratione ſatis uti incipiat, certo definiri non poſſit, ſed *Grotio* f) monente, *ex quotidianis actibus, aut etiam ex eo, quod communiter in quaq; regione accidit, deſumendum* ſit; attamen cum, eodem obſervante, *apud Hebræos* demum *valuerit promiſſio, quam feciſſet adoleſcens, qui annum impleverat decimum tertium, puella autem quæ duodecimum*, quod ſufficiens rationis uſus, & neceſſaria deliberatio, in minorem ætatem iſtam ordinarie vix cadat, explicent *Bardus, Bonacina*, & qui ab his allegantur, quî in ætatem ſeptem annorum ſufficiens facultas de religione, ejus veritate, & variarum religionum differentia, judicandi cadere poſſit. *Minorum conſilium fragile eſt, & infirmum, & multis captionibus ſuppoſitum, multorumq; inſidiis expoſitum.* g) Annuunt *Literæ gratiæ*, h) à Sabaudiæ Duce Walденſibus ann. 1655. conceſſæ, quas exhibet *Autor Relationis fidelis rerum in Vall. Pedem. geſtarum* i) ann. 1655.

c) *Opp. Moral. t.3. l.2. c.1. dub. 6. n. 9.*
d) *de Conſcient. diſſ. 6. c. 11 part. 1. §. 4. n. 4. p. 711.*
e) *de princip. Conſc. form. tract. 5. c. 2. n. 11. p. 697.*
f) *l. B. P. II. 11. 5.*
g) *l. 1. Dig. de Minor.*
h) *Art. 15.*
i) *c. 9.*

§. 16. *Inter conjuges* etiam *jus religionis* liberum manet. Habent illud ante celebratas nuptias: Et cum per mutuum conſen-

ſenſum conſociantur, *maritus quidem uxoris caput evadit, ſed in rebus conjugij, & in rebus familiæ.* a) Harum vero numero cum religio non continetur, nec viri voluntati ſuam circa religionem libertatem & jura, vi conſotiationis ſubmittit uxor, aut ſubmittere tenetur. Faceret enim id contra jus ſuperius, cum quæ DEO debet, ex ipſius voluntate & præcepto, humanæ voluntati ſubmittere non poſſit. Unde quando maritus religionem mutat, vel in melius, vel in deterius, matrimonium non ſolvitur, nec divortio datur hinc locus, monente *Paulo,* b) εἴ τις ἀδελφὸς γυναῖκα ἔχει ἄπιστον, καὶ αὐτὴ συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ᾽ αὐτοῦ, μὴ ἀφιέτω αὐτήν· καὶ γυνὴ ἥτις ἔχει ἄνδρα ἄπιστον, καὶ αὐτὸς συνευδοκεῖ οἰκεῖν μετ᾽ αὐτῆς, μὴ ἀφιέτω αὐτόν, *ſi quis frater uxorem habet infidelem, & hæc aſſentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam. Et mulier quæ habet maritum infidelem, & is aſſentitur, ut habitet cum ea, ne dimittat eum.* Satis autem patet, c) non loqui Apoſtolum de nuptiis contrahendis perſonarum diverſarum religionum, quarum altera ſalutem animæ mortalium perdit: *Oſtendit* enim, obſervante etiam *Tertulliano,* d) *jam in matrimonio agentem mulieris infidelis, mox gratia* DEI *converſum perſeverare cum uxore debere: ſcilicet propterea, ne qui fidem conſecutus, putaret ſibi devertendum eſſe ab aliena, jam & extranea quodammodo fœmina.* Cogendi tamen uxorem, ut & ipſa religionem mutet, jus

a) Grot. l. B. P. II. 6. §. 8.

b) *1. Cor. 7. 12. 13.*

c) *Theodor. Com. h. l. t. 3. Opp.*

d) *ad Uxor. l. 2. c. 1. f.* 531.

jus non habet, alienum jus invaſurus, ubi id fecerit. Argumentis intellectum convincentibus, non vi & minis, & hic agendum. Nec caruit conatus ſucceſſu, non quoad veram religionem tantum, exemplo Crotildis (aliis dicitur Clotildis) apud Clodovæum, Francorum Regem Ethnicum; explicatum *Gaguino*; e) ſed & quoad falſam, uti *Theodoretus* f) autor eſt, quod *conjugis verbis illectus* Valens Imper. *καὶ ἀπατηλῶν γυναικείων ῥημάτων ὑπήκοος*, *& doloſis muliebribus verbis obſequens factus*, in Arianam hæreſin inciderit: Viris alibi iiſdem artibus uxores, ad ſuam religionem amplectendam, permoventibus.

e) *de geſt. Franc. l. 1. f. 5.*

f) *Hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 11.*

§. 17. *Falſæ religioni* in foro externo, de facto, & jure humano, divino tamen concedente, eadem quidem haud raro competunt jura, quoad ejus inter mortales receptionem, libertatem, atque exercitium, quæ veræ, cum qua hinc in vita ſociali exteriori pari paſſu ambulat, ſed præter meritum & dignitatem; & ob libertatem tantum religionis ſimpliciter conſideratæ, cujus hoc jus naturale eſt. Conſociationis enim humanæ tranquillitas aliter obtineri, & retineri non poteſt, habentibus male perſuaſis ſuos errores, perverſumque DEI cultum, pertinaciter eodem loco, qui non niſi veræ religioni competit, ita ut ſint a) haud raro objectum pacti, æque atque vera religio. Zizania ſane à *Chriſto* æque, in certo caſu, *tolerari jubentur, ad meſſis uſq;*

a) *Math. 13. 29.*

tempora, & conſummationem ſeculi, atque *triticum*; & hactenus pari jure gaudent, verum non ex eadem ratione, nec eodem plane jure, & ſi de facto, valide tamen. Hinc quod jure non licet in veram, etiam non licet in falſam religionem. Falſam enim quod attinet, illorum malorum numero haud raro illa continetur, quæ vel genti in gente, ob defectum jurisdictionis, non coërcere licet, vel quibus Reſpublica non eſt par, quam proin pari jure cum vera tolerare oportet. Non quidem quia, ut dictum, eſt religio falſa, vel quaſi probaretur; verum quia habet rationem mali inſuperabilis, & prævalentis, cui ex neceſſitate tali modo cedendum. Accedit etiã mortalium æqualitas, quoad jus religionis, quo primo & immediate DEO obligamur, quod antecedenter ſe habet ad introductionem in genus humanum ordinis, ut alij ſint imperantes, alij parentes. Tolerat etiam vera religio falſam, tanquam malum aliquod phyſicum, ne gravius quid ab illa pati cogatur, multa, ſic urgente eadem neceſſitate, eidem concedendo, intra terminos licet tolerantiæ tantum, etiã perpetuæ; abſtinendo denique à plurium jurium adverſum falſam religionem uſu, ne ſi non domi, alibi tamen eandem adverſus ſe provocet. Conſentiunt doctiſſimi Theologi *Dorſcheus*, b) *Hülſemannus*, c) *Dannhavverus*. d)

b) *Prodrom. Anticriſ.* p. 18.
c) *Brev. Extenſ.* c. 20. §. 10. *ſuppl.* §. 8.
d) *Theol. Conſc.* t. I. P. II. p. 630.

§. 18. Muhammedano, & Gentili Principi, Chriſtianos perſequendi jus præbet, & perverſa proin eſt illorum diſtinctio, qui

religionem aliam *internam*, aliam *externam* fingentes, ad hanc, illi licet contrariam, & ſenſui, quem quis de DEO & rebus ad fidem pertinentibus in conſcientia tenet, repugnantem, imperantes cives ſuos cogere poſſe contendunt. Nec etiam nobis *Hobbij* Leviathan a) placet, qui contendit, *in rebus omnibus legi morali ſeu naturali non contrariis, cives omnes obligari, ut pro lege divina habeant, quicquid à lege civili pro lege divina declaratur.* Nam non ſolum impium eſt, cultu ſcipſum deſtruente, ſibique ipſi contrario, DEUM colere, duplici corde, imo & ore bilingui, uti fit duplici iſta religione; ſed & cum præſenti animæ periculo conjunctum. *καρδίᾳ γὰρ πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν, corde enim creditur ad juſtitiam: ore autem confeßio fit ad ſalutem*, ex ſanctiori diſciplina *Pauli*. b) Falſum etiam eſt, quod Leviathanicæ Theologiæ aſſertor *Houtuynus* c) urget, *Principem ſc. religionem publicam facere quamlibet*; caſtigatus ob levitatem hanc à *Pufendorfio*. d) Non enim arbitrij humani res eſt religio; & juſte, juſtitia certe externa, in pios Chriſtianos Gentiles Imperatores, tribus prioribus poſt Chriſtum natum ſeculis, gladium ſtrinxiſſent, quod non in iis omnibus, quæ juſſerant, Martyres obediverint, ſi cives ſuos ſic obligare potuiſſent, ut in omnibus ad ſua edicta, etiam circa religionem, ſe componerent. Licuiſſe vero hoc ſibi, ipſo facto ne-

a) *c.* 26. *p.* 137.

b) *Rom.* 10. 10.

c) *Polit. contract. c.* 64.

d) *de habit. rel. Chriſt. append. p.* 201. *ſqq.*

e) *Actor.* 5. *40. ſqq.*

f) *l. B. P. l. 1. c. 4. §. 7. ad. Baron. t. 2. Annal. fol. 694 ſqq.*

g) *c. 42. p. 234.*

h) *de Cauſis error. Corolld. p. m. 31.*

negarunt olim Apoſtoli, e) contra Synedrij Hieroſolymitani interdictum, *ne loquerentur in nomine Ieſu, quotidie in templo, & in ſingulis domibus, annunciantes Ieſum Chriſtum.* Et legionis Thebeæ milites, cum Maximianus Cæſar Diis falſis ſacra facere illos compelleret, *milites quidem,* reſponderunt, narrante *Eucherio,* EpiſcopoLugdunenſi, qui Acta hujusMartyrij conſervavit, apud *Grotium,* f) *tui, Cæſar ſumus, & ad defenſionem Reip. Romanæ arma ſuſcepimus: nec unquam aut deſertores bellorum, aut proditores militiæ fuimus, aut ignavæ formidinis meruimus ſubire flagitium. Tuis etiam obtemperaremus præceptis, niſi inſtituti legibus Chriſtianis, dæmonum cultus & aras ſemper pollutas ſanguine vitaremus.* Putat equidem *Hobbij* Leviathan, g) *ſi jubeamur à Principe noſtro legitimo dicere, quod non credamus in Chriſtum, obediendum eſſe: Chriſtianum enim hominem in rebus hujuſmodi, ſi corde in Chriſtum credat, eandem habere libertatem, quam conceſſit Naamano Syro Propheta Eliſha, qui adoravit in templo Rimmon.* Verum ne religio pure naturalis talem impietatem admittit, quæ duplici religione à ſe difformi, quarum una, *interna* ſcilicet, alteram, *externam* nimirum, damnat, factoque ipſo rurſus abnegat, uti externa profeſſio eſt abnegatio contrariæ interioris religionis, ſupremum Numen coli debere, vel poſſe, non concedet. *Non gravius* certe, *Herbertus* h) ait, *in religione aliqua pec-*

cari,

cari, quam ſi inepta impiaq; plurima admiſcentur: Tantum abeſt ut in religione Chriſtiana talis hypocriſis, & cultus divini ludibrium poſſit habere locum. *Quiſquis me abnegaverit,* inquit *Salvator* noſter, i) *coram hominibus, eum ego quoq; abnegabo coram patre meo, qui in cœlis eſt.* Cordate *Tertullianus,* k) *nemo,* inquit, *aliud exiſtimet, quia nec fas eſt ulli de ſua religione mentiri. Ex eo enim quod aliud à ſe coli dicit quam colit, negat quod colit, & culturam & honorem in alterum transfert, & transferendo jam non colit, quod negavit.* Excipit quidem Leviathan: l) *Illius qui ſubditus eſt, ut erat Naamanus, & à rege ſuo ad aliquid, quodcunq; id ſit, facere coactus eſt, ita ut non ſponte ſua, ſed in ordine ad obedientiam legibus patriis faciat, factum id non eſſe, nec illi imputandum, ſed regis, i. e. civitatis factum, & legibus imputandum: neq; illum eſſe, ſed regem, qui negavit Chriſtum.* Verum hic clypeus Chriſti fulmen: Ὅσις δ' ἂν ἀρνήσηταί με, *quiſquis me negaverit* &c. non ſuſtinet. Cæcus, & qui cæcum ducit, ſimul incidunt in foveam. Subditus homo eſt, non brutum. Unde *ſi quid facit ſumma poteſtatis imperio, aut ſuaſu, quod facere ſine facinore non poterat, à ſumma poteſtate in ipſum culpa tranſit,* explicante *Grotio:* m) Eſt inſtrumentum idem, ſed ratione præditum, & ſic lege naturali etiam in actu obſequij, quod imperanti ſuo præſtat, ligatum. Obligatur quidem ſuo rectori civili, ſed ſimul

i) *Matth.* 10. 33.

k) *Apologet. f. m.* 853.

l) *l. c.*

m) *l. J. B. P. l.* 2. *c.* 21. *§.* 7.

Digitized by Google

ſimul DEO, Rectori ſuperiori, contra quem, & contra cujus jura, in gratiam inferioris peccare non licet. In ſubdito etiam locum habet, quod filio commendavit *Muſonius*, apud
n) Serm. 77. f. m. 459. *Stobæum*: n) *Μὴ τοίνυν οὔγε δείσῃς ὦ νεανίσκε, ὡς ἀπειθήσεις τῷ πατρὶ, ἂν ἢ ἃ μὴ προσήκει δρᾷν κελεύοντος τοῦ πατρὸς ἀπέχῃς τοῦ ταῦτα δρᾷν, ἢ ἃ προσήκει ἀπαγορεύοντος, ταῦτα μὴ δρᾷν, ne time adoleſcens, ne patri fias immoriger, ſi vel indecorum quid præcipiente ipſo non facias, vel prohibente honeſta, facere pergas*: Addit mox: *Οὐδεμία γὰρ ἀνάγκη σοι τὰ μὴ εὖ προσταττόμενα ὑπουργεῖν, non enim cogeris male imperata exequi.* Naamani exemplum non congruit. Non enim duplicis religionis veniam à Propheta petiit, qui non religionis, ſed miniſterij tantum gratia, Domino ſuo præſtandi, intrandi in templum idoli facultatem ſibi
o) c. 26. p. 136. concedi deſideravit. Alibi o) *Hobbianus* Leviathan, *imperare* fingit *civitatem poſſe, ut obediamus*, quoad religionem externam ſc. quam Princeps palam exerceri, & cui obedientiam externam præſtari vult; *quanquam ut non credamus*. Verum ſic *purpuræ ſuæ cultores efficiet, non* DEI, uti loquitur *Themiſtius* apud *So-*
p) Hiſt. Eccleſ. l. 3. c. 21. *cratem*. p)

a) conf. Conring. in Machiavel. animadv. Pol. Præfat. p. 39. §. 19. Impia etiam fuit *Machiavelli* excuſatio. Cum enim argueretur, quod male de DEO ſenſiſſet ſcripto *de Principe* libello, à *Iacobo Gaddo*, a) *Florentino*, reſpondiſſe dicitur: *Ideo impiis præceptis à ſe imbutos Principes,*

cipes, ut qui tum Italiam tyrannice vexabant, ſua inſtitutione deteriores, eo celerius ſcelerum ſuorum pœnas penderent. Fore enim, ut, cum ſe penitus vitiis immerſiſſent, ſtatim meritam Numinis iram experirentur. Verum *cæco ſcandalum non eſt ponendum*, ipſo DEO prohibente. b) Facit id *Auguſtino* c) judice is, qui *falſa pro veris oſtendit.* Nec male *Grotius*, d) *comprehendit*, inquit, *hæc lex omnes, qui mala dant conſilia, præſertim ſimplicioribus.* Reſpondet autem *Machiavelli* conſilium nequitiæ Bileami, Midianitis ſubminiſtratæ contra Iſraëlitas, de qua prolixe *Ioſephus*, e) ſuadentis Ebræos vincere cupientibus, *ut filiarum formoſiſſimas, omni cultu ornatas, ad eorum caſtra mitterent, ut circum ea obverſarentur, & juvenibus complexus expetentibus faciles ſe præberent: ubi vero captos viderent ſubito ſe proriperent, rogatæ vero ut manerent, non annuerent, niſi perſuaſis, ut relictis patriis legibus, & cultu DEI, à quo illas acceperant, Madianitarum & Moabitarum Deos venerentur: Sic enim hoſtes DEUM ſibi iratum reddituros eſſe.* Verum quam luctuoſum hoc conſilium ipſi conſultori, iiſque quibus datum, nec illis tantum contra quos datum erat, fuerit, & ipſe prolixe explicat *Ioſephus*, f) ſacraque docet Hiſtoria Moſis. g) Peccati anſam qui dat hoſti in hunc finem, ut peccet, de illius peccato participat; etſi peccatis hoſtium in Reip. uſum uti, h. e. illorum occaſione ſuum & civitatis

bo-

b) *Levit.* 19. 14.
c) *Serm.* 38. *ad fratr. in eremo.*
d) *Not. ad Levit. l. c.*
e) *Antiq. Iud. l.* 4. *c.* 6.
f) *l. c.*
g) *Num.* 25. 3. *ſqq.* v. 16. *ſqq. c.* 31. 1. *ſqq.* v. 8. 15. *ſqq.*

bonum promovere liceat; modo à culpa eorundem ſis immunis.

§. 20. Voti equidem non vero ſpei eſt, ut ſemper in una civitate una inter cives detur religio, tantum abeſt, ut omnium mortalium eundem de DEO ſenſum, eundemque Numinis colendi modum, ſperare liceat. Præter unam veram ergo religionem cum cæteræ falſæ ſint, has quidem pro veris, vel indifferentibus habere non decet; veræ tamen in falſas hoc non datur jus, ut omne humanum commercium propterea illicitum, & ſublatum cenſeri debeat cum illis, qui eaſdem amplectuntur, aut ut liceat illos, qui hoc faciunt, hoc nomine perſequi. Diſſenſus enim in religione, qua talis, non impedit, quo minus ſocialem & tranquillam homines poſſint vivere vitam, unde nec pro delicto, in vitam ſocialem impingenti, per ſe haberi debet; nec pro minus honeſtis cenſendi ſunt, qui falſam ſectantur religionem, niſi ipſa ex peculiari ſuorum dogmatum indole turpitudinem quandam moralem involvat, & committere præcipiat. In gente & Republica Ebræorum id ſingulare fuit, ut ſtatui religio, & religioni ſtatus eſſet innexus, ex divina ordinatione. Verum univerſali humani generis conſociationi, nulla ſic eſt definite religio innexa, ut ſine ea ſalva quoad hanc vitam eſſe non poſſit, vera licet univerſo humano generi, ſub diſpendio æternæ poſt hanc vitam felicitatis, à Re-

Digitized by Google

ctore DEO ſit præcepta. Et cum alterius voluntati religionem ſuam ſimpliciter ſubmittere nemo teneatur, nec alteri in alterius religionem jus detur, diverſus etiam quoad eam ſenſus per ſe illibata relinquat jura ſocialia, quæ homines vinculi inſtar continent, mutuaque mortalium ad invicem officia urgent, atque dirigunt, niſi malos ſimul mores doceat, & ex peculiari vitio aliena jura turbet, exemplo Anabaptiſmi olim; patet, humanum commercium manere integrum, cum dato tali circa divina, & cultum DEO debitum, diſſenſu, id manet illæſum, quo vita hominum ſocialis continetur.

§. 21. Diverſas hinc etiam pacto inito, quod validum ſemper maneat, tolerare licet in civitate religiones, earundemque exercitium, ſi nimirum ſocialis, quæ incolumitatis eſt, ita urgeat neceſſitas. Ἄφετε, inquit Chriſtus, a) *συναυξάνεσθαι τὰ ζιζάνια μέχρι τοῦ θερισμοῦ, ſinite creſcere zizania uſq; ad meſſem*, addita ratione, à neceſſitate incolumitatis deſumta: Μή ποτε συλλέγοντες τὰ ζιζάνια, *ἐκριζώσητε ἅμα αὐτοῖς τὸν σῖτον, ne dum colligitis zizania, eradicetis ſimul cum illis & triticum.* Quod hic licet ex neceſſitate Eccleſiæ, id licet etiam multo magis ex neceſſitate reipublicæ, cum religionum diſſenſus plus nocere poſſit Eccleſiæ, quam reipublicæ, cujus vinculum non ita ferit atque illius. Urget vero ita Eccleſiæ etiam nonunquam neceſſitas,

a) *Matth.* 13. 29. *ſq.*

ut

ut *zizania ſinamus creſcere*, h. e. ut falſæ religioni ſuum nonnunquam permittatur exercitium, hoc enim illa creſcit. Unde cum falſa religio in civitate induit rationem mali phyſici, illam hoc caſu imperanti permittere licet, ſicut alia mala naturalia tolerantur ſine peccato. Publica quippe ſalus, & tranquillitas, ſæpe numero non alio, quam hoc medio reſtitui, & conſervari poteſt. Inde *Germaniæ Palladium* ConſtitutioPacis religionis dicitur apud *Springerum*; b) notatque ipſa Formula Pacis hujus, ann. 1555. conſtitutæ, hunc conſilij in Germania finem, *averruncandæ* nimirum *internecionis* intentionem. c)

b) *de Pace relig. c.* 1. *p.* 3.

c) *Receſſ. Imper. ann.* 1555.

§. 22. Cæterum uti neceſſitas, quæ commoditatis dicitur, gravitate ſua neceſſitati, quæ incolumitatis eſt, multum cedit, ita non ſatis urgens illa videtur, ad quamlibet in civitatem recipiendam religionem, civilem licet tranquillitatem non turbet. Nec ſatisfacit *Hieronymus Coneſtaggius*, a) quando de receptione Judæorum in Luſitaniam ita diſſerit: *Quamvis in recipiendis novis hiſce velut coloniis in præcepta Politica peccatum fuiſſe videri queat, eo quod hæc gens, tum origine, tum religione vehementer ab incolis reliquis diſcreparet, & cum ante numeroſa eſſet, temporis progreſſu creſcere & ingens diſſidium facile excitare poſſet; tamen hæc res fiſcum regium non mediocriter auxit.* Quanquam enim Ariſtoteles vitæ civilis virtutes in opere morali ad filium explicans

a) *de Conjunct. Regn. Portugall. & Caſtil.* 1. *l.* 1.

cans Pietatem omiſerit, major tamen magiſtri, Platonis nimirum, de religione ſolicitudo fuit, ceu ex Dialogo, qui *Eutyphro* inſcribitur, b) patet, manuducente *Marſilio Ficino*. c) Privari alias cives religionis ſuæ exercitio, qui pacto illud ſunt conſecuti, ſi convitiis noſtram non proſcindunt, nec reipublicæ noxia, turpia, & ſeditioſa docent; atque ob diſſenſum circa ſacra, cultumq; divinum, turbari commercia, cordatiores non ſuadebunt, uti Hiſpanos conſtat Inquiſitione turbaſſe Belgij negotiationes, fruſtra intercedentibus apud Philippum Regem Antwerpienſibus, aliiſque civitatibus, *quæ inquiſitione commercium ac libertatem impediri providerant*, autore *Thuano*. d) Duriter etiam iſto tempore in Belgio habitos Anglos, ſub Inquiſitionis Hiſpanicæ prætextu, Emdæ Emporium conſtituiſſe, *Camdenus* e) refert; cum civilis conſociatio cum diſſenſu religionis tranquillo & pacato conjuncta, & fini religionis veræ ſuum relinquat locum, & fini ſocietatis humanæ non repugnet. Verum quippe in tali caſu eſt illud Hoſpitalij apud *Thuanum*, f) ad delegatos Provinciarum: *Multi cives eſſe poſſunt, qui minime ſunt Chriſtiani, & qui ab Eccleſiæ gremio remotus eſt, non deſinit eſſe civis; & pacate vivere poſſumus cum iis, qui nobiſcum eadem ſacra non colunt: in iiſque exemplum hoc uſurpare debemus, in quo dicitur, uxorum vitia aut tollenda aut toleranda eſſe.*

b) *Plat. f. m. 48 ſqq.*

c) *Comm. in Eutyph. Plat.*

d) *l. 40. hiſt. f. 402.*

e) *Eliſab. f. 89. ſq.*

f) *l. 29. f. 74.*

a) *Hiſtoire du Pontific. de S. Gregoir. l. 3. p. 143.*

§. 23. *Ludovico Maimburgio* a) urgenti diſtinctionem inter hæreticos *au commencement*, uti loquitur, *des héréſies*, & qui *etant nez dans l'héréſie, qu'ils ont reçûe de leurs Ancètres, n' ont jamais été élevez dans l'Egliſe non plus que tous infidelles*, monentique, quod illi *doivent être traitez comme des Rebelles, des perfides, & des parjures, qui ont fauſſe la foy qu'ils avoient donnée a Dieu & a l'Egliſe Catholique, de laquelle ils ſont ſortis, en ſe révoltant contre elle, & s' efforçant autant qu'ils peuvent de l' anéantir, & qu'on peut les contraindre de rentrer dans l' obéiſſance qu'ils lui doivent, & dans leur devoir, & s'ils ne le font les punir*; hi vero non debeant cogi directe, *& a vive force de ſe convertir; ſur tout quand on les a tolerez quelque temps*, ſed indirecte, *ſelon l'Evangile, qui dit*, compelle intrare; *en traitant un peu a la rigeur ceux qui demeurent obſtinez dans leurs erreurs, ſans toute fois leur faire aucune injuſtice; mais auſſi ſans leur faire aucune faveur: & en faiſant du bien & des graces a ceux qui ſe convertiſſent, a fin que les uns & les autres ſoient attirez par la crainte, ou par l' eſperance, à la recherche de la verite*: Hæc, inquam, ita diſputanti non per omnia ſubſcribitur. Quanquam enim imperantes ſuæ religioni addictis, præ illis, qui aliam in civitate ſectantur, liberumque etiam religionis ſuæ habent exercitium, ni conventio quædam obſtet, favere poſſint; communio-

nionem etiam jurium, & beneficiorum civilium, inæqualem pacto tali caſu conſtitui, ſimpliciter, & de externa loquendo juſtitia, non repugnet; minime tamen ſequitur, novorum & hæreticorum dogmatum autores per externam vim, & corporales pœnas, cogendos eſſe ad dogmata ſua, quæ excogitarunt, revocanda, ſic ut extremo ſint afficiendi ſupplicio, ni id fecerint, quod ut ſic fiat etiam *Bellarmino* b) placet. Errores enim intellectus, atque fidei, ut tales, civili juriſdictioni coactivæ non ſunt ſubjecti, qui rationibus potius intellectum convincentibus, quam violentia excutiuntur. Coërceri tamen contumaciter errantes, delicta etiam voluntatis, ſi nimirum contra interdictum dogmata ſua diſſeminant, ſeditioſi etiam atque blaſphemi quando exiſtunt novatores, ordinarie puniri poſſe concedimus. *Multum* enim *mali audet eorum impunitas, & multum eis in melius mutandis conferre poteſt, Auguſtino* c) judice, *diligentia diſciplinæ.* Nec placuit iſta *Maimburgij* ſeveritas priſcis Eccleſiæ Doctoribus, ex quibus *Cyprianus,* d) literis ad Maximum, Urbanum, Sidonium & Macarium exaratis, quibus ab hæretico errore, in quem inciderant reverſis gratulatur, *fictilia vaſa,* inquit, *in domo confringere Domino ſoli conceſſum eſt, cui & virga ferrea data eſt. Eſſe non poteſt major Domino ſuo ſervus. Neque quiſquam ſibi, quod ſoli Filio pater tribuit, vindicare ſe putet, ut*

b) *l.* 3. *de Laic. c.* 21.

c) 2. *Retract. c.* 5.

d) *l.* 3. *Epiſt.* 3.

Digitized by Google

ad aream ventilandam, & purgandam paleam jam ferre ſe poſſe, aut à frumento univerſa Zizania humano judicio ſegregare. Superba eſt iſta obſtinatio, & ſacrilega præſumtio, quam ſibi furor pravus aſſumit. Et dum dominum ſibi ſemper quidam plus quam mitis juſtitia depoſcit aſſumunt, de Eccleſia pereunt. Non ſic Conſtantinus M. cum Ario egit, quem, cum Concilio Nicæno ſubſcribere retragaretur, *Ruffino* e) autore, cum ſex complicibus *in exilium expulit*, ſcriptis ejus ſub capitis pœna prohibitis, & igni adjudicatis. Edictum exhibet *Socrates.* f) Abdicatus ab officio in Eccleſia, non extremo ſupplicio affectus, impij dogmatis autor Macedonius traditur à *Sozomeno.* g) Nec vi coactum Neſtorium ad Eccleſiam redire coëgit Concilium Epheſinum, quem *munere Epiſcopi privatum, ab omni conventu ſacerdotum excludendum* eſſe cenſuit; nec ſupplicio capitali, ob motam hæreſin, & diſſeminata nefaria dogmata, affecit Theodoſius junior, quem, cum in malitia perſeveraret, exilio multavit, ſcriptore *Evagrio.* h) Ervigius etiam, Wiſigothorum rex, in hæreſin lapſos non vi, qualem *Maimburgius* commendat, tales ad Eccleſiam reducendos, vel contranitentes extremo ſupplicio puniendos, ſed aliter tractandos lege ſtatuit. i) Ariani leguntur perſecutorum Gentilium exemplum ſecuti, primi ſub Chriſtiani nominis, quod præ ſe ferebant, larva minas cædeſque ſpiraſſe.

e) *Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 5.*

f) *Hiſt Eccleſ. l. 1. c. 6.*

g) *H. E. l. 4. c. 25.*

h) *H. E. l. 1. c. 4. & 7.*

i) *LL. Wiſigoth. l. 12. tit. 3. 1.*

Ti

Τί δεινὸν, inquit *Gregor. Nazianzenus*, k) οὐ πεπόνθαμεν; οὐχ ὕβρεις; οὐχ ἀπειλάς; οὐ φυγάς; οὐ χρημάτων ἁρπαγάς; οὐ δημεύσεις; οὐ πρεσβυτέρων ἐμπρησμοὺς θαλαττίους; οὐ ναοὺς βεβηλωμένους ἁγίων αἵμασι, καὶ γινομένους ἀντὶ ναῶν πολυάνδρια; οὐ πρεσβυτέρων, ἐπισκόπων, οἰκειότερον δὲ πατριαρχῶν εἰπεῖν σφαγὰς δημοσίας; *quid moleſti non ſumus perpeſſi? nonne injurias? nonne minas? nonne fugas? nonne pecuniarum raptus? nonne bonorum publicationes? nonne presbyterorum incendia marina? nonne naves inquinatas ſanctorum ſanguine? & pro navibus facta ſepulchra? nonne presbyterorum,* Epiſcoporum, *ſeu ut exactius dicam, patriarcharum jugulationes publicas;* Cum *in ſacræ antiquitatis vetuſtis omnibus monumentis, nullum,* ut *Thuanus* l) loquitur, *ſupplicij de ſectariis ſumti ac probati exemplum extare fateamur neceſſe eſt; Eccleſiamque priſcam à cruore fundendo ſemper abhorruiſſe: id ſi quando accidit, piis vere* Epiſcopis *deteſtantibus, ut in* Priſcilliano *paruit.*

§. 24. Exercent præterea etiam Rectores, quia DEI his in terris ſunt Vicarij, curam religionis, adverſus corruptelas conſervandæ, directivam externam, ut DEI, cujus vices gerunt, cultus maneat ſanctus & incontaminatus. Finis enim hujus poteſtatis divino jure a) conſtitutus, non civilis tantum vitæ honeſtate, ſed & πάσης εὐσεβείας, ad quam etiam religio pertinet, conſervatione abſolvitur. Cuſtodiæ præterea Decalogi, quæ ſum-

k) *Orat. ad CL. Epiſcop. f. m. 185.*

l) *Præf. operis hiſtoric. ad R. CHR.*

a) 1. *Tim.* 2. 2.

mis imperantibus incumbit, & ad eorundem vicariatũ pertinet, pars nobilior eſt religionis veræ, & cultus divini conſervatio; quam proin ex divino præcepto etiam Rectores civitatum præſtant Eccleſiæ, non impediendo ſolum, ne lædatur, vel opprimatur; ſed & formulam doctrinæ proponendo, promulgando, & ad eandem cives, ſacerdotes inprimis ſuos, & religionis doctores obligando, ne quid innovando immutent. Hinc in Ebræorum Republ. divino mandato b) Rex *legem deſcribere, & in ea omnibus diebus vitæ ſuæ legere* debuit, *non ſolum*, monente B. *Hülſemanno*, c) *pro ſua privati informatione, ſicut tenetur quilibet ſubditus hierarchiæ Eccleſiaſticæ; ſed etiam ut influxu generico, & directivo externo influat in propagationem*, imo & conſervationem apud cives, *illius notitiæ de DEO, rebusq; divinis, apud ſubditos procurandam. Legat*, inquit *Moſes, ut diſcat timere Dominum DEUM. & cuſtodiat ſtatuta iſta.* Ne dicam ipſos Gentiles cognoviſſe, civilis tranquillitatis intereſſe, & ad Principis proin curam & jura pertinere, ne in religione aliquid innovetur. Τὰς ξενίζοντάς τι, inquit Mæcenas apud *Dionem Caßium*, d) περὶ τὸ θεῖον καὶ μίσει καὶ κόλαζε, μὴ μόνον τῶν θεῶν ἕνεκα, ὧν καταφρονήσας οὐδ᾽ ἄλλου ἄν τινος προτιμήσειεν, ἀλλ᾽ ὅτι καινά τινα δαιμόνια οἱ τοιοῦτοι ἀντεσφέροντες πολλοὺς ἀναπείθουσιν ἀλλοτριονομεῖν· κἀκ τούτου, καὶ συνωμοσίαι, καὶ συστάσεις, ἑταιρεῖαί τε γίγνονται,

ἅπερ

b) *Deut.* 17. 19.

c) *Brev. c.* 20. *ſuppl. th.* 3. *§.* 8.

d) *Hiſtor. l.* 52. *f.* 331.

ἅπερ ἥκιστα μοναρχίᾳ συμφέρει, *peregrina & nova circa religionem & divina qui inſtituunt, odio & pœnis perſequere, non modo DEUM gratia, quos qui contemnit, haud dubio nihil quoq; aliud magni faciet, ſed propterea etiam, quod qui nova numina introducunt, multos ad peregrinis legibus utendum pelliciunt: Inde conjurationes, coitiones, & conciliabula exiſtunt, minime unius principatui commoda res.* Improbant in rebus ad religionem pertinentibus novandi pruritum alij etiam Gentilium Sophi, *Ariſtoteles, Cicero* &c. Ex noſtris vero *Lactantius*.e) e) *l.5.c.8.*

§. 25. Huic fini, religioni ſcil. à corruptelis conſervandæ, & ad poſteros propagandæ, eximie, ut alia taceam, inſerviunt *libri ſymbolici*, qui ſic vocantur, quos ſua autoritate ſcriptos, ceu normam, ob convenientiam cum Scripturis S. canonicis, proponunt civiles Rectores, ut ſecundum illos doceatur. Continetur in illis ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων, *forma ſanorum verborum*, cujus curam tantopere commendat *Paulus*. a) Hæc Magiſtratui, ceu cuſtodi utriuſque Tabulæ Decalogi, etiam incumbit, cujus eſt providere, ne religio detrimenti quid accipiat, & novaturientium pruritui, illorumque conatibus improbis & clandeſtinis, obicem etiam civili imperio ponere, operam deniq; dare, ut hoc medio ſit eadem religio, idemq; circa eandem ſenſus, & ut ad poſteros etiam incorrupta tranſmittatur. Feliciter enim hoc fit Confeſſio-

a) *2. Tim. 1. 13.*

ſionibus, atque ſymbolis Eccleſiarum, in hunc finem ſcriptis, ut *ſint nota agnoſcendi orthodoxos, & teſſera dignoſcendi heterodoxos*, explicante B. *Calovio*, b) quibus ſubſcribant non ſacerdotes tantum, & Eccleſiarum doctores, cum obligatione ſecundum ſenſum doctrinæ, libris iſtis contentæ, docendi; ſed & ut iiſdem adſtringantur, qui ad civilia in Rep. munera admovendi ſunt, quod in fraudem religionis nil moliri velint. Opus eſt hoc nomine imperio aliquo, & poteſtate talia dirigente, atque politice etiam cogente, non quidem ad religionem ipſam, & doctrinam libris ſymbolicis contentam, ſpecifice, ſed ne in ejuſdem præjudicium quid fiat ſcribendo, aut omittendo, quod in ejuſmodi libris præcipitur, & docetur. *Proponendi etiam, promulgandi, & obligandi ſubditos ſuos ad hæc Symbola, doctrinamq; & cultum in iis contentum generice,* civitatis Rector jus habet, notante rurſus B. *Hülſemanno*; c) jubendi denique, ut talia Symbola ſcribantur, prohibendique, ne contra eadem doceatur, & Edictis iſta confirmandi. Specifice autem, & quoad religionem orthodoxam, idem poteſt, quando eſt orthodoxus, relicta capitum doctrinæ explicatione, ex ſcripturis confirmatione, & adverſariorum confutatione, miniſtris Eccleſiæ. Ita Conſtantinus M. cum Patres Concilij Nicæni τὴν τῶν ζητουμένων λύσιν ἐκ τῶν θεοπνεύστων λόγων, *quæſtionem explicationem ex divinitus inſpi-*

b) *Exegem. A. C. Proœm. §. 15 ſq.*

c) *Brev. c. 20. ſuppl. l. 3. §. 5.*

Digitized by Google

ſpiratis teſtimoniis depromere juſſiſſet, *fidei formulam*, quam συμφώνως ἅπαντες *communi conſenſu omnes* compoſuerant, καὶ ταῖς ὑπογραφαῖς *ſubſcriptionibusq;* confirmarant, memorante *Theodoreto*, d) præſente, & cum Epiſcopis ſe conjungente Imperatore, ceu teſtatur literis ad Eccleſias exaratis *de Actis Synodi Nicanæ*, apud *Euſebium*, e) Edicto cunctis comendavit, *Synodiq; decretis obſequi* mandavit, f) eodem ſcriptore. Baſiliſcus etiam, tyrannus Conſtantinopolitanus, boni & pij Principis ſpeciem præ ſe laturus, ad Epiſcopos, ut literis circularibus, ad condemnandum Chalcedonenſe Concilium, quaquaverſum emiſſis, ſubſcribant, ita loquitur apud *Evagrium*: g) *Quoniam Imperatoris eſt ſedulo proſpicere, ut ſubjectis non in præſentia ſolum, ſed etiam in poſterum ſecura tranquillaq; vita provido ejus conſilio ſuppeditetur: decernimus, ut ſanctiſſimi ubiq; Epiſcopi his divinis noſtris literis, generatim ſcriptis ad omnes, palamq; divulgatis, ſubſcribant, quo declarent perſpicue, ſe in ſolo divino* 318. *ſanctorum Patrum ſymbolo velle inſiſtere* &c. anteceſſorum Principum jure & exemplo ad malam cauſam agendam uſus.

d) *Hiſt. Eccleſ. l.*1. *c.*6.

e) *de Vit. Conſt. M. l.* 3. *c.* 16.

f) *l. c. c.*19.

g) *Hiſt. Eccleſ. l.*3. *c.*4.

§. 26. Meretur etiam obſervari, unde jus conſtituendæ Formulæ doctrinæ in Eccleſia publicæ petierit Zeno Imper. male licet eo ad Syncretiſmum ſtabiliendum uſus fuerit, cum *Henoticum* Eccleſiæ obtruderet; nimirum quia à religionis ſinceritate, & con-

ſervatione, ſalus Reipubl. dependet. Sic enim loquitur apud *Evagrium*: a) Ἀρχὴν καὶ σύστασιν, δύναμίν τε καὶ ὅπλον ἀκαταμάχητον τῆς ἡμετέρας εἰδότες βασιλείας τὴν μόνην ὀρθὴν καὶ ἀληθινὴν πίστιν, νύκτωρ τε καὶ καθ' ἡμέραν, πάσῃ προσευχῇ καὶ σπουδῇ καὶ νόμοις κεχρήμεθα πληθυνθῆναι δι' αὐτῆς τὴν ἐκκλησίαν, *quoniam pro certo ſcimus, Imperium noſtrum a ſyncera ſolum, & vera fide tum initium habuiſſe, tum ſtabilitum eſſe, tum robur ac præſidium, quod expugnari nequit, ex ea ſumpſiſſe, noctes dieſq; non precibus ſolum, ſed ſtudio omni & legibus ſancitis laboravimus, ut abundet ea in Eccleſia*; prolixe exponens, quæ bona ex cultu Chriſti in Eccleſiam proveniant, & inde pro Principis in Eccleſia officio & jure, quoad cultus divini & religionis conſervationem, & Formulæ doctrinæ publicæ publicationem, & conſtitutionem, concludens. Non minus & Occidentis Imperatores, melioribus Eccleſiæ temporibus, ſui juris, & muneris eſſe judicarunt, Symbola Eccleſiæ confirmare, & edictis promulgata munire, ne quis contra ea doceat. *Legitur*, inquit *Lupoldus Bambergenſis Epiſcopus*, b) *in hiſtoria Francorum, quod juſſu Caroli M. plura in regno Francorum fuerunt ab Epiſcopis concilia celebrata, ac conſtitutiones in ſingulis facta, ab eodem Carolo confirmata.* Sane niſi olim ex meliori diſciplina agnitum fuiſſet, magiſtratus eſſe, & ad poteſtatem Eccleſiaſticam, juraque ejuſdem circa ſacra pertinere,

a) *H. E. l.* 3. *c.* 14.

b) *de German. Veter. Princ. Zelo &c. c.* 11.

nere, etiam libros Symbolicos, qui formam doctrinæ publicæ, ceremoniarum item & rituum Eccleſiæ contineant, atque Symbola certa conſtituere, & ut pro talibus recipiantur, edictis præcipere, ab Epiſcopis, quæ Principum in hoc negotio jura ſint, probe conſiderantibus, non fuiſſent Imperatores ad id faciendum rogati. Patres certe Concilij Conſtantinopolitani Oecumenici miſſis ad Theodoſium I. literis, Actorum, quibus & Symbolum, ceu ὑποτύπωσις τῶν ὑγιαινόντων λόγων de *Spiritu S.* continebatur, confirmationem petierunt. *Neceſſaria ea*, ſcribunt, *quæ acta ſunt in ſancto Concilio, ad tuam referimus pietatem. Breves etiam præſcripſimus ac pronunciavimus quoſdam quaſi terminos, regulaſve, quibus & Patrum qui Nicææ congregati fuerunt fidem confirmavimus comprobavimuſq; &c. Præterea etiam ad recte conſtituendum ac ordinandum ſtatum, & diſciplinam Eccleſiarum, certos canones ſtatuimus, ac præſcripſimus. Rogamus igitur tuam Clementiam, ut per literas Tuæ pietatis ratum eſſe jubeas, confirmeſq; Concilij decretum. Et ſicuti literis, quibus nos convocaſti, Eccleſiam honore proſecutus es, ita etiam ſummam eorum quæ decreta ſunt, concluſionem ſententiâ atq; ſigillo tuo corroberes.* Factum hoc *prudenter*, aſſerit *Baronius* c) quidem, quod *eo modo ſibi fidem Imperatoris ſtabilem duraturam oppignorarent*: Sed id neque jus Cæſaris tollit, neque officium Patrum, ex debito

c) *Annal. tom. 4. ann. Chr.* 381. *f.* 432. *ſq.*

Digitized by Google

bito actorum confirmationem, & ſcripti ſymboli, ſeu *formulæ doctrinæ publicæ*, approbationem petendi à Magiſtratu ſuo ſupremo, cujus eſt hoc de quo agimus jus, non inferioris. In Chalced. Concilio ſane hæc vox audita fuit: *Modo ita placuerit diviniſſimo & ſanctiſſimo noſtro Domino, Imperatori*, apud Evagr. d) qui etiam explicat, quomodo in Synodo Chalcedonenſi *Fidei deciſio*, ad Martianum Imp. ab Epiſcopis relata, poſtea ipſo Cæſare præſente, & verba faciente, *ipſius juſſu lecta*, atque ſic, ceu formula de recte credendo, Eccleſiæ Catholicæ præſcripta *fuerit, ſubſcribentibus ad unum omnibus*, e) ut recte dici poſſit, Principem *ab Epiſcopis oblatam accepiſſe*, atque iiſdem *dediſſe fidem, & de recte credendo formulam Eccleſiæ Catholicæ præſcripſiſſe*, quæ componere noluit *Baronius*. f)

d) *H.E.l.* 2. *c.* 18.

e) *l. c. ſub fin. lib.* 2.

f) *Annal. t.* 8. *f.* 352. *§.* 9.

§. 27. Cæterum cum *ſubſcriptionibus* acta & decreta Synodorum Epiſcopi confirmarint, & ab Imperatoribus ſubſcribendo ſimul fidem dare juſſi fuerint, quod decretis & Symbolis Conciliorum, Formulæque doctrinæ propoſitæ, ſine fraude velint inſiſtere, uti & Baſiliſcus, a) Zeno & Heraclius; iſte ſuis *literis Circularibus*; b) ille ſuo *Henotico*; c) hic ſuæ *fidei expoſitioni*, partim ſubſcribi præceperunt, partim ſubſcripſerunt; ſæpe licet iſtæ ſubſcriptiones non ſine fraude factæ fuerint, aliis *verbis tantum, non animo, ſubſcribendo conſentientibus*, uti *manu ſola, non mente*, in Con-

a) *Evagr. H. E. l.* 3. *c.* 4.

b) *Evagr. l. c. c.* 15.

c) *Baron. Annal. t.* 8. *ad ann. C.* 639. *n.* 16. *ſqq. f.* 354.

Concilio Nicæno ſubſcripſiſſe Arianos, teſtatur *Ruffinus*, d) de quorum fraudulentis ſubſcriptionibus etiam *Iacob. Gothofredus* egit, e) atque *Baſiliſci literis neceſſitate adductos ſubſcripſiſſe*, Aſiæ Epiſcopi Confeſſi ſunt apud *Evagrium*; f) aliis *cum exceptione* ſubſcribentibus, uti Actis Synodi Epheſinæ ſecundæ, qua Eutyches abſolutus fuit, g) noñullos ſubſcripſiſſe idem refert ſcriptor, h) ſeu expreſſa, ſeu tacita, & cum reſervatione mentali; cum, inquam, hæc ita contigerint, temporibus hinc noſtris, & ſuperioribus, quibus in Eccleſia eadem acta fuit fabula, mutatis tantum perſonis, quæſtio mota fuit, qua ratione Formulis doctrinæ publicæ receptis, ſeu *libris Symbolicis*, ſubſcribi debeat, ut religionis incolumitati, adverſus prurientia ad novandum ingenia, conſulatur? Abeſſe debere omnia verborum involucra, finis ſubſcriptionis ſatis docet, qui eſt perſpicue declarare, quod ſubſcribens omnia probet, quæ in dictis continentur libris, ceu ſcripturæ conſona, & in illis etiam perſiſtere, nec contraria docere velit. Unde merito pro fallaci habetur illa Zanchij ſubſcriptio, qua *Conſenſui inter Theologos & Profeſſores, in Eccleſia & Schola Argentinenſi anno* 1563. ita ſubſcripſit: *Hanc doctrinæ formulam, ut piam agnoſco, ita eam recipio, ego Hieronymus Zanchius*; i) ſuſpenſum lectorem relinquens, an pro male pia, an pro vere tali, eandem agnoſceret, minime vero definite

d) *Hiſt. Eccleſ. l.* 1. *c.* 5.

e) *ad Philoſtorg. Diſſert. l.* 1. *c.* 9.

f) *H. E. l.* 3. *c.* 9.

g) *Baron. Annal. t.* 6. *ad. an.* 449. *f.* 94.

h) *H. E. l.* 1. *c.* 18.

i) *Ag. Eccl. Argent. P. I. §.* 13.

cam

eam recipiens. Quam proinde non ſolum noſtri, ſed & Reformati improbarunt. Varias ſubſcribendi Auguſtanæ Confeſſioni formulas ſuorum producit *Hoornbeeck*, k) laudatque, quod *paſſim non detrectarint ſubſcribere Auguſtanæ Confeſſioni, pro ſenſu Auctorum magis, quam verborum, & in ſuam* (Reformatorum) *ſententiam haud difficulter exponendæ.* Sed hoc revera non eſt ſubſcribere, nec bona fide ſine fraude, quod doctrinæ illius vere velis inſiſtere, promittere, qui tamen finis omnis ſubſcriptionis eſſe debet. Non enim vero ſenſui Confeſſionis, ſed ejus detorſioni, ſubſcribitur.

k) *Summ. Controv. l. 9. p. m. 633.*

§. 28. Quando vero quæritur, an libris Symbolicis, & Confeſſionibus Eccleſiarum, quas Scripturis Canonicis per omnia reſpondere certum eſt, cum aliqua limitatione, exceptione, reſtrictione, aut reſervatione mentali, ſive tacite, ſive expreſſe ſic excipiatur, aut reſtringatur, ſubſcribendum ſit? dupliciter quæſtio intelligi poteſt: Nimirum, vel an *poſſit*, vel an *debeat* ita ſubſcribi, *quia* cum verbo DEI conſentiunt iſtæ doctrinæ formulæ, non vero cum conditione & limitatione, *ſi*, vel *quatenus* veritati congruæ fuerint. Utroque ſenſu acceptam quæſtionem affirmamus, & quod ſic *poſſit*, & quod ſic *debeat* ſubſcribi, ſi nimirum finem librorum Symbolicorum, & ſubſcriptionis, contra bilingues & callidos novatores obtinere velimus.

Nam

Digitized by Google

Nam quod ſic Categorice ſubſcribi *poßit*, citra conditionem ſeu expreſſam, ſeu tacite ſubintellectam, inde patet, quia quando iſta facienda eſt ſubſcriptio, iſtorum librorum conſenſus cum ſcriptura ſacra jam pro certo & explorato habetur. De quo cum ſubſcribenti ex Scriptura ſacra, & ſic fide divina conſtet, & de jure conſtare debeat, nulla apparet ratio, quare non excluſa omni conditione, ſed categorice, & plene, ſubſcribi Symbolis Eccleſiarum debeat, *quia* doctrina illorum ſacris reſpondet literis, quamque iiſdem ita convenire, in conſcientia convictus eſt ſubſcribens. Nec eſt quod vel *jus ſuperioris*, DEI ſcil. contra cujus verba ejuſmodi libri Symbolici obligare non poſſint, *conditionem* ejuſmodi urgere, quis excipiat; vel *reſtrictionem hanc ex ipſa negotij natura intelligi, neceſſariamq; eſſe ad vitandam & impietatem, & abſurditatem*, dicat, a) cum ſcripta hæc humana ſint, & humano modo & diligentia facta. Ubi enim ſubſcribitur ideo, quia ſtatuitur, & fide ex verbo DEI concepta pro certo habetur, librum aliquem conſentire cum Scriptura ſacra, ibi tali ſubſcriptione jus ſuperioris jam ſalvum & exceptum eſt. Nec committitur impietas, & abſurditas, ſi citra talem reſtrictionem fit ſubſcriptio, cum hæc fiat non ob autoritatem talium librorum infallibilem, ſed ob exploratum conſenſum cum Scripturis ſacris, de quo fide divina, ex verbo DEI orta, con-

a) *Vffelman. de offic. quo homo in ſerm. oblig. c. 13. §. 33. ſq.*

Digitized by Google

conſtat, & conſtare debet; & ſic propter ipſam ſacram ſcripturam.

§. 29. Sequitur hinc etiam, debere ſic ſubſcribi, categorice ſcil. *& quia* cum verbo DEI ejuſmodi libri Eccleſiaſtici conveniunt; cum quod ſubſcribentes de hoc plane perſuaſi eſſe debeant, alias non ſubſcripturi; tum ſi ſic ſubſcribi Magiſtratus præcipit. Poſſe Rectores civitatis Eccleſiæ Doctorem ſic obſtringere, ut Formulæ doctrinæ à ſe propoſitæ, ſine ulla conditione, limitatione, & exceptione, & ſub hac ratione ſubſcribat, *quia* DEI verbo conveniens eſt quoad omnia doctrinæ capita, quæ continet, dubio caret, Cuſtos enim cum veræ religionis ſit Magiſtratus, & operam dare teneatur, ne Pſeudoprophetarum artibus & fallaciis detrimenti quid eadem accipiat, uti Doctores Eccleſiæ ad certam normam, ſcripturam ſacram, obligare poteſt, ut eam ſequantur ideo, quia eſt DEI verbum; ita & adſtringere eoſdem poteſt ad docendum ſecundum certam formulam, ideo quia cum verbo DEI talis eſt conveniens, eandemq; cum Scripturis Canon. convenire judicant ſubſcribentes. Sicut enim pius Magiſtratus nihil vult doceri in Eccleſia, niſi quod cum verbo DEI convenit, & quia eidem reſpondet, Symbolicos ſuos etiam libros pro talibus habet, ob conſenſum cum divinis literis; ita jus etiam habet tales conſtituendi Miniſtros, qui nolint ea, quæ in iſtis libris Symbolicis

Digitized by Google

licis continentur, ex alia cauſa in Eccleſia docere, quam *quia* pro explorato habent, iſtas doctrinæ formulas reſpondere divinis ſcripturis; iſtoſque etiam obligandi, quod ex nulla alia cauſa ita in Eccleſia docere velint, quam *quia* illos libros ſacræ Scripturæ conſentientes eſſe credunt. Nec hoc pacto vis infertur Conſcientiis. Nam ſi libris Eccleſiæ Symbolicis ſubſcribere ideo quis detrectaverit, *quia* illos cum divinis paginis non conſentire credit, ſibi erit relinquendus; ſi vero illorum cum ſcripturis conſenſum confitetur, etiam à Magiſtratu cogi poterit, ut ſubſcriptione externa id ſignificet, quod ſe bona fide ex ſcripturis credere dicit, cum ei non aliter, quam ſecundum iſtos libros in Eccleſia docere permittatur; atque eâ etiam ratione ſubſcribat, qua ratione, & cur ſe libros Symbolicos probare teſtatur, *quia* ſcil. cum verbo DEI conveniunt. Non etiam cogitur contra Conſcientiam docere is, qui ſe ſic obligavit. In tali enim caſu, *ſi videantur miniſtro dubia, adverſus Formulam, cui adſtrictus eſt, inſolubilia, non propalare tamen, vel propagare contrariam ſententiam, invito Magiſtratu, contra Symbolum receptum in Diœceſi, ſed vel obligationi renunciare, vel diſſentiendi impetrare veniam debet: quod poſterius tempore Reformationis orthodoxos Theologos feciſſe* refert D. *Ægidius Strauchius*, a) idemque in *terris Saxonicis* ſic obtinere teſtatur. Et ſane niſi ſic ſubſcribatur, conatibus

a) *Conſenſ. Repetit. Fidei Vere Luther. Vindic. art. 16. p. 495. ſq.*

Ii im-

improbis, & clandeſtinis molitionibus fraudulentorum hominum, illorumque novandi pruritui, obex ſatis bene non ponetur; qui tamen finis librorum Symbolicorum, & ſubſcriptionis eorundem præcipuus eſt, ceu monent *Auguſt. Confeſſioni addicti Electores, Principes, & ſacri Romani Imperii in Germania ordines*, in Præfatione Formulæ Concordiæ præmiſſa.

§. 30. Pertinet huc, ut novaturientium pruritui obex ponatur, *juramentum religionis*, tanquam vinculum acceſſorium, quo propter DEUM, ceu teſtem & vindicem promiſſionis factæ invocatum, peculiari ratione jurans obligatur, & à poteſtate civili obligari poteſt, ne quid contra receptam doctrinæ formam innovet. Nititur hoc ratione, nec caret exemplis. Habet enim & hic locum finis & effectus juramenti, *Apoſtolo* a) laudatus, πάσης nimirum ἀντιλογίας πέρας, εἰς βεβαίωσιν, *omnis controverſiæ finis, ad confirmationem.* Nam, ut *Theodoretus* b) loquitur, ἔθος τοῖς ἀνθρώποις ὅρκῳ βεβαιοῦν τοὺς λόγους, *mos eſt hominibus, ea quæ dicuntur juramento confirmare.* Et ſicut in hoc negotio religionis ſubſcriptione facta promiſſio, vel verbis ore tantum prolatis, fit de re licita, imo neceſſaria, DEIque cultum & gloriam concernente, & pro licita proin cenſetur, ita de ſuperveniente juramento idem habendum eſt. Unde Aſa Judæ Rex populum *jurare* coëgit, *ad quærendum* DEUM, à quo per idololatriam defecerat. c) Nehemia etiam

a) *Ebr. 6. 16.*

b) *ad. h. l. ſ. III. Opp.*

c) 2. *Paral.* 15. 14.

etiam autore d) convenerunt, qui ex Babylonia Hieroſolymam redierant Judæi, *cum execratione & juramento, ad ambulandum in lege DEI, quæ data erat per Moſen.* Neſtorium quoque Concilium Epheſinum e) juſſit *juramento confirmare, ſe ita ſentire, ut ſentiunt Orientis & Occidentis Epiſcopi, ſi Eccleſiæ ſatisfacere velit.* Quanquam vero juramentum vinculum iniquitatis eſſe non debet, non tamen ſub conditione ſeu expreſſa, ſeu tacita, jurandum eſt, nec cum reſervatione mentali, atque exceptione & limitatione, *quatenus* ſcil. & *quouſq;* formula doctrinæ canoni divino reſpondeat, ſed potius *quia* talis, ob rationes eaſdem, quibus categorice ſubſcribi poſſe & debere libris Symbolicis diximus: Licet, cum talem facultatem juramentum religionis in genere deferendi habet Magiſtratus, contingat, ut ad errores ſcripturis divinis contrarios, quos pro veris habet dogmatibus, nonnunquam civem obliget. Minime ſane hoc caſu cenſendum, juramentum eſſe vinculum iniquitatis. Quanquam enim ideo juratum fuit, quia jurans de veritate doctrinæ fuit, male licet, perſuaſus: Ubi tamen poſtea errores fuerint monſtrati, vel deprehenſi, non quidem contra conſcientiam tales erunt aſſerendi, ſed nec citra conſenſum Magiſtratus contra tales erit docendum, cum fides juramento fuit data, vigore cujus is qui Sacramentum dixit, non aliter docere tenetur,

d) *Nehem.* 10. 30.

e) *Epiſt. ad Neſtor.*

tur, quam promiſit. Neutrum licet facere, neque errorem deprehenſum propugnare, neque eundem impugnare: illud prohibente dogmatis falſitate, hoc diſſenſu Magiſtratus, & Sacramento.

§. 31. Satis vero patet, tale juramentum nec citra Magiſtratus civilis conſenſum miniſtro Eccleſiæ imperari, nec ejus formulam eidem, citra Rectoris civilis cognitionem, atque requiſitam approbationem, proponi poſſe, niſi miniſtri Eccleſiæ, tale quid faciendi, aliunde jus quæſitum habent. Nam ne dicam, totius Eccleſiæ, & conſequenter civilis etiam Magiſtratus, Chriſtiani inprimis & orthodoxi, intereſſe, tale juramentum haud raro proponi; ſane cum ad cuſtodiam primæ tabulæ Decalogi externam, Magiſtratui divino jure competentem, iſtius generis juramentum per ſe pertinet, eique in illis, quæ hujus indolis ſunt, etiam directorium debetur, qui citra ejus conſenſum, vel eo ignorante, ab alio tale juramentum miniſtro Eccleſiæ, vel toti miniſterio, proponi & imperari poſſit, non apparet. Mixta hæc cauſa eſt, & ad jura Magiſtratus Epiſcopalia etiam pertinet, quæ miniſterium Eccleſiaſticum ſibi ſoli, jure non arrogaverit. Annuunt Theologi, *Gerhardus*, a) *Carpzovius*, b) qui pro ſe allegat *Auguſt. Confeſſ. Dedekennus*, c) & JCti *Reinking*. d) *Carpzovius*, e) & alij. Nec juramentum religionis, quod ex Babylonica capti-

a) *de Magiſt.* §. 210.
b) *Iſag. p.* 464. *n.* 19.
c) *Conſil.*
d) *de Reg. ſec. & Eccl. l.* 3. *Claſſ.* 1.
e) *Iuriſpr. Eccleſ. l.* 1.

captivitate reduces Judæi *Nehemiæ* f) præſtitiſſe dicuntur, ſoli Levitæ & ſacerdotes imperarunt, ſed & *Principum* fit mentio. g)

§. 32. Cæterum uti contra veritatem & juſtitiam nulla ex juramento naſcitur obligatio: Ἄμεινον γὰρ, inquit *Iſidor. Peluſiota*, h) ἐν τοῖς ἐναγέσι τὰ κακῶς ἐπαγγελθέντα λύειν καλῶς, ἢ τὸ δοκεῖν εὐορκεῖν κακῶς, *præſtat enim in iis quæ habent atrocitatem facinoris, male promiſſa bene reſcindere, quam male videri ſervantem eſſe jurisjurandi*: Ita nec perjuri fuerunt *Lutherus*, & alij, qui conjuncta cum illo opera à Romana Curia, & quatenus illam ſequitur, non *quatenus ex P. P. ſcriptis nota eſt*, i) Eccleſia, ſeceſſerunt. Nam, ne dicam, ipſum *Thomam* k) docere, quod, *quando id quod cadit ſub juramento promiſſorio, eſt manifeſte repugnans juſtitiæ: vel quia eſt impeditivum majoris boni, tale juramentum diſpenſatione non indigeat*, quia *materia* hoc caſu *non eſt capax juramenti obligatorij*, explicante *Reginaldo*: l) juramenti formula dicenda Candidatis Licentiæ & Doctoratus Theologici in Academia Witteber-genſi, docente ex *Statutis* B. *Hülſemanno*, m) nil continet, ob quod Lutherus perjurus dici poſſit, ceu qui juravit, quod *vanas, peregrinas doctrinas, ab Eccleſia damnatas, & piarum aurium offenſivas, non ſit dogmatiſaturus*; quod etiam ſervavit, juramento, quod eſſet vinculum ſcripturis contrarium, adverſus genuinam fidei doctrinam, non adſtringendus ad doctri-

f) *c. 10. 29.*
g) *Nehem. 9. 38.*
h) *l. 4. Epiſt. 96.*
i) *Auguſt. Conf. Epil. ad art. 21.*
k) *2. 2. art. 9. q. 89. ad tert.*
l) *Prax. For. Pæn. l. 18. c. 4. n. 40. f. 529.*
m) *Brev. c. 19. §. 29.*

Digitized by Google

doctrinam quæ tunc vigebat. *Bellarminus* n) ipſe autor eſt, quod *juramentum non tollat Epiſcoporum libertatem, quæ in Conciliis neceſſaria eſt, jurantium ſe fore obedientes ſummo Pontifici, quod intelligant, donec Pontifex eſt, & dum jubet ea, quæ ſecundum DEUM, & ſacros canones jubere poteſt.* Ergo & nec Doctorum Eccleſiæ, quo minus improbent ea, quæ Scripturæ ſacræ, quæ unica credendorum norma eſt, contrariari convicti ſunt.

n) *l. de Concil. c. 21. §. ſexta cond.*

§. 33. Non minus ad ſecuritatem religionis in civitate rite facit, quando imperantes, non veræ tantum, ſed & erroneæ addicti religioni, interpoſito juramento promittunt, ſe non admiſſuros, aliquid in detrimentum religionis fieri ab ullo, nec aliquid, quod in ejus mutationem & damnum cedat, molituros, vel commiſſuros, ſive tali religioni ipſi ſint addicti, ſive non. Sic refert *Loccenius*, a) Sigiſmundum ante coronationem in Regem Sueciæ promiſiſſe, *quod omnes ſuperioris & inferioris ordinis, Eccleſiaſticos & Politicos, nobiles & non nobiles, in ſua religione tueri & conſervare velit, ita ut ea libere, & abſq; ullo impedimento fruantur, ſecundum tenorem veræ Aug. Confeßionis: Nec commiſſurum, aut permiſſurum, ut contra eam in ullis Regni* (Sueciæ) *locis, Scholis & Eccleſiis amice aut per vim aliquid admittatur, vel intrudatur, aut obſtaculum, vel fraus huic ullo modo fiat.* Idem alibi contigiſſe legitur, ut ſubditi reformationem, vel alias

a) *Hiſtor. Suec. l. 7. p. 420.*

alias in religionis cauſa mutationes metuentes, per pacta & literas reverſales, vel alia ratione ſibi proſpexerint, quo religionis libertas à Principe intacta ſervaretur. Exemplo ſunt decantatiſſimæ, & ex hiſtoria Bohemica notiſſimæ illæ *Reverſales Regiæ*, vulgo **Majeſtät Brieff** dictæ, quas Rudolphus II. Cæſ. *Bohemis ſub utraque*, h. e. Evangelicis conceſſit ann. 1609. Item *Aſſecurationis Decretum Imperiale Statibus Superioris Luſatiæ* conceſſum à Matthia Imp. an. 1611. apud *Fritſch.* in *tract. de literis Reverſalibus.* b) Falſam religionem uti tolerare licet, etiam ſemper, in certo caſu, ita tamen *ne vera*, quando illa ſimul viget, *opprimatur*; c) ſic promiſſa hoc nomine licentia eſt tantum ratione impunitatis in foro exteriori, ne ob profeſſionem externam, inſtitutumque falſæ religionis exercitium, civilibus cenſuris quis ſubjiciatur, ita ut in gratiam *perſonæ* tantum ea fiat, *non cauſæ*, ſeu falſæ religionis, uti diſtinguit *Marcus Mantua Benavidius*; d) & quicquid patrocinij & defenſionis promittitur, illud erranti tantum, non errori fieri, cenſeri debeat, ceu prolixius diſputatur à Dorſcheo. e) *Nec qui veniam pœnæ mutuo ſanciunt, veniam culpæ ideoq; ſacrilegij approbationem illico largiuntur*, eodem notante.

b) *c. 2. §. 9.*

c) *Grot. l B. P. III. c. 15. 10.*

d) *Tom. II. Conſil.* 141. *§. 8.*

e) *Anticriſ. Theol. ſect. 4. q. 2. p. 15. q. 3. p. 31.*

§. 34. Facile etiam explicatur, quæ ſit indoles *Pacis religioſæ*. Nimirum quæ hoc nomine tranſactio inter diverſis religionibus addictos peracta eſt, ne quis ob ſuæ religio-

 nis

nis exercitium turbetur, vel in eo per vim impediatur, vel hoſtilia patiatur, ſed libere eandem exercere, & circa ejuſdem exercitium ſtatuere poſſit, publica ſic urgente tranquillitate; illa ex tranſigentium intentione, non ipſam religionem, quæ in ejuſmodi tranſactionem humanam non cadit, ſed jus religionis tantum alterius concernit, quod ſummis imperantibus etiam vigore ſummi civilis imperij competit, cæteris vero mortalibus, ex juris naturalis præcepto, quo ad verum DEUM colendum, rectumque ejus cultum inſtituendum, quivis obligatur, conceditur. Juris hujus uſum alteri, etiam in quem mihi aliquid alias juris eſt, tanquam ſuum permitti poſſe, jurato etiam promitti, dubio videtur carere. Ita Conſtantinus M. memorante *Euſebio*, a) Edicto ad Orientis provincias exarato, aſſerta Chriſtianæ religioni pace, candem Paganis diſſentiendi libertatem his conceſſit verbis, interprete *Chriſtophorſono*: *Qui errore ducuntur, parem cum fidelibus pacis & tranquillitatis oblectationem læto animo capiant. Ipſa enim recta communitatis, & ſocietatis humanæ moderatio, etiam ad illos in rectam viam deducendos, valebit plurimum. Nemo alteri exhibeat moleſtiam; quod cujuſq; animus vult, hoc quiſque tranſigat.*

a) *l. 2. de Vit. Conſt. M. c. 54.*

§. 35. Nec cenſendus jure is eſt cooperari ad falſam religionem, qui cooperatur ad jus religionis alterius, permittendo ipſi libe-

berum ejus exercitium, cui impediendo impar eſt, vel quod impediri majus prohibet bonum, vel alia ratio: Sicut non ad zizaniorum proventũ cooperari is dici meretur, qui creſcere ſinit, quæ citra tritici damnum eradicare nõ poteſt, ipſo Chriſto Doctore. a) Pari ratione nec ſecuritatis promiſſione, quod contra diſſentientes violenta non adhiberi media debeant, errori patrocinium, ſed erranti procuratur. Prolixius hæc diſputantur contra *Antonium Poſſevinum*, Pacificationis Paſſavienſis oſorem, à B. *Gerhardo*, b) contra *Franciſcum Burgkard.* Pacem Religioſam Auguſtanam improbantem, à *Juſto Springero*, c) & contra *Erneſtum de Euſebiis*, negotio Pacis Weſtphalicæ ſe opponentem, poſt alios præprimis à B. *Dorſcheo*. d)

a) *Math.* 13. 29. *ſq.*

b) *de Mag. Polit.* §. 201.

c) *tract. de Pac. relig.*

d) *Anticriſ. Theol. ſect.* 4. *q.* 1. *ſqq.*

§. 36. Cæterum cum contingere poſſit, ut & apud alios Chriſtiana religio, ejuſque cultores opprimantur, quid hoc caſu liceat quæritur. De Conſtantino M. auctor eſt *Euſebius* a) quod non ſolum Licinio, contra conceſſam, Edictoque confirmatam religionis libertatem, fidemque ipſi etiam Conſtantino datam, Chriſtianis vim & perſecutionem intentanti, vim oppoſuerit, oppreſſiſque opem tulerit; ſed & de Chriſtianorum in Perſia Eccleſiis ſolicitus, *utpote quod communis quadam cura eum tangeret*, ad Saporem Regem pro illis ſcripſerit. b) Perſis, juratis Chriſtiani nominis hoſtibus, exorto cum Conſtantinopolitanis Imperatoribus bello,

a) *de Vit. Conſt. M. l.* 2. *c.* 3. *Hiſt. Eccleſ. l.* 10. *c.* 5. *ſqq.*

b) *de V. C.* 4. *c.* 13.

bello, ſolenne fuit Chriſtianos ſubditos quovis modo affligere ex furore. Ita refert *Paulus Diaconus*, c) quod Choſroes, bello cum Heraclio *furens, miſerit & tulerit theſauros cunctarum Eccleſiarum regionis, quæ ſub Perſis erat conſtituta, coëgeritq; Chriſtianos Neſtorij fieri ſectatores, ad perſtringendum ſive percellendum Imperatorem.* Victores hinc Chriſtiani hi Principes, in Chriſtianorum gratiam vel mitius utebantur victoria, uti Theodoſium II. Imper. idem *Paulus*, d) *benignitate motum, licet Perſas viciſſet, parentem tamen Chriſtianis, qui habitabant in Perſide, pacem amplexum* ſcribit; vel alia ratione in pacem cum hoſtibus redibant, ut calamitati afflictorum à Paganis conſulerent. Sic cæſo à ſuis Choſroe, non prius Heracl. cum Syrohi pacem pepigit, quam hic *omnes Chriſtianos, qui in carceribus, & in omni Perſide captivi tenebantur, remiſerat.* Certe ſicut omnes Chriſtiani per fidem cum Chriſto capite ſuo uniti, inter ſe autem charitatis vinculo connexi, unum cœtum ſic conſtituunt, ut obligationi, qua certi civilis cœtus membra audiunt, nihil decedat, cum Evangelium non abolet politiam; ita nil obſtat, quo minus ſubditis alterius civitatis, & civibus vicini populi, fidei noſtræ conſanguineis, ſi ob communem nobiſcum religionem injuſte patiuntur, hoc officium, etiam non implorati, præſtemus, ut pro illis intercedamus pacata quadam ratione, ob vinculum illud comune,

quod

c) *Hiſt. Miſcel. l.* 18. *c.* 27.

d) *l.* 14. *c.* 7.

quod per & propter fidei conſanguinitatem nobis cum afflictis iſtis intercedit. Iſta enim fidei conſanguinitas, & exortum inde vinculum ſpirituale, quo cum vicinæ gentis civibus connectimur ſub capite Chriſto, non eſt ſub alterius imperio civili, nec obligationem ſubditorum ipſi debitam concernit, quæ tali etiam interceſſione pro libertate conſcientiæ, & religionis, noſtrorum fidei conſanguineorum, neque læditur, neque minuitur, cum de jure in religionem ipſam non detur civile imperium, quod circa eandem ſe tantum exerit, ſalva conſcientiæ libertate. Conſociatio politica, civiliſque capitis & membrorum unio in republica, non tollit ſpiritualem communionem, quam diverſarum civitatum cives inter ſe habent, & exercent, vigore corporis myſtici, quod conſtituunt. Καὶ ὅτι πάσχει ἓν μέλος, συμπάσχει πάντα τὰ μέλη, *ſive patitur unum membrum, ſimul patiuntur omnia membra*, ait *Paulus*. e) Ita noſtra ætate, ut prolixe non producam ſuperiorum temporum acta, in Comitiis Ratisbonenſibus 1653. Proteſtantes exhibuerunt *literas interceſſionales, pro Evangelicis oppreſſis in provinciis Cæſaris hæreditariis.* Uti & Romano Catholicos Principes interceſſiſſe conſtat pro ſuæ religionis ſociis, apud Proteſtantes. Minus dubij datur, quin, ſi in eadem civitate plures per pacta & tranſactiones tolerantur religiones, & ob religionem nonnulli ex civibus affliguntur,

e) 1. *Cor.* 12. 26.

tur, ejuſdemque libertate, qua alias gaudebant, privantur, cæteris pro religionis ſuæ ſociis afflictis, & iniqua patientibus, intercedere liceat; ſicut in Imp. Germanico id fieri, atque licere conſtat, in quo Proteſtantes cauſam religionis, licet unum tantum concernat Statum, haud raro communem omnium faciunt, & tanquam communem tractant, intercedendo pro iniqua patientibus, quæ juribus & libertati religionis repugnant; ceu in cauſa Donaverdana factum in Comitiis Ratisbonenſibus, ann. 1608. refertur à *Caraffa* f) & *ſcriptore hiſtoriæ Pacis Weſtphalicæ*, g) fruſtra licet. Singulos tamen idem etiam facere, patet exemplo Electoris Saxoniæ Chriſtiani II. pro Bohemis Evangelicis intercedentis apud Rudolph. II. Imp.

f) *Comm. de Germ. Sacr. reſt. p. 4.*

g) *Hiſtor. Pac. Weſt. l. 1. §. 8. p. 23.*

§. 37. Nec vero qui ſic licite pro alienis ſubditis in cauſa religionis, ob quam affliguntur & premuntur, intercedit, ſi nil proficit, jus perfectum conſequitur, vel directe habet, armis vim arcendi ab illis, qui eandem patiuntur, niſi talis violentia ſimul pactum violet, fidemque intercedenti datam. Sic enim, quod *Grotius* a) etiam obſervavit, & ſupra jam notavimus, *in Maxentium & in Licinium Conſtantinus, in Perſas alij Romanorum arma ceperunt, aut capere minati ſunt, niſi vim à Chriſtianis religionis nomine arcerent.* Contra pacta quippe in Chriſtianos ſævierant. Liberaliter equidem etiam reſpondebunt, & extra

a) *l. B. P. II. 25. 8.*

extra caſum pacti quoque, in gratiam religionis ſubditorum alienorum initi, affirmabunt *Grotius*, b) *Albericus Gentilis*, c) & alij, qui ſtatuunt, permiſſum eſſe *ſubditos alienos contra Dominum defendere*, licere eoſdem, male propter religionem à ſuo imperante habitos, defendere, ſecuti *Covarruviam*, d) qui *nos poſſe*, ait, *& quandoq; teneri* contendit, *injuriam à proximo propulſare, & repellere, atq; cum lege charitatis ab injuria defendere: quia ipſe proximus alioqui non poterit ſe defendere, & ideo ab inimicis & tyrannis opprimetur.* Verum ſi non ſimul aliæ cauſæ conjunguntur, quæ bellum juſtum faciunt, ſola afflictio ſubditorum alienorum propter religionem, alteri jus belli inferendi perfectum non largietur, cum non ad iſtum, ſed ad afflictos iſta injuria pertinet. Hos proin intercedendo pacate, non arma movendo defendet, univerſali iſta cognatione, quæ inter mortales, & ſpirituali illa communione, quæ inter ejuſdem fidei conſanguineos intercedit, pari in parem hoc caſu non niſi *jus imperfectum* concedente. Quare vero *Grotius* & *Albericus Gentilis* ita ſtatuerit, laxior etiam hujus diſciplina, quam illius in hoc argumento, *quid armis liceat pro ſubditis alienis*, fuerit, ex *Dinotho*, e) & *Camdeno* f) haud difficulter augureris: Eliſabetha licet, Angliæ regina, non ſolam ejuſdem religionis communionem allegaverit, ad *Belgarum patrocinium* palam & armata manu ſuſcipiendum,

b) *l. c.*

c) *de I. B. l. 1. 16. add. l. 1. c. 9. p. 64.*

d) *c. 1. Opp. Rel. c. peccat. P. II. §. 10. n. 2.*

e) *de bell. Civil. Belg. l. 6. p. 418. §. 10. n. 2.*

f) *Eliſab. ann. 1585.*

dum. Quæ cum ita ſint, tantum hinc abeſt, ſi mere ſubditi, ob veram religionem preſſi, defectionem, vel bellum adverſus ſuperiores moliuntur, ut ab alio in patrocinium recipiantur. g)

g) *Gerhard. de Mag. Pol. §. 211.*

§. 38. Edicta etiam cum adverſus novatores in rebus religionis, ne quid innovent contra antiquam religionem,, fidemque Apoſtolicam & Catholicam, tum adverſus falſæ religionis ſectarios, & fanaticos, ne irrepant, promulgare licet civili imperanti, quibus aditu partim tales arceat, partim qui clam irrepſerunt, ejiciat, ne alios ſeducant, vel in detrimentum divinæ veritatis quid moliantur. Non ſolum enim tanquam cuſtos veræ religionis ita Magiſtratus debitam dat operam, ne detrimenti quid illa accipiat; verum & illius eſt illa in republica exercere, quæ coactionem externam, & civilem inferunt. Exhibet ex *Codice Theodoſiano* edictum *Baronius*, a) quo Imperator Eunomianorum, Arianorum, Macedonianorum, Apollinariſtarum, cæterarumque ſectarum homines & miniſtros, conventus agentes, & doctrinam ſuam diſſeminantes, *perquiſitos, ab omnibus urbibus, & locis, propoſita vigore legis*, qua ejuſmodi congregationes prohibebantur, *conſtrictos à cœtibus expelli, & ad proprias unde oriundi erant terras redire juſſit, ne quis eorum aut commeandi ad qualibet alia loca, aut evagandi ad urbes habeat poteſtatem.* Pulſos vero iterum reverten-

a) *t. 4. Annal. an. 383. f. m. 490.*

tes,

tes, ſeque fidelium cœtibus in civitatibus inſinuantes, alia lege rurſus proſcripſit, b) *omnibusq; urbis Conſtantin. latebris indagine curioſiori perſpectis, ſine ulla gratiæ interventione pelli* juſſit. Idem Gratianus, Honorius & Arcadius, Theodoſius junior fecerunt, quorum edicta in *Cod. Theodoſ.* exhibentur. Conſtat idem de Juſtiniano, non negante *Baronio*, c) qui *veterem eſſe regum morbum dicere* non erubuit, *ut dira iſtiuſmodi prurigine urgeantur, ut expetant, quæ ſunt ſacerdotum.*

b) *L. 13. de hæret. Cod. Theodoſ.*

c) *Annal. t. 7. ad Ann. 528. f. 144.*

§. 39. *Apoſtaſias* etiam à vera religione conſtat iviſſe prohibitum, imo punitum, pios Magiſtratus. Competit hoc jus omni Magiſtratui qua tali, ex officio cuſtodiæ veræ religionis, ne petulanter ea habeatur ludibrio, vel ne quid impie in ejus detrimenmentum fiat, cum ſuo exemplo plurimum haud raro ſoleant apoſtatæ nocere. Sane cum ſub Principe, & omni Magiſtratu civili, debeamus vitam degere cum *omni pietate & honeſtate*, a) uti Magiſtratus eſt ſcandala contra honeſtatem commiſſa impedire, ſic ejuſdem eſt intercedere, ne fiant ſcandala in pietatem impingentia, qualia ſunt quæ dantur ab apoſtatis. Hinc Imp. Conſtant. b) *ſi quis ex Chriſtiano Iudæus effectus ſacrilegis cœtibus aggregetur, cum accuſatio fuerit comprobata, facultates ejus dominio fiſci juſſit vindicari.* Et de Theodoſ. autor eſt *Baron.* c) quod, illis qui *ex Chriſtianis pagani facti ſunt, facultatem,* juſſ

a) *1. Tim. 2, 2.*

b) *Cod. Theodoſ. de Apoſt. l. 3.*

c) *Ann. t. 4. ad ann. 381. ad ann. 391. f. 640.*

juſque teſtandi eripi reſcripſerit. Imperat. Frideric. II. etiam, fortiſſimus ille jurium Principum aſſertor adverſus Curiam Romanam, quoad vixit, in *apoſtatantes à fide Catholica*, eandem pœnam ſtatuit. d) Etſi vero nulli imperanti, qui ſummo civili gaudet imperio, hoc jus denegari debet; interim tamen, cum ſæpe affectu potius, quam ſufficienti ſcientia res geratur, & cuilibet ſua religio hinc videatur optima, ob jus religionis, quod quilibet homo habet, in foro externo etiam falſæ religioni, quia pro vera habetur, paria, imo eadem tribui ſolent ab ejus cultoribus jura, tribuique neceſſario permittuntur, quæ jure non niſi veræ competunt, ſic urgente imperfectione rerum humanarum, & inſuperabili vitæ ſocialis neceſſitate.

d) *Conſtit. Sic. l. 1. tit. 3.*

SUBSECTIO II.
DE
IMPERII ET SACERDOTII JURE CONCURRENTE CIRCA SACRA.

§. I.

PLantant Eccleſiam, veramque in cœtum aliquem, profligata omni ſuperſtitione & impietate, introducunt, propagantq; religionem, verbum prædicando divinum Sacerdotes, quorum eſt ſacra curare, & divina do-

Digitized by Google

cere. Videmus etiam apud barbaras gentes, maxime etiam idololatricas, quales ſunt Americanæ, certis perſonis iſtam curam ex officio competere, impellente neceſſitate melioris ordinis in vita ſociali, ut certum genus hominum ſacra gentis alicujus adminiſtret. Licet negandum non ſit, variaſſe hic gentium inſtituta jam olim, præprimis ubi *Religio* inter dominationis inſtrumenta referri cœpit; ceu à Numa factum eſſe ex *Livio* a) conſtat. Alibi miniſtri ſtatus etiam ſacerdotes erant, apud priſcos nimirum Ægyptios, Chaldæos, Perſas, Gallos.

§. 2. Aliud vero eſt *jus, poteſtas, & imperium circa ſacra*, aliud *functio ſacra*. Cum functione civili & ſeculari hæc in uno ſubjecto æqualiter, & ordinarie, concurrere neque debet, neque poteſt; nec pro libertate Eccleſiæ, quæ divini & naturalis juris ſit, haberi, ubi uterque ſtatus conjungitur, ſacerdoteſque civilis imperij juribus muniti, æqualiter & ordinarie ſuam poteſtatem ſpiritualem exercent. Non vult Chriſtus a) verbi miniſtros, quorum eſt prædicare Evangelium, *κυριεύειν, dominari*, & *ἐξουσιάζειν, poteſtatem habere ſuper alios.* Antiquiora etiam, & meliora Eccleſiæ tempora, quid de hac re habuerint, ex *Cypriano* b) ſatis cognoſcitur. *Syneſio,* c) *συνάπτειν τὴν βασιλείαν τῇ ἱερωσύνῃ, regnum cum ſacerdotio conjungere,* eſt *συγκλώθειν τὰ ἀσύγκλωστα.*

a) *l. 1. hiſt.*

a) *Luc. 22. 25.*

b) *Serm. de lapſ. f. m.* 217.

c) *Epiſt.* 57.

§. 3. Cæterum hæc non impediunt, quo minus poteſtati civili, ſeu *Imperio*, aliqua juriſdictio Eccleſiaſtica, externa ſcil. competat, quæ circa ſacra ſe exerat, & cum poteſtate *Sacerdotij* amice conſpiret. Per ſe enim, & vi muneris, quo DEI vice inter mortales funguntur Populorum rectores, & cuſtodes utriuſque Tabulæ Decalogi a) eſſe debent, tenentur ad curam religionis. Etſi enim, ceu à *Theologis* b) etiam recte obſervatur, *forma regiminis politici exerceri poteſt, & conſervari integra, ſine omni contactu poteſtatis* Eccleſiaſti*cæ, ſpecifice, & ab orthodoxa* Eccleſia *ſic denominata*, uti ſub Imperatoribus Ethnicis, aliiſq; Principibus Gentilibus, v. c. ſub Nebucadnezare, exercita eſt juriſdictio civilis ad beatitudinem civilem ſubditorum, ſine ullo contactu poteſtatis Eccleſiaſticæ, quæ veræ & orthodoxæ Eccleſiæ propria erat; *non tamen integra conſervari poteſt ſine juriſdictione aliqua circa ſacra, ſeu religionem de* DEO *in genere dictam.* Determinatur hæc in Magiſtratu Chriſtiano etiam ad ea quæ ipſi Eccleſiæ, cujus etiam pars eſt, curæ ſunt: Salvo licet ordine, tanto negotio, & objecto hujus poteſtatis convenienti. *Portam* enim Chriſto *aperire,* c) quod Principibus præceptum eſt, ut recte B. *Hülſemann.* explicat, d) *ſignificat cooperationem poſitivam, ad introductionem, conſtitutionem, & conſervationem genericam cultus divini orthodoxi,* quod patet ex locis parallelis

a) *Deut.* 17. 18.

b) *Hülſem.* *Brev.* c. 20. §. 8. n. 1.

c) *Pſal.* 24. 7.

d) *l. c.* §. 8. n. 1.

Pſal.

Pſalm. 118. 19. 20. *Coloſſ.* 4. 3. *Apocal.* 3. 7. 8. Ad hoc peragendum habiles Rectores civitatum eſſe debere, nec quovis modo id præſtari poſſe, per ſe patet.

§. 4. Cæterum quouſque utriuſque, Imperij ſcil. Chriſtiani & Sacerdotij, extendatur poteſtas, quibuſque finibus contineatur, utriuſque etiam quæ jura ſint, & libertates, non ab omnibus recte explicatur. Nobis poteſtas Imperio, etiam Chriſtiano, & Sacerdotio propria, non confundenda eſſe cenſetur cum poteſtate, quæ & huic, & iſti, eſt communis. Quæ ſoli Imperio, ſeu imperantibus ſecularibus competit, eſt poteſtas illa civilis in & circa res hujus ſeculi, temporales ſc. & terrenas: Qua vero, ceu propriâ, gaudet Sacerdotium, *ſpiritualis* eſt, ſtricte ſic dicta; interior ſcil. illa poteſtas verbi & ſacramentorum, quæ operatur fidem, & efficax eſt ad ſalutem omni credenti, *conceditque*, ut loquitur *Aug. Confeſſ.* a) *non res corporales, ſed res æternas, juſtitiam æternam, Spiritum ſanctum, vitam æternam.* Aſt quæ Sacerdotio & Imperio communis eſt poteſtas, *Eccleſiaſtica* dicitur, qua conjunctim, & bono ordine, cooperantur ad introducendum, conſtituendum, conſervandum & propagandum publicum religionis cultum, ejuſque circumſtantias externas determinandas, ea tamen ratione, ut utrique ordini ſuæ relinquantur partes. Nec hoc negat *Oſius*, b) Cordubenſis Epiſcopus,

a) *art.* 28.

b) *Epiſt. ad ſolit. vit. agent.*

pus, verbis ad Conſtantinum Imp. directis, & ab *Athanaſio* relatis : *Tibi DEVS Imperium commiſit, nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum qui tuum imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ; ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ, ad te trahens magno crimini obnoxius fias* : Quanquam *Petrus de Marca* c) *his verbis ſoli Principi poteſtatem in hac terrena & temporalia imperandi aſſeri* contendat, *ut Eccleſiæ ſacra & ſpiritualia procurandi.* Τὰ τῆς ἐκκλησίας enim non de gubernatione externa Eccleſiarum, curaque verum DEI cultum introducendi, conſervandi, propagandi, collapſum autem reſtaurandi, intelligi debere, ſed potius de poteſtate interiori Eccleſiæ, quæ eſt verbi & Sacramentorum, ſequentia *Oſij* verba ſatis docent : Οὔτε τοίνυν ἡμῖν ἄρχειν ἐπὶ τῆς ἔξεστιν, οὔτε σὺ τοῦ θυμιᾶν ἐξουσίαν ἔχεις, βασιλεῦ, *neq; igitur fas eſt nobis in terris imperium tenere, neq; Tu thymiatum poteſtatem habes, Imperator.* Reſpicit nimirum pius Cordubenſium Præſul ad factum Uſiæ, thymiama adolentis, d) quod ſolis ſacerdotibus e) competebat; improbatq; in Principe ſeculari *poteſtatem architectonicam, æqualiter & indifferenter ſe diffundentem ad omnia ſacra & profana Chriſtianorum; & differentem tantum longiore vel propinquiore diſtantia influxus in effectus ſupernaturales, & civiles*, ut Magiſtratus quidem efficienter influat in converſionem, regenerationem, juſtificatio nem

c) *de Concord. ſacerd. & Imper. l. 2. c. I. §. 4. f. 55.*

d) 2. *Reg.* 15. 5. 2. *Paral.* 26. 18.

c) 2. *Paral.* 29. 11.

Digitized by Google

nem &c. Chriſtianorum, ſed influxu remotiore, quam miniſtri Eccleſiæ; quæ *Parei* f) fuit ſententia, cum non niſi pædagogiam quandam externam ad talem effectum præſtet juriſdictio Eccleſiaſtica, qua civilis eſt. g)

§. 5. *Paulus Voëtius*, a) doctus Vir, diſquirens *quid Princeps poßit in ſacris, præſertim ſi Chriſtianus ſit, & religionem orthodoxam profiteatur*; externam ejuſdem poteſtatem, quæ verſetur circa ſacrorum jura nonnulla, & circumſtantias, ſic reſtringit, ut epiſcopen imperanti competentem valde coërceat, *de vera doctrina, de decore, de ordine in Eccleſia ſervando, congruenter item verbo* DEI, *ſub Chriſto capite, ferre judicium miniſteriale, tantum eorum eſſe* contendens, *qui donis & vocatione ſunt inſtructi, quales ſunt Apoſtoli, presbyteri, Doctores in Eccleſiæ, Act. c.* 15. & *omnes actiones, deliberationes, definitiones ad ſubſtantiam rei Eccleſiaſticæ pertinentes, à cœtu eſſe ſervorum* DEI affirmans; ſic ut *Magiſtratus Politicus in conventu Eccleſiaſtico ne quidem Præſidere poßit, ut Collegiï Eccleſiaſtici Præſes; quatenus ibi de negotiis agitur Eccleſiaſticis, quantumvis pietatis & eruditionis donis inſtructus*; b) Excluſo etiam Principe ab *electionis* miniſtrorum Eccleſiæ *jure*, c) quod *libertatem Eccleſiæ* appellat, *ad oppoſitionem procerum Belgiï*, ut alibi loquitur. d) JCto Belgæ ſubſcribit *Iacobus Triglandus*, e) Theologus. Collega ejus, *Conſtantinus L'Empereur*, f) *religionem quod attines*,

f) *Comm. in Rom.* 13. *dub.* 5. *prac.* 4. & 6. *prop.* 8.

g) *Hülſem. breV. c.* 20. *n.* 9. §. 1. *add. M. Ant. de Domin.* R. E. *l.* 6. *c.* 5.

a) *Iuriſpr. ſacr. c.* 1. *ſect.* 3. §. 5. *p.* 77.

b) *ib. p.* 89.

c) *ib.* §. 11. *p.* 121. *ſqq.*

d) *l. c. p.* 87.

e) *de civil. & Eccleſ. poteſt. p.* 24. 110. 118.

f) *Diſpp. Theol. XIII.* §. 7.

Digitized by Google

net, inquit, *ejus adminiſtrandæ cura ſolis Eccleſiaſticis competit.* Scoti etiam, ut refert *Irenæus Philalethes*, g) ad *presbyterium* ſuum, & proin non ad Regem, *pertinere dixerunt judicium omnium appellationum à Conſiſtoriis, poteſtatem decernendi de ſententiâ excommunicationis, paſtorum admiſſionem, ſuſpenſionem, Eccleſiarum viſitationes, & hujus generis ſimilia.* Verum qui jure divino cuſtos eſt etiam Tabulæ primæ Decalogi, is quo ſatisfaciat muneri divinitus injuncto, de vera doctrina judicium per ſe ferendi, non per alios tantum, miniſtros ſcil. Eccleſiæ, jus habet; præſidebit etiam divino jure in conventibus, in quibus de negotiis Eccleſiaſticis agitur, conjunctaque cum clero opera de fidelibus miniſtris eligendus ſolicitus erit, ne neglectæ debitæ cuſtodiæ à DEO accuſari poſſit, liber ab iſto reatu manſurus, ſi in nullam partem curæ religionis adminiſtrandæ, ex ratione officij, quod renuntiare non licet, veniret. Idem *jus naturæ* docet. Hoc enim cum dictitet, DEI vice ſummos in terris imperantes gubernare, dictitabit quoque talibus vicariis, præcipietque eiſdem, ut curam quandam gerant cultus divini publici, eundem per ſe etiam, qualis ſit, cognoſcant, & de illo etiam quoad tempus, locum, perſonas & qualitates diſponant, deliberationeſque hoc nomine inſtituant. Recte *Thomas* h) docet, *Reges & Principes toto conatu, & ſolicitudine, ad cultum divinum*

g) *Hiſt. mot. in Scot. p. m.* 2.

h) *de regim. Princ. l.* 2. *c.* 16.

vinum debere intendere. Et hujus rei Regem magis eſſe debitorem, propter tria quæ ſunt in ipſo. Et quia videlicet homo; & quia Dominus, vices DEI *gerens in terris, à quo dependet, ſicut ejus miniſter; & quia rex.* Melius Reformatis Doctoribus, Batavis compluribus, ſtatuerunt *M. Antonius de Dominis,* i) & *Iſmael Bulialdus,* k) recte contendente hoc, l) quod, ſi ad inſtantiam Hiſpanorum, à quorum dominatu Portugallia ſe liberaverat, Pontifex in eorundem gratiam *Epiſcopos inſtituere, & imminenti Eccleſiarum Luſitanicarum ruinæ conſulere ulterius differat, poſſit ac debeat Luſitaniæ Rex,* poſt continuas preces per octennium integrum fruſtra in Curia Pontificia factas, *jure providendi ad ſe revoluto, ac tanquam pro derelicto in illius poſſeſſionem reverſum, ob affectatas à Pontificibus minime honeſtis de cauſis moras, Epiſcopos juxta formam antiquam deligere, & à Metropolitis regni ſui, atq; Epiſcoporum cœtu conſecrari jubere.*

i) *de Rep. Eccleſ. l. 6. c. 5. §. 1. ſqq. f. 62.*
k) *pro Eccl. Luſitan. p. 5. ſqq.*
l) *l. c. p. 19.*

§. 6. Cæterum ad Sacerdotium redeundo, ejus in vita ſociali inſtitutionem jus naturæ præcipit. Religio enim, & Sacerdotium, neceſſario nexu inter ſe connectuntur, ſi in vita ſociali ordo actionum, & quo ordinate omnia fiant, ordo certus perſonarum eſſe debet, cui ſacra & cultus divinus publicus curæ ſint. Præcipit quippe J. N. cum ut DEUS colatur, tum ut bono ordine id fiat: modum licet, qui DEO certo placeat non

præſcribat. *Abſolute* enim ſuprema ratio divini cultus pendet à divina voluntate. *Veriſimile* putat quidem, doctiſſimus *Spencerus*, a) *quemlibet loci privati hominem, ante Moſis tempora, ſacrificia privata licite obtuliſſe, & ſacerdotis officium, ſibi ipſi, & nomine ſuo peregiſſe.* Rectius vero cenſetur, etiam in mundo antediluviano certum fuiſſe locum, in quo cultus divini publici cauſa convenire ſolebant, annuentibus, poſt noſtrates, b) *Auguſtino Torniello*, c) & *Boulducco*, d) Etſi enim Abel & Cain munera ſua ad Dominum adduxerint, e) in ſequentibus tamen temporibus cuilibet privati loci homini ita licuiſſe, ad Moſen uſque, non ſequitur, ſolidius probante B. *Franzio*, f) *ab Adamo uſq; ad Moſen non niſi à primogenitis Patrum, aut ab iis, qui in eorum locum à morte, vel aliis accidentibus, ſubſtituebantur, ſacrificia fuiſſe adminiſtrata.* Docuit idem de Eccleſia antediluviana, & Noachica B. D. *Bebelius.* g)

a) *de LL. Ebræor Ritual. l. 1. c. 6. p. 112.*

b) *Frantz. Schol. ſacrific. VII. 26. ſqq. 36. ſqq. VIII. §. 24.*

c) *Annal. an. M 130. §. 7. f. 63.*

d) *Eccleſ. anteleg. l. 1. c. 2.*

e) *Geneſ. 4. 3. ſqq.*

f) *Schol. ſacrif. diſp. 8. ſqq.*

g) *Eccleſ. antedil. §. 9. p 16 ſq. Eccleſ Noachic. art. 4. §. 4.*

§. 7. Conſenſus hic juris naturalis cum jure divino tendit ulterius ad ordinem inter ſacerdotes ipſos, ſeu miniſtros Eccleſiæ inſtituendum. Urgent hunc diverſæ qualitates complurium objectorum muneris Eccleſiaſtici. De quibus licet jus naturæ per ſe non cognoſcat, attamen cum aliunde, ex ſacris nimirum paginis, a) conſtet, diverſam iſtam objectorum conditionem, diverſos quoque parere actus, horum ordo & diverſitas, ordinem

a) *1. Cor. 12. 28 ſqq. Eph. 4. 12. 13.*

nem quoque perſonarum inferre colligitur, quo εὐτάκτως, quod J. N. præcipit, omnia fiant & gerantur, eadem diverſitate objectorum, atque actuum ipſis convenientium, dignitatis quoque externæ inter miniſtros, ſeu ſacerdotes, differentiam inſinuante; modus licet conſtituendi iſtam εὐταξίαν Eccleſiaſticam, ceu diu duraturam, neque naturali jure, neque divino etiam ſit in N. Teſt. definitus. Tantum abeſt, ut dicatur, in tali ſubordinatione, ſuperiores aliis eſſe divino jure ſtatim tales; qui, quicquid ſit, de jure humano, quo aliis ſunt præpoſiti, pro primis inter pares tantum, ratione ordinis ſcil. cenſeri debent. Ex hac juris divini inprimis, & naturalis conceſſione, unitatis, pacis & diſciplinæ ſervandæ cauſa, ne hæc periclitaretur, inter presbyteros ordo fuit conſtitutus, ut ſub Epiſcopi nomine quidam cæteris præponeretur, qui ordinis primum & dignitatis, mox aliis prærogativis illis major factus eſt. Nec male *Calvinus* ad Poloniæ Regem ſcribens, b) *hoc*, inquit, *natura dictat, unum ex ſingulis collegiis deligendum, cui præcipua incumbat cura.* Unde B. *Hieronymus*, c) explicans quid diſcriminis inter Epiſcopum, presbyterum, & Diaconum intercedat, *quod poſtea*, inquit, *unus electus eſt, qui cæteris præponeretur: in Schiſmatis remedium factum eſt, ne unuſquiſq; ad ſe trahens Chriſti Eccleſiam rumperet.* Semina hujuſmodi factionum jam Apoſtolorum tem-

b) *Epiſt.* 190.

c) *t. III. opp. Epiſt. ad Evagr. f. m.* 150.

pore in Corinthiorum apparuerunt Eccle-
d) 1. Cor. 1. 11. 12. ſia. d) Addit vero *Hieronymus*: *Nam & Alexandriæ à Marco Evangeliſta uſq; ad Heraclam & Dionyſium Epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex ſe electum, in excelſiori gradu collocatum EPISCOPVM nominabant.* Hoc Apoſtolorum tempore nondum ſic erat, ex Chriſtiana autem libertate ita inſtituebatur in ſequentibus temporibus; illo etiam poſtmodum ex Epiſcopis facto Metropolitano, pacis conſervandæ, & æmulationis inter Epiſcopos coërcendæ gratia, cujus Epiſcopatus eſſet in urbe, quæ amplioris alicujus Provinciæ, in quibus plures Epiſcopatus erant, Metropolis foret.
e) Can. 9. *Concil. Antiochenum* III. e) hac de re ita ſtatuit: *Per ſingulas regiones,* ἐπαρχίας, *Epiſcopos convenit noſſe, Metropolitanum Epiſcopum ſolicitudinem totius provinciæ gerere, propterea quod ad Metropolin omnes undique, qui negotia videntur habere, concurrant. Vnde placuit, eum & honore præcellere, & nihil amplius præter eum cæteros Epiſcopos agere, ſecundum antiquam à patribus noſtris regulam conſtitutam, niſi ea tantum quæ ad ſuam diœceſin,* παροικίαν, *pertinent,*
f) Can. 6. *poſſeſſioneſq; ſubjectas.* In *Concilio Nicæno* f) jam ante ſic decreverant de Primatibus Epiſcoporum Metropolitanorum: Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει· ὥστε τὸν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ Ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν ἐξουσίαν· ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ

κατὰ

κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις, mos antiquus perduret (non *perdurat* ut vetus habet verſio à *Caranza* g) producta) *per Ægyptum, Lybiam & Pentapolin, ita ut Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt. Similiter & apud Antiochiam, cæteraſq; provincias, ſuis privilegia ſerventur Eccleſiis.* Humani juris ergo hæc ordinum in Sacerdotio, atque Hierarchiæ exterioris in Eccleſia conſtitutio eſt, permittente tamen jure naturali, & divino etiam in V. T. quod ordinem præcipiendo in genere, rationem ordinis liberam relinquit.

g) *Summ. Concil. p. 65.*

§. 8. Modum proin exceſſerunt Scoti, Presbyteriani, *unanimi conſenſu in Synodo Taoudinenſi anno* 1580. *decernentes, autoritatem illam, quam in Eccleſias ſibi arrogarant Epiſcopi,* ſublata miniſtrorum per presbyteria paritate, *eſſe Antichriſtianam uſurpationem, per quam AntiChriſtus in Cathedram Chriſti ſurrepſit*; Hierarchiam ipſam cum abuſu eodem loco habentes, & presbyteriale regimen abrogato Epiſcopali conſtituentes, de quo prolixe *Irenæus Philalethes.* a) Rigidiores his *Independentes*, in Anglia poſtea, quo magis omnem ordinem Epiſcopalem penitus ex Eccleſiis ſuis eliminarent, nullo ejuſdem veſtigio relicto, etiam *combinatum claßico-presbyteriale regimen*, h. e. explicante *Hoornbeeck*, b) com-

a) *Hiſt. motuum in regn. Scot. p. 2. ſqq.*

b) *Summ. Controv. l. 10. p. 780.*

combinationem Eccleſiarum in Synodos; & harum autoritatem in illas, improbarunt; *congregationes* ſuas atque *cœtus particulares, recte inſtitutos & ordinatos, eſſe immediate, & independenter, quoad alias Eccleſias, ſub ſolo Chriſto,* uti loquitur *Robinſonus,* c) Independentiſſimi præcipuus autor. Sicut neutiquam ſe teneantur ſubmittere examini plenario aliarum Eccleſiarum. Quanquam & illi in altero verſentur extremo, qui non ſolum Epiſcopos jure divino poteſtate juriſdictionis Presbyteris majores, & ſuperiores eſſe ſtatuunt, quod cum Epiſcopis Anglicanis in ſuperiori, cum Presbyterianis, atque Schiſmaticis in Eccleſia Anglicana aliis, certamine, & cum *Tridentino Concilio,* d) etiam ſenſit *M. Antonius de Dominis;* e) ſed etiam regimen Eccleſiæ, ſeu *Politiam Eccleſiaſticam,* Monarchicum eſſe debere, & *Hierarchiam, quæ conſtat ex Epiſcopis, Presbyteris & miniſtris, divina ordinatione inſtitutam eſſe* f) contendunt.

§. 9. Satis vero conſtat, quantum turbarum in Republica dederint origines variorum in Sacerdotio ordinum, non rite explicatæ, & errores circa regimen Eccleſiaſticum commiſſi, locutique ſunt motus Britannici. Presbyteria enim iſta, de quibus verba fecimus, *juris divini* eſſe, ut vult *Hoornbeck,* a) *verbumq; DEI præſcripſiſſe, & antiquitus fuiſſe obſervatum, ut Eccleſia abſq; aliquo, cui præcipua ejus cura incumberet, per Presbyteria claſſibus*

c) *Apolog. c. 5. add. Burmann. Synopſ. Theol. l. 8. c. 8. §. 4. p. 495.*

d) *Seſſ. 23. cap. 4. can. 6. ſq.*

e) *de Rep. Eccleſ. l. 2. c. 3. n. 3. ſqq.*

f) *Concil. Trid. Seſſ. 23. c. 6.*

a) *Summ. Controv. l. 10. p. 773.*

bus, ſubordinata, & claſſes Synodis ſubditas, regeretur, in conſortium adſcitis, & conſtitutis Preſbyteris Laicis temporariis, vel annuis, quale Eccleſiaſticum regimen Genevæ formatum per Galliam, & Scotiam, & fœderatas Belgÿ provincias obtinuit, nondum eſt probatum, negaturque à *Calixto*; b) æque atque divinæ ordinationis eſſe negant Hierarchiam Epiſcopalem. Utriuſque tamen regiminis origines, divinæ creditæ, magnorum motuum cauſa fuerunt, jam Eliſabethæ temporibus, *nonnullis* apud *Camdenum*, c) *qui Genevenſis Eccleſiæ diſciplinam unice admirabantur, non aliam rationem conſtituendi eandem in Anglia excogitari poſſe putantibus, quam Anglicam Hierarchiam inſectando, & Præſulibus invidiam apud populum conflando.* Etſi vero regimen Presbyteriale tale, quale Scoti urgebant, & apud Belgas etiam obtinet, *verbo DEI præſcriptum*, ut loquitur *Synodus Glaſguenſis*, d) & ſic divini juris, & mandati, eſſe gratis dicatur; *inficete* tamen, B. *Hülſemanno* e) notante, inficiatus eſt *Wilhelmus, Cantuarienſis Archiepiſcopus*, in oratione ad Regem & Proceres habita an. 1638. *in Eccleſia quicquam auditum fuiſſe de Laicis Preſbyteris uſq; ad Calvini novum Genevenſe commentum.*

b) *Appar. Theolog. p.* 231.

c) *ann.* 1588. *ſub fin.*

d) *Philal. Hiſt. Mot. Scot. p.* 293.

e) *Brev. c.* 19. *§.* 18.

§. 10. Relinquitur ergo, non ſolum diverſos ordines, & gradus perſonarum, ſacerdotium admittere, illorumque differentiam ſpecificam, atque proportionem ad invicem, quo-

quoad gradus dignitatis, & objecti determinationem, neque divino N. T. multo minus naturali jure prohiberi; ſed & liberam eodem jure permitti diverſorum horum miniſtrorum ordinationem, ad conſtituendum regimen Eccleſiaſticum, ſeu presbyteriale ſit, ſeu Epiſcopale. Religioni enim, quæ Politiam civilem non abolet, non repugnat, quo minus Eccleſia, quoad externam faciem atque ordinationem, ſuum regimen accommodet ad ſtatum Reipublicæ, ejuſque indolem, modo id faciat ad *τάξιν καὶ εὐσχημοσύνην*, quam neque Presbyteriale, neque Epiſcopale regimen per ſe tollit. Habet vero & hic ſua etiam jura poteſtas civilis, & is penes quem eſt in civitate *τὸ κύριον*. Intereſt enim & Eccleſiæ, & Reipublicæ, qua ratione ordo inter miniſtros conſtituatur. Illius, quo ſingulis ſui officij partes recte aſſignentur, decorque harmonicus, quoad officij determinationem, qualem cum Eccleſiæ ordinatio externa, tum ædificatio requirit, obtineatur. Quod à Magiſtratu civili non magis negligi poteſt, cui Eccleſia, nec detrimenti quid accipiat, curæ eſſe debet, quam alia in civitate Collegia, Academica v. c. Mercatorum &c. quæ certum perſonarum ordinem, & diſpoſitionem deſiderant, de qua Rectores conſtituere ſolent in Rep. Curam ergo publice ſibi ſumere tenentur Chriſtiani imperantes, ut externus iſte in Eccleſia ordo, qui eſt pars etiam ordinis

ex-

Digitized by Google

externi Reipublicæ Chriſtianæ, recte conſtituatur, & ut legibus præſcribatur, ut omnis ordo, pro officij determinatione, cuncta rite, nec præpoſtere agat. Ex hoc jure poteſtatis Eccleſiaſticæ civilis David Sacerdotium ordinavit, a) in XXIV. familias ſacerdotes diſtribuens, ut ſingulis Sabbathis nova Sacerdotum familia ſacrorum miniſterium præſtaret; Levitas autem alios ſacerdotum miniſtros, alios cantores, alios janitores, alios ſcribas conſtituens.

a) *1. Paral. 25. & c. 24.*

§. II. Quantum autem Reipubl. quam Eccleſia non evertit, interſit, in ordinis inter ſacerdotes & Eccleſiæ miniſtros inſtitutione, etiam civiles Rectores ſuas habere partes, maximo ſuo malo Germania ſenſit, ex quo jus inveſtituræ Epiſcopalis Imperatoribus per vim fuit ademtum, de quo peculiari tractatu egit *Heinricus Meibomius*, a) annuente *Onuphrio Panvinio*. b) Floruit è contra hinc Gallia, & retenta interna unione, potentiſſima facta eſt, Rege retinente jus inveſtituræ, contra conatus curiæ Romanæ. Non abs re etiam judicavit Eliſabetha Angliæ Regina, apud *Camdenum*, c) *novatores iſtos*, qui abrogata Hierarchia Epiſcopali, Presbyteros conſtitui malebant, ſecundum diſciplinam Eccleſiæ Genevenſis, non *Eccleſiaſticæ* tantum *adminiſtrationis*, *ſed & Regiæ prærogativæ nervos ſucciſuros eſſe*: Unde & Puritanos iſtos *audire noluit*: *Alij* licet *diſciplinam hanc per angulos*, *ſpreta*

a) *Tract. de Iur. inveſt. Epiſc. &c.*
b) *Gregor. VII.*
a) *Annal. ann. 1588. ſub fin.*

ſpreta LL. autoritate, exercere cœperint, Synodos atque claſſes certis locis habendo, & Presbyteria inſtituendo. In Scotia etiam motuum cauſa fuit, quod Sacerdotium invaſerint, regimenque Eccleſiaſticum Presbyteriale, proſcripta Hierarchia Epiſcopali, inſtituerint homines Monarchomachi, quales *Knoxum*, *Goodmannum*, alioſque fuiſſe, primos Scotorum Reformatores, illorum ſcripta docent. Unde quod prudentioribus in aula ſuboleret, homines Monarchomachicos, Epiſcopalem Politiam Eccleſiaſticam animo parum æquo ferentes, non minus ægre ferre Reges, ubi non pro ſua libidine eos graſſari permiſerint, Epiſcopale regimen reſtituere tentarunt, Presbyterianis contranitentibus; donec poſt *Synodum Glaſguenſem* ann. 1638. habitam, quæ cum contemtu regiæ autoritatis, regimen Hierarchicum, cum acri Archiepiſcoporum & Epiſcoporum cenſura, exploſum iverat; *quod manifeſtum Monarchici regiminis damnum ſecum trahere,* mandatum Regium de diſſolvenda Synodo arguebat, quod exhibet *Irenæus Philalethes*; d) exorto bello *armis* Scoti *extorquerent regi abolitionem totius Hierarchiæ,* uti conſtat ex *Honorio Reggio*; e) peſſimo exemplo, quod ad paria tentanda Anglos excivit, explicante *Georgio Bateo.* f)

§. 12. Forma regiminis externi Eccleſiaſtici, & ordinatio ſacerdotij, cum non jure tantum naturali, ſed & divino in N. T. libera

d) *Hiſtor. mot. in Scot. p.* 186.

e) *de Stat. Eccleſ. Britann. p.* 47.

f) *Elench. Mot. in Angl. P. I. p. m.* 25. *ſq.*

libera ſit, non improbandum, ſi accommodate ad formam regiminis civilis ea inſtituatur. Cum enim Reſpublica in ſinum ſuum recipit Eccleſiam, ne difformitas quædam exterior appareat, mavult in re indifferenti, externi iſtis decori, quo τάξις καὶ εὐσχημοσύνη etiam conſervatur, conſervandi cauſa, ſe Eccleſia ad civilis regiminis quoque indolem accommodare. Partim vero hic petitionem principij, partim μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος committit *Bellarminus*, a) *Regimen Eccleſiaſticum præcipue Monarchicum eſſe debere* contendens. Conſtat præterea, *Burmanno*, b) Reformato Theologo, etiam monente, *pro multiplici populorum locorumq; genio, & Reip. varia forma, externum quoq; Eccleſiæ regimen variaſſe; omni ſeculorum quoq; experientia docente, plerumque politiæ ſecularis formam ſequi Eccleſiaſticam.* *Concilium* ſane *Nicanum*, c) pro præcipuis Metropolitanis Alexandriæ, Romæ, & Antiochiæ Epiſcopos habendos eſſe ſanciens, cum jura Alexandrini turbarentur, ad τὰ ἀρχαῖα ἔθη, *antiquos mores*, antiquam ſcil. conſuetudinem, provocavit. Quanquam vero *M. Antonius de Dominis* d) putat, conſuetudinem hanc, ut ſub iſtis Patriarchis plures particulares Eccleſiæ ſic unirentur, inde natam eſſe, quod *initio naſcentis Eccleſiæ, in maximis & latiſſime patentibus provinciis, ob paucitatem Apoſtolorum, Virorum Apoſtolicorum & Epiſcoporum, fidelium denique, in multis civitatibus Epiſcopi non conſtitui* poter-

a) *t. I. Opp. de Rom. Pontif. l.* 1. *c.* 9.

b) *Synopſ. Theol. P. II. Loc.* 47. *p.* 469. *§.* 5.

c) *Canon.* 6.

d) *de Rep. Eccleſ. l.* 3. *c.* 10. *n.* 12. *f.* 312. *add. n.* 14.

potuerint, paſſim etiam *conſtitui non opere pretium fuerit*; hinc exiſtimans, in magnis & integris regionibus, & quidem in regiis earum civitatibus, Metropolitanos eſſe conſtitutos, *qui totius illius regionis Epiſcopos crearent*, & quidem tres tantum; cum *in toto Imperio Romano tres hæ tantum*, ſupra jam nominatæ, *vere regiæ civitates, & Metropoles fuerint*. Quanquam, inquam, Dalmatarum Præſul hæc ita diſputet, ea tamen, quæ de paucitate Epiſcoporum, quales nimirum Apoſtolica tempora habebant, dicuntur, confutantur per *Apocalypſin Iohannæam*. e) Ad *Angelos* enim, h. e. ad *Antiſtites* Eccleſiarum ſeptem in Aſia, ſcribere juſſus fuit à Chriſto Johannes. Ne dicam *Titum* f) in Creta κατὰ πόλιν, *oppidatim*, *presbyteros* conſtituiſſe. Idem cur alibi factum non ſit, vel fieri non potuerit, nil ſolidi contra adferet. Res ipſa docet, nec abnuere poteſt *M. Anton. de Dominis*, in iſtis Patriarchalibus ſedibus ordinandis, Eccleſiam propter Rempublicam ad regimen ejuſdem civile ſe accommodare, illudque imitari potius voluiſſe, ita ut quæ Eccleſiæ particulares, civili unione ſub uno regimine ſeculari, in unum partiale corpus civile coierant, melioris harmoniæ gratia pari ratione in unum corpus Eccleſiaſticum partiale, ſub certo unoque regimine Eccleſiaſtico, unirentur, ſic ut Metropolitanorum iſtorum, ſeu, ſi mavis, Patriarcharum poteſtas intra certos limites coërceretur,

e) *Cap*. 2. & 3.

f) *Tit*. 1. 5.

retur, nec univerſalis foret. Hac ratione, cum Byzantium nomen & dignitatem novæ Romæ obtinuiſſet, ex ſanctione *Concilij Conſtantinopolitani* g) Epiſcopus quoque Conſtantinopolitanus *Primatus honorem poſt Romanum Epiſcopum accepit*, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν νέαν Ῥώμην, *propterea quod ſit nova Roma*, probante *Concilio Chalcedonenſi Oecumenico*, h) etſi altum apud *Caranzam* i) hac de re ſit ſilentium: Cenſentibus Patribus, *urbem quæ & Imperio & Senatu honorata æqualibus cum ſeniore regia Roma privilegiis fruatur, etiam in Eccleſiaſticis rebus, non ſecus ac illam extollendam, & magnifaciendam eſſe, utpote quæ poſt illam ſecunda ſit.*

g) *Can. 5.*

h) *Can. 28.*

i) *Summ. Conc. Chalced.*

§. 13. Competit præterea Imperio in Sacerdotium hoc jus, ut ſacerdotes ſibi ſubditos ad *Concilium evocet*, & cogat; ex contemtu licet religionis Chriſtianæ non uſurpatum à Principibus Ethnicis fuerit. Sacerdotium hinc ad ſe pertraxit, ſuumque hoc jus ex conſuetudine convocandi Synodos eſſe voluit; id quod tamen Principibus Chriſtianis ſequentium temporum fraudi eſſe non potuit, quo minus jus hoc exercerent, cum Eccleſiæ curam ex officio nutritiorum in ſe ſuſcepiſſent; uti omnia Concilia, exceptis ordinariis, a) non Oecumenica tantum, ſed & Dicæceſεων Concilia Imperatores convocaſſe conſtat. *Ex eo tempore, quo Conſtantini eſſe cœperunt*, inquit *Socrates*, b) *Eccleſiæ* ne-

a) *Petr. de Marc. de Conc. Sac. & Imp. l. 6. c. 17. §. 4.*

b) *Hiſtor. Eccleſ. l. 5. Proœm.*

negotia ab illorum nutu pependerunt, atq; adeo maxima Concilia de eorundem ſententia convocata fuerunt, & adhuc convocantur. Ab illo enim rite & recte fit Conciliorum convocatio, cujus eſt externum Eccleſiæ ordinem curare; ad hunc enim pertinent iſta Comitia Eccleſiaſtica. Congregandi etiam cives jus, & quidem ſub obligatione parendi, nemini in civitate competere debet, nec poteſt, quam imperanti, cujus ſæpe intereſt, ne id fiat: qui etiam ſolus vim cogendi cives, quorum numero ſunt de jure ſacerdotes, habet. Solus is, penes quem eſt in civitate ſumma poteſtas, dicere poteſt, quod Conſtantinus M. ad Ale-
c) *H E. l. 1. c. 6.* xandrinam Eccleſiam ſcripſit, apud *Socratem*: c) *Magnam Epiſcoporum turbam ad Vrbem Nicaam accerſivi.* Hoc, & plura alia exempla nota ſunt. Unde cum Imperatoribus ſua jura adhuc eſſent integra, quo precibus, quibus Concilium convocari à Cæſaribus petere Pontifices R. ſolebant olim, pondus adderent, officij ſui Impp. etiam ſimul admonuerunt. *Pro integritate fidei Catholica*, ſcripſit *Leo* ad Theo-
d) *Epiſt. 9.* doſium, d) *Chriſtianiſſimum principem convenit eſſe ſolicitum* &c. Unde ſi pietas veſtra ſuggeſtioni *ac ſupplicationi noſtra dignetur annuere, ut intra Italiam habere jubeatis Epiſcopale Con-*
e) *l. 9. Epiſt. 54.* *cilium.* Etiam *Gregorius* M. e) Theodoricum Burgundionum regem hortatus eſt ad Synodum convocandam: *Veſtra Excellentia DEI noſtri mandatis inhærens, ſtudium ad congregandam*

dam Synodum pro ſua mercede adhibere digne-tur, ut omne à ſacerdotibus corporale vitium — poteſtatis veſtræ imminente cenſura, & Concilij definitione, tollatur, & abſciſſum à radicibus amputetur. Nimirum, uti cenſet *Petrus de Marca*, f) *optime noverat* Gregorius, *quanam in Conciliis convocandis eſſet Principum autoritas: perſuaſusq; fuit, Regibus competere auctoritatem convocandi Synodum.*

f) *de Conc. Imper. & ſacerd. l. 6. c. 19. §. 1.*

§. 14. Quemadmodum itaque ex juriſdictione coactiva, & poteſtate ſuperemi-nenti, civili imperio jus cogendi ſacerdotes ad Synodum competit, ita & *directio externa*, cæteraque, quæ ad decentem ordinem externum in Conciliis pertinent, civilis poteſtatis curæ relinqui debent, ut turbulentis ingeniis, & pertinacibus diſſenſionibus, obex ponatur. Hoc muneris ſui eſſe ratus Conſtantinus M. in aula palatij, cum Concilium celebraretur Nicænum, *ſellam ex auro fabricatam*, ut refert *Euſebius*, a) ſedendo occupavit, *ſummo loco aſſidens*, ex quo, ut *Socrates* b) & *Theodoretus* c) commemorant, *hortatoriam Orationem habere cœpit, qua illos ad conſenſum animorum & concordiam admoneret.* Legitur hæc oratio apud *Sozomenum*, d) qua inter alia ſic Princeps optimus loquitur: *Cum certior factus eſſem, vos diſcordare mutuo, quos neutiquam deceret & ob eam cauſam hoc ſacrum Concilium convocandum curavi. Ac cum Imperator ſim, & veſter conſervus, munus hoc à vobis po-*

a) *de Vit. Conſt. M. l. 3. c. 10.*
b) *Hiſt. Eccleſ. l. 5.*
c) *Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 7.*
d) *Hiſt. Eccleſ. l. 1. c. 18.*

poſtulo &c. Synodo Tyrenſi etiam cum non intereſſet, non ſolum literis Epiſcopos monuit, *ut nulla interpoſita mora, ſed omni qua poſſent celeritate, in unum locum confluentes Synodum inſtituerent, egentibus opem ferrent, &c.* ſuam ad hoc pollicitus operam; ſed & Dionyſio Conſulari viro id commiſit, ut ſuis verbis *eos admoneret omnium rerum, illorumq; Synodo adeſſet: Maxime vero, ut idem animadverſor eſſet, & cuſtos conſervandæ æquabilitatis & ordinis:* Addens, quod *ſi quis rejecto & ſpreto ſuo mandato adeſſe noluerit,* delegatum à ſe miſſum *talem, regia autoritate in exilium ejectum, docturum, hominem minime decere, ſummi Imperatoris præceptis, ad tuendam veritatem editis, repugnare.* e) Simile quid in aliis Conciliis Oecumenicis exercuerunt Imperatores. In Occidente Carolus M. in Concilio Francofurtano Synodici Præſidis officium exercuit, conſeſſum dirigendo, quo cuncta ordinate tractentur, obſerventur, vindicante hanc Præſidentiam contra negantes B. *Dorſcheo.* f) Nimis frigide pro Romana Curia excipit *Thomas Campegius,* g) id, quod *Imperatores olim Concilia vocarint, non eſſe trahendum in exemplum, quoniam id factum eſt ſuadente temporis qualitate & neceſſitate: quod Eccleſia libere tunc congregari non potuiſſet ad vocationem Romani Pontificis. Propterea eorum tacito conſenſu permiſſum ab Imperatoribus congregari, quin etiam quandoq; rogatos, ut id facerent:* Injuriam enim faci:

e) *Euſeb. de Vit. Conſt. l. 4. c. 42. Theodoret. H. E. l. 1. c. 28.*

f) *Collat. ad Conc. Francof. ſect. 3. v. 1. p. 96. ſq.*

g) *de auctor. S. Concil. c. 2. §. 7. p. 5. b.*

facit pietati horum Principum, Conſtantini M. inprimis, Theodoſij junioris, & Caroli M. qui id non fuiſſent facturi, niſi congregandæ & dirigendæ Synodi jus ad ſe pertinere perſuaſiſſimi fuiſſent; nec ſedis Romanæ jura invaſiſſent, ſi juſte à Pontificibus hoc nomine moniti fuiſſent. Sane nec monere omiſiſſent Principes Rom. Epiſcopi, uti Oſius Cordubenſium Præſul Conſtantinum M. monuit, ne τὰ τῆς Ἐκκλησίας, *ea quæ Eccleſiæ ſunt, ad ſe traheret.* Manet proin & hic notum ἀξίωμα: *Primum in quovis genere eſt menſura reliquorum.* Civilis denique Imperij eſt *de actis Synodorum judicare,* eademque confirmare.

§. 15. *Delinquit Clericus* dupliciter, vel Eccleſiaſtice, vel mere civiliter. Utriuſque criminis tam Eccleſiaſtici, quam quod mere civile eſt, cognoſcendi & vindicandi jus habet Imperium civile, ob cuſtodiam utriuſque tabulæ Decalogi, qua obligatur providere, ne Eccleſia detrimentum accipiat, ſed omnia ad ejus ædificationem dirigantur, ſcandalo è medio ſublato. In una etiam republica regulariter adminiſtranda, non niſi una juriſdictio vigere debet. Exercitium vero quod attinet, & modum cognoſcendi, boni ordinis omnino eſt, ut, ſi juriſdictionem circa res Eccleſiaſticas, & delictum aliquod Eccleſiaſticum, civilis imperans exercere velit, id faciat per judicium Eccleſiaſticum, à ſe conſtitutum, uti cauſas civiles, ſeu ſeculares, tractat per miniſtros ſeculares, ita tamen, ut tam ſeculare,

quam Eccleſiaſticum miniſterium, ſuam juriſdictionem ab eo, vel illis accipiat, qui ſummam habent in civitate imperium. Etſi enim, quemadmodum, quo ſimili utitur *Paulus Voetius*, a) *milites armata militia fori gaudent præſcriptione, ſic ut in delictis & cauſis militaribus, non niſi coram militum Magiſtris conveniri debeant*, ita & clerici convenienter coram judicio Eccleſiaſtico in cauſis & delictis Eccleſiaſticis conveniantur; exinde tamen non ſequitur, quod contendit *Voëtius*, b) Juriſconſultus Ultrajectinus, Eccleſiaſticam poteſtatem, circa delicta Eccleſiaſtica etiam ſe exerentem, cum *publico regimine nihil habere commune, & in ſuo genere eſſe independentem*. Ad ordinem juriſdictionis circa diverſas objecti ſpecies, in quibus reddendi juris poteſtas vertitur, exercendæ pertinet, non ad negandam juriſdictionem circa delicta Eccleſiaſtica Principi competentem, quando *Iuſtinianus* Imp. ita ſanxit: c) Ἐι μέν τοι ἐκκλησιαστικὸν εἴη τὸ ἁμάρτημα, δεόμενον σωφρονισμοῦ, καὶ ἐπιτιμίων ἐκκλησιαστικῶν, ὁ θεοφιλέστατος ἐπίσκοπος τοῦτο κρινέτω, μηδὲν ἐπικοινωνούντων τῶν λαμπροτάτων τῶν ἐπαρχιῶν, *ſi Eccleſiaſticum ſit delictum, egens caſtigatione Eccleſiaſtica, & mulcta, DEO amabilis Epiſcopus hoc diſcernat, nihil communicantibus Clariſſimis provinciæ judicibus*. Probaturus etiam *Petrus de Marca*, d) *cenſuram Clericorum legibus Principum non ſubjacere*, exemplum Athanaſij, & aliorum Epiſcoporum, facto Principum, juriſdictionem & judicium

a) *Iuriſpr. ſ. c. 3. ſect. 5. §. 2. p. 407.*

b) *l. c. §. 2. p. 410.*

c) *Novell. 83.*

d) *Concord. ſac. & Imp. l. II. c. 7.*

in

in delictis Eccleſiaſticis ſibi arrogantium, cordate contradicentium, quidem producit. Verum abuſui partim, & neglectui boni ordinis illi contradixerunt, partim iniquitati judicij, non judicio Principum ſimpliciter, uti patet ex colloquio Liberij, Epiſcopi Romani, cum Conſtantio Imp. apud *Theodoretum*. e) Et de e) *Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 16.*
Athanaſio idem autor eſt, f) quod τὴν τῶν δικαζόντων δυσμένειαν ἐπιστάμενος, *judicum perſpectam habens malevolentiam*, ad Synodum f) *H. E. l. 1. c. 27. al. 26.*
non venerit, τὴν ἄδικον ὀδυρόμενος κρίσιν, *de iniquo judicio queſtus* poſtmodum coram ipſo Conſtantino M. g) non ſubmittens ſe Imperatoris, ab Arianis circumventi, judicio. g) *l. c. c. 29.*

§. 16. Similiter cenſendum de *remotione miniſtrorum* ab officio, ſi vel ſcandaloſe vivendo Eccleſiam deſtruunt, vel alias in lupos degenerant. Cujus enim eſt curam agere, ne publicus cultus corrumpatur, vel falſa dogmata diſſeminentur, ejus quoque eſt noxium & inutilem ſacerdotem functione Eccleſiaſtica privare, meliori in ejus locum ſubſtituto. Cuſtos etiam boni ordinis externi in vita ſociali cum ſit is, penes quem eſt ſummum civile imperium, concurret quoque ut ad vocandos, ita & ad dimittendos inutiles & lupeſcentes Eccleſiæ paſtores, ut decenter, & bono ordine ſub ſua, ceu ſupremi in civitate directoris, curâ id fiat. Quæ enim major confuſio eſſe poteſt, quam ſi, uti apud *Independentes* fieri amat, & exemplo docet

a) *Summ. Controv. de Brovvn. p. 778.* Hoornbeeck, a) quilibet cœtus particularis miniſtri ſui deponendi jus habet, citra cauſæ cognitionem, à Magiſtratu factam. De regibus Ebræorum V. T. ex ſacra res certa eſt Hiſtoria. Conſtat enim Salomonem Abjatharem, ſummum Sacerdotem, ab officio removiſſe, b) ſummi Principis jure. Exercuerunt etiam non Orientis tantum, ſed & Occidentis Imperatores, ante extortum à Pontifice Romano jus inveſtituræ, hanc ſibi competentem poteſtatem, ut ſalem inſipidum rejicerent. Modum tamen per abuſum ſui juris Principes nunquam exceſſiſſe, ego non dixerim. Quis enim factum Conſtantini M. Athanaſium Trevirim relegantis, explicatum *Theodoreto*; c) & filij ejuſdem Conſtantini, eundem vix Alexandriam reverſum rurſus in exilium expellentis, de quo *Socrates*; d) vel Conſtantij, Liberium Epiſcopum Romanum, quod in Athanaſij condemnationem conſentire nollet, exulatum mittentis, ex Actis hiſtoriæ Eccleſiaſticæ enarrante *Larroquano*, e) probaverit?

b) 1. *Reg.* 2. 27.

c) *H. E. l.* 1. *c.* 3.

d) *Hiſt. Eccleſ. l.* 2. *c.* 3.

e) *Differt. de Photin. & Liber.*]

§. 17. Sacerdotium uti miniſterialem operam præſtat DEO, & Salvatori noſtro Chriſto, hujuſque inſtituto etiam Eccleſiæ, non ſeculari, ſed ſpirituali quadam ratione; ita per ſe non habet *jus armorum* hujus ſeculi, ad morem militiæ mundanæ, ut jura regni Chriſti armis aſſerant, & armata manu ſuo fungantur miniſterio miniſtri Eccleſiæ, Chriſtumque propugnent. a) Arma enim reſpondent

a) *Ioh.* 18. 36.

dent militiæ, quam ſacerdotes non militant, quæ nullo modo ſecularis eſt. Antiquitas melior quid de ſacerdote milite ſtatuerit, *Canones*, quos *Apoſtolicos* vocant, docent: b) *Epiſcopus, aut Presbyter, aut Diaconus, qui militiæ vacaverit, & ſimul utrumq; retinere voluerit, tam officium Romanum, quam functionem ſacerdotalem, deponitor. Quæ enim ſunt Cæſaris, Cæſari: quæ DEI, DEO.* Turcarum ſacerdotes quidem inter concionandum, quod *ad duas circiter horas* durare autor eſt *Bartholom. Georgieviz,* c) ſtricto acinace verbis ſuis pondus addere ſcribunt. d) Verum mirum id non eſt, cum ex Alcoranica Muhammedis diſciplina, e) *flamma ferroq; exſtipari debeant*, qui fuerint increduli. In Eccleſia vero Arianus Epiſcopus fuit Gregorius quidam, qui militari manu ſtipatus Alexandrinam ſedem occupavit, exturbato inde Athanaſio apud *Socratem*; f) improbante interim *monſtroſam hanc omnis ordinis inverſionem*, uti appellatur *Diana*, g) ſemper Eccleſia, ita ut ob Cyrilli, Epiſcopi Alexandrini, magni alias defenſoris Chriſtoſophiæ, ingenium armorum cupidius; cujus ſpecimen dederat Alexandriæ, militari manu inde Judæos ejiciendo, ſcriptore *Socrate*; h) videatur *Synodus Chalcedonenſis* i) decreviſſe, *eos qui ſemel in clero taxati fuerint*, ſeu *in monaſterio deputati*, μήτε ἐπὶ ϛρατείαν, μήτε ἐπὶ ἀξίαν κοσμικὴν ἔρχεσθαι, *neq; ad militiam, neq; ad honores ſeculares venire.* Diſplicuit ſane

Iler-

b) *Canon.* 82.

c) *de Turcar. morib. c.* 1.

d) *Schvveiger. Itin. l.* 2. *c.* 55. *p. m.* 190.

e) *Azoar.* 10. 12. 18. *ſq.*

f) *Hiſt. Eccleſ. l* 2. *c.* 8.

g) *Reſol. Moral. P. X. tr.* 2. *Reſol. IV. f. m.* 11.

h) *Hiſt. Eccleſ. l.* 7. *c.* 13.

i) *Canon.* 7.

Digitized by Google

k) *Canon. 1. in Caranz. Sum. Conc. p. 290.*
l) *Diſt. 50. c. 37.*
m) *de Sacrileg. Laic. p. 864.*
n) *Capitul. Karol. & Lud. Impp. l. 7. cap. 91. ſq. c. 103. ſq.*
o) *Reſol. Moral. P. X tr. 2. Reſol. 1. & 5.*
p) *Explic. Decal. P. II. l. 5. c. 2. dub. 7. n. 1.*
q) *Theol. Schol. Part. II. tom. 2. c. 25. q. 18. n. 6.*
r) *tom. 3. diſp. 3. q. 16. punct. 4.*
s) *l. c. n. 2.*

Ilerdenſi Concilio k) armatus clericus, & ſacerdos miles, tempore quoque obſidionis, ſtatuendo, *ut Clerici in obſidionis neceſſitate poſitis a ſanguine humano etiam hoſtili ſe abſtineant.* Adducit hunc Canonem etiam *Gratianus.* l) Cumque non apud Hiſpanos tantum, & Longobardos, ſed & apud Francos, ſub Childerico. Pipino, Carol. M. & Ludovico Pio ſacerdotes arma tractaverint, & in caſtris militaria munia obierint, *pravo & pernicioſo quidem exemplo*, judicio doctiſſimi Sorbonici doctoris, *Iohannis Fileſaci*, m) Carolus M. & Ludovicus Pius, *ſacerdotibus pugnare non eſſe licitum* cenſentes, ſanxerunt, n) *ne ſervi DEI, vel in hoſtem pergant, vel armaturam bajulent, armis ſacerdotibus prohibitis.* Jus vero naturale quod attinet, etſi *Diana*, o) *Trullench*, p) *Becanus*, q) & alij contra *Valentiam* r) contendant, jure hoc in certis caſibus Clericis permiſſum eſſe pugnare, v. c. ſi id neceſſarium ad defenſionem propriæ vitæ; vel ſi reſpublica eſt obſeſſa ab hoſtibus, *&*, uti *Trullench* s) loquitur, *magna eſt probabilitas, ſi clerici pugnant, quod ab hoſtibus defendetur*: Non quidem urgebo, quod poſterius diſplicuerit Concilio Ilerdenſi, ut modo vidimus: Id vero addo, hanc juris naturalis conceſſionem, ultra moderamen inculpatæ tutelæ, & caſum defenſionis plane neceſſariæ, cuilibet homini conceſſæ, niſi ratio magis univerſalis & ſuperior obſtet, non eſſe extendendam. Extra hanc interim neceſſi-

ceſſitatem, quæ rationem boni ordinis habere neſcit, recte cenſetur, jure naturali clericis militiam eſſe interdictam, cum ſit res ſtatui ſacerdotum ex natura ſui plane indecens, vel vel ipſo *Diana* t) annuente, quod ſufficit. Quod enim eſt contra ordinem juris naturalis, id qua tale eſt jure hoc improbatum. Nec clerico qua tali jure hoc ſemper permiſſum cenſendum, quod eidem ex naturali hominum æqualitate conceſſum, cum conceſſiones hæ per ſtatum clericorum reſtringantur. Recte proinde *Baronius* u) morem Hiſpanorum Epiſcoporum, *qui armati in acie certabant contra Arabes, pravum uſum ac plane execrandum* appellat, notatus licet hoc nomine à *Diana*, x) & aliis. Diſcuſſit quæſtionem hanc etiam peculiari diatribe *Caſparus Zieglerus*, ſub titulo: *Epiſcopus miles in veteri Eccleſia inviſus.*

t) *l. c. Reſol.* 1. *f.* 9.

u) *Annal.* *t.* 11. *ad an.* 1010. *f.* 36.

x) *l. c. Reſol.* 5. *f.* 12.

§. 18. Concurrentem etiam Imperium cum ſacerdotio habet poteſtatem, quoad ea quæ ad religionem conſervandam, & à corruptelis reformandam ſpectant, ita ut civiles imperantes, qua tales, non deſtituantur omni juriſdictione circa ſacra, ſive religionem de DEO in genere dictam. a) Idem & *ſpecifice*, quoad religionem Chriſtianam, illis tribuendum eſt Magiſtratibus, qui cum voluntate, ſufficientem quoque de ea judicandi, & talia faciendi, aptitudinem habent, neceſſariis requiſitis, & convenientibus præſidiis hoc nomine inſtructi. b) Sub *gentilibus enim regibus*

a) *Hülſem. Brev. c.* 20. *t.* 7. *§.* 1. *t.* 8.

b) 1. *Tim.* 2. 12. *add. Dä.* 3. 69. *Ion.* 3. 7. 8.

gibus etiam, & omnibus in eminentia conſtitutis, debemus, Paulo Doctore, *vitam tranſigere in omni pietate.* Omnis ergo ſecularis, gentilis etiam Magiſtratus, officium eſt curare, ut ſubditi vivant in εὐσεβείᾳ; gentilis licet, quamdiu talis manet, debita ad hujus officij exercitium deſtituatur aptitudine, qua minime caruerunt *Nebucadnezar*, & Ninive Rex, ad DEUM converſi. Dubium itaque multo minus eſt, quin idem Chriſtianis etiam imperantibus, itidem qua talibus, ideo quia Chriſtianis civibus imperant, competat. c) Sibi ſolis tamen, excluſo miniſterio Eccleſiaſtico, iſtos actus non arrogabunt. Poteſtas enim illa Eccleſiaſtica exterior, & directiva, non conſtituit imperantes civiles miniſtros Eccleſiæ, ut ad ea quæ ad horum functionem pertinent, peragenda jus habeant. Nam cum divino & naturali jure civiliter imperantium, & miniſtrorum Eccleſiæ ordines diſtincti ſunt, poteſtatem Eccleſiaſticam uterque quidem habet, poſitive cooperandi ad religionis conſervationem, iis tamen actibus, qui poteſtati cujuſque ordinis internæ, & propriæ reſpondent. *Regum eſt*, inquit *Grotius*, d) *efficere, ut ſacerdotes ſecundum legem officium faciant*; non vero ut ipſi id præſtent. Ita & quod attinet religionis conſervationem, & ab erroribus repurgationem; Magiſtratus monet miniſtros Eccleſiæ, vi poteſtatis Eccleſiaſticæ, in quantum in illo reſidet, ad informandum au-

c) *Deut.* 17. 18. *Pſ.* 24. 7.

d) *Not. ad* 2. *Reg.* 12. 4.

auditores, ad confutandos errores: Aſt, uti B. *Hülſemannus* e) loquitur, *particularis propoſitio capitum; informatio auditorum de iiſdem, deductio & confirmatio eorum, refutatio adverſariorum &c. non pertinet ad Magiſtratum*; imo *ne* quidem *exercetur per paſtores loco & vice Magiſtratus.* Hi enim, & ſimiles actus, ad internam miniſterij poteſtatem, quæ ipſi vi ordinis propria eſt, pertinet, non ad poteſtatem externam, quæ utrique ordini, modo tamen convenienti utriuſque indoli, communis. Ὀυ βασιλέων ἐςὶ νομοθετεῖν τῇ ἐκκλησίᾳ, *Regum partes non ſunt, ut Eccleſiæ leges præſcribant,* ait *Damaſcenus,* f) excluſo nimirum miniſterio Eccleſiaſtico. Unde *Caſaubonus,* g) *curam,* inquit ad Jacob. Magnæ Brit. Regem, *inſtituendorum Paſtorum dividis cum Tuis Epiſcopis, & partem tibi debitam, quæ ad temporalia ſpectat, intrepide tibi vindicas; partem alteram curæ, quæ ſpiritualia attingit, ipſis relinquis.*

e) *Brev. c. 20. ſuppl. th. 3. §. 6.*

f) *Orat. 2. de Imag. f. m. 736.*

g) *Exercit. contra Baron. Annal. dedic.*

§. 19. Duo tamen hic notanda ſunt. Alterum eſt, quod laicæ, ſeu ſeculari contradiſtincta poteſtas Eccleſiaſtica, quæ Principi, & Rectoribus Chriſtianis competit vigore ſummi civilis imperij, ſive τ͂ πολιτεύματος, & κυρίου τῆς πόλεως πανταχοῦ, *majeſtatis,* quæ *eſt in civitate ſumma poteſtas ubique,* explicante *Ariſtotele*; a) cujus proinde arbitrio nihil eſt ſubtrahendum, quod ad finem Reip. qui eſt honeſte & pie vivere, b) facere poſſit: & quam habent jure hierarchico, ſeu quatenus

a) 3. *Polit.* 6. & 7. *al.* 4. & 5.

b) 1. *Tim.* 2.

tenus peculiarem Hierarchiam in Eccleſia conficiunt, eadem quidem ſit, ſed non eodem modo competat. Poſterior enim modus habendi, & conſequendi, jura hæc circa ſacra, ſeu Eccleſiaſtica, Chriſtianis imperantibus proprius eſt, & proxime competit illis, etiam quatenus membra ſunt Eccleſiæ, cum ſpeciali hinc nata obligatione, qua omnibus Chriſtianis religionis, & Eccleſiæ incolumitas, curæ cordique eſſe debet. Priori vero modo omnes imperantes, etiam infideles, ex ratione divini vicariatus habent poteſtatem directivam, & externam, cultus divini, ita ut ubi ad ejus exercitium apti fuerint, quales qua infideles non ſunt, & quoad religionem Chriſtianam eam legitime exercere voluerint, id tales etiam jure vicariatus ſui facere poſſe, cenſeri debeat. Principis ſane,
c) *Apolog. c.* 30. *ſolo DEO*, ut *Tertullianus* c) loquitur, *minoris*, muneri convenienter feciſſe, citra πολυπραγμοσύνην, vel ἀλλοτριοεπισκοπίαν, dicendus eſt Mahomedes II. Turcarum Imperator,
d) *Turc. Græc. f. m.* 107./99. quando *Martino Cruſio* d) ſcriptore, ipſius *animum magna cupido inceſſiſſe* dicitur *videndi Patriarcham Conſtantinopolitanum, & cum eo de religione colloquendi, ut ex eo quærens res divinas cognoſceret; cui etiam Patriarcha univerſam veritatem fidei Chriſtianæ aperuit, ſcriptam dedit*; qui etiam *de religione Chriſtiana certus factus, edicto propoſito gravia minatus eſt illis, quicunq; moleſtarent, aut calumniarentur aliquem Chriſtianorum, in eosq; graviter animad-*

madverti juſſit. Male contra vero jure audit Gallion, Achaiæ Proconſul Romanus, c) Judæos Paulum accuſantes, quod *contra legem σέβεσθαι τὸν Θεὸν, DEVM colere hominibus perſuaderet,* audire nolens, *& à tribunali abigens.*

§. 20. Alterum eſt, quid liceat, ſi vel hujus Gallionis exemplo negligat civilis imperans, vel detrectet cum Sacerdotio concurrere ad ea, quæ ad religionem & cultum divinum legitimum conſtituendum, vel conſervandum faciunt, & alios actus mixtos: Vel ſi Sacerdotium lupeſcat, & cum Imperio ſuam operam ad ejuſmodi actus non ſolum non conjungere, ſed nec actus ſui ordinis puros, & formaliter ſpirituales, præſtare velit? Priori caſu, negligente ſuum officium poteſtate civili, nihilominus valide ſua jura exercet Sacerdotium, & Eccleſia: Uti dubium non eſt, Eccleſias Galaticas, Ponticas, Aſiaticas, Græcas, aliaſque ab Apoſtolis fundatas, ſine concurſu idololatricorum Magiſtratuum illorum temporum, valide regimen Eccleſiaſticum exercuiſſe, a) etſi ad exercitium poteſtatis Eccleſiaſticæ cooperari noluerint, quod potius impeditum ibant. *Omnes* enim à Julio Cæſare ad Conſtantinum M. *idolorum cultibus addicti, & à vera pietate alieni, Chriſtianam religionem aut perſecuti ſint, aut certe, qui mitiores vel moderatiores apertis odiis abſtinebant, contemſerunt,* obſervante *Calixto.* b) In abuſum tamen

c) *Actor.* 18. 12. 13. *ſqq.*

a) *Blondell. Apol. pro Hieron. ſent. de Epiſcop. &c. ſ. II. obſ.* 10. *p.* 53.

b) *Apparat. p.* 200 *add. Grot. de por. circa ſacr. c.* 10.

men id trahi non debet, ut Sacerdotium exinde jus quæſitum faciat, & excluſa poteſtate civili, ſolum velit actus Eccleſiaſticos mixtos exercere; cum Gentiles Principes in præjudicium ſucceſſorum Chriſtianorum valide nihil neglexerint, vel negligere potuerint, quoad actus qui fluunt ex poteſtate imperantium circa ſacra. Conſiderans id Conſtantinus M. exorta in Eccleſia contentione Ariana, miſſis ad Alexandrum Epiſc. & Arium pro pace literis, quod tali caſu ſuum ſit officium, quæq; jura Principis, quove animo, ceu Chriſtianus Princeps, Rempublicam adminiſtrare ſuſceperit, ſignificaturus, id ſibi curæ fuiſſe ait, *ut omnium gentium de numinis cultu opinionem, ad unius habitudinis, rituſq; formam conſilio traduceret, arbitrum ſe diſſenſionis conſtituens*, apud *Euſeb.* c) Poſterioris caſus exemplum diſſidium ſuperiorum temporum, inter Imperium & Sacerdotium Romanum, haud raro dedit, quando Pontifici, injuſte Cæſares excommunicanti, illorumque coronas calcanti, æque injuſte ſacerdotes adhærentes, etiam rem divinam facere detrectarunt, uti Dominicanos tempore Ludovici IV. Bavari, à Johann. XXII. vexati, feciſſe; & bello inter eundem Principem, & Henricum Bavariæ Ducem, exorto, repetiiſſe autor eſt *Aventinus*, d) quos vim & extrema minatus, obtemperare coëgit Imperator. Ita cum, quod *Paralipom. Urſpergenſia* e) tradunt, Clemens VI. Pontifex, juratus lau-

c) *de Vit. Conſt. l.* 2. *c.* 63. 66.

d) *Annal. Boj l.* 7 *f.* 614. *& ſq.*

e) *f. m.* 45.

laudati Ludovici, pro quo contra *Bzovium* Apologiam edidit *Hervvartus*, hoſtis vetuiſſet ſacra Argentorati fieri, quod exemplo aliorum civitas, de quo *Nauclerus*, f) *proceſſus Papæ parum curans*, Ludovicum pro Imperatore agnoſceret, monachique cantare ceſſaſſent; *dixerunt cives illis, ut canendo pergerent, aut ſolum verterent.* Jura enim ſunt totius Eccleſiæ, cui in præjudicium malitia ordinis lupeſcentis non cedit.

f) *Chronogr. Gener.* 45. *f.* 891.

§. 21. Uſus *clavis ligantis*, concernens *majorem excommunicationem*, quod ad jura Magiſtratus civilis pertineat, inde evincitur, quia ad exercitium diſciplinæ exterioris etiam pertinet, quam, quum non ſine cenſura quadam exercetur in foro exteriori, jure ſibi Imperium vindicat; ligandi licet, peccatorumque retinendorum actus, poteſtatis Eccleſiaſticæ interioris, & proin miniſtrorum Eccleſiæ ſit. *Articuli Smalcaldici* a) *majorem illam excommunicationem, non niſi pœnam civilem eſſe ducunt, non pertinentem ad miniſtros Eccleſiæ.* Sed loquuntur de excomunicatione, prout ex uſu Curiæ Romanæ obtinuerat, & in *civilem pœnam abierat*, monente B. *Carpzovio*, b) qua *ſontes etiam politica proſcriptione punitos*, civili ſtatu exutos, Imperatores etiam & Reges Imperio dejectos, ſubditos ab obſequij officiis liberatos, & ſolutos conſtat, contra naturam & indolem clavis hujus, ejuſdemque poteſtatis. Hujus enim eſt anathemate

a) *Part. III. a.* 9.

b) *Iſag. in art. Smalc. p.* 871.

per-

percutere, & ab omni conſortio Eccleſiæ excludere præfracte ſceleratos, ſalvis juribus temporalibus. A cognitione ergo cauſæ, & flagitij, propter quod tales è gremio Eccleſiæ ejiciendi cenſentur, Magiſtratus arceri non debet, cui cognitio ſcelerum, quæ in vita exteriori graſſantur, incumbit; tantum abeſt, ut ejus judicium, & conſenſus, in ejiciendo cive ex Eccleſia, negligendus ſit. Aliud ordo à clavarcha Chriſto præſcriptus, c) docet. Carolus etiam HLudovici Imp. F. in *Capitulis* Epiſcopis præſcripſit, d) qua ratione *privatio communionis Eccleſiaſtica* fieri, & *anathema* dici debeat. In primitiva Eccleſia hinc totius Chriſtiani cœtus, cujus membrum erat flagitioſus, hæc cenſura actus fuit. Unde *Tertullianus* e) de Chriſtianorum congregationibus differens, *ibidem*, inquit, etiam *exhortationes, caſtigationes & cenſura divina, nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de DEI conſpectu, ſummumq; futuri judicij præjudicium eſt, ſi quis ita deliquerit, ut à communicatione orationis, & conventus, & omnis ſacri commercij relegetur. Præſident probati quique ſeniores* &c. inter quos ex inſtituto Apoſtolorum etiam Laicos fuiſſe, contra Curiales Pontificios, Epiſcopos Anglicanos, & complures Reformatos Batavos, à ſuo *Calvino* diſſentientes, aſſeruit *Hülſemannus*. f) Sub directione etiam Imperatorum in Conciliis Patres hæreticis anathema dixerunt. Aſſerit hoc

c) *Math.* 18. 15.

d) *Lindenbrog. Cod. LL. Antiq. f.* 1198. *c.* 7.

e) *Apolog. f. m.* 877.

f) *Brev. c.* 19. *§.* 18.

hoc diſciplinæ jus Magiſtratui quoque *Reinking*, g) ceu concurrenter exercendum cum miniſterio Eccleſiaſtico.

§. 22. Competit etiam ſua *circa matrimonia* Imperio civili poteſtas, non quatenus tantum ſunt juris naturalis, ex lege naturali contrahuntur, & ſeminaria audiunt civitatis, ſed etiam quatenus Chriſtiana ſunt. *Circa* dico matrimonia, non in matrimonia, contra quorum naturalem honeſtatem, quam naturalis pudor comitatur, & ſocietatis matrimonialis indolem, nil ſtatuere poteſt civilis imperans. Ipſo jure ergo irritum fuit, quando contra naturalem pudorem, Valentinian. I. bigamus factus, legem etiam tulit, *ut omnes qui voluiſſent, impune bina matrimonia ſuſciperent*, ceu *Socratem*, a) ut videtur, ſecutus refert *Paulus Diaconus*, b) anilem quamvis fabellam vocet *Baronius*. c) Jure autem ſuo, h.e. Regio, fuit uſus in Gallia Henric. IV. Rex, cum Archiep. Rothomagenſem, in ſecreto ſuo cubiculo, ſororem ſuam cum Duce Barenſi copulare juberet, verbis de præſenti, addens, cum id facere Præſul tergiverſaretur allegatis LL. Eccleſiaſticis, quibus ſe prohiberi credebat, *ſecretum ſuum conclave æque ſacrum eſſe locum, regiſq; præſentiam omnibus aliis æquiparari ſolennitatibus*, ſcriptore *Pereſixio*. d) Quanquam enim matrimonium Chriſtianorum normam habet ipſum verbum DEI, ex quo docendum, ſacerdotibus inprimis, ſeu Eccle-

g) *Regim. ſec. & Eccleſ. 3. claſſ. 2. c. 2 n. 30. p. 559.*

a) *Hiſt. Eccleſ. l. 4. c. 26.*

b) *Hiſt. Miſc. l. 12. c. 16.*

c) *Annal. ad an. Chr. 370. tom. 4. f. m. 271.*

d) *Part. III. de l'hiſtoir. de Henr. le Grand. p. 291.*

ſiæ miniſtris, quid cum divina inſtitutione conveniat, vel eidem repugnet; *nunquam tamen*, B. monente *Chemnitio*, e) *vetus Eccleſia cauſas matrimoniales ita ad ſuam forum tranſtulit, ut prorſus excluderet politicum Magiſtratum, maxime ſi Chriſtianus eſſet.* Ex Vicarij enim divini in his terris, & cuſtodis utriuſque tabulæ Decalogi officio, uti cura & inſpectio quoad cætera, quæ ſunt divinæ ordinationis in Eccleſia, imperanti competit, ne quid detrimenti accipiant, ita & quoad matrimonium, quo maneat *τίμιος ὁ γάμος ἐν πᾶσι, καὶ ἡ κοίτη ἀμίαντος, conjugium inter omnes honorabile, & cubile impollutum.* f) Proprio hinc & independenti jure poteſtas civilis Magiſtratus Eccleſiaſtica, citra *ſubordinationem* g) ad Magiſtratum Eccleſiaſticum, h. e. Epiſcopum, in matrimonialibus judicare, & leges ferre poteſt. Imperio enim, non Sacerdotio, competit judicium coactivum cum poteſtate coërcendi, & juriſdictione ordinaria. *Aurelius Victor* h) ſane de Theodoſio I. autor eſt, quod *multum pudori tribuens, & continentiæ, conſobrinarum nuptias vetuerit, tanquam ſororum*: Satis innuens his verbis, quod ex Principis jure & motu, citra ſubordinationem ad Principem Eccleſiaſticum, legem hanc tulerit Cæſar laudatiſſimus. Nec aliter de lege hac cenſuit B. *Ambroſius*, ita ſcribens ad Paternum: i) *Si divina te prætereunt, ſaltem Imperatorum præcepta, à quibus ampliſſimum acce-*

e) *Exam. Concil Trid. P.II. de Matrim. f. 241.*

f) *Ebr.* 13. 4. 5.

g) *contr. Bellarm. de matrim. c.* 32.

h) *de Cæſar. in Theodoſ.*

i) *l.* 8. *Ep.* 66.

Digitized by Google

accepiſti honorem, haud quaquam præterire Te debuerunt. Nam Theodoſius Imperator etiam Patrueles fratres & conſobrinos, vetuit inter ſe conjugij convenire nomine; & ſeveriſſimam pœnam ſtatuit, ſi quis temerare auſus eſſet fratrum pia pignora. De *principe Eccleſiaſtico approbante*, quem *Bellarminus* k) fingit, nullum hic extat veſtigium, ceu quod præconcepta ejus opinio tantum, ſecundum quam factum hoc Theodoſij it examinatum Cardinalis, fulcit. In Gallia etiam leges de Matrimonio ferre Regem ſuo, h. e. regio, & ab omni Principe Eccleſiaſtico independente jure, docet nuperum ann. 1681. *Decretum conſilij ſtatus Regij*, l) in cauſis matrimonialibus, ipſo Rege præſente, factum. *SA MAIESTE'* enim *eſtant en ſon Conſeil a deffendu & deffend à tous Curez & Prêtres demeurans és terres de ſon obeïſſance, même á ceux dont les Parroiſſes qu'ils deſſervent, ſont ſcituées dans des Dioceſes Etrangers, de celebrer aucuns Mariages*, &c. *ſi ce n'eſt en obſervant ce qui eſt preſcrit par les Regles de l'Egliſe, & les Ordonnances du Royaume, a peine d'être punis* &c. Id enim non cenſendum eſt inferre ſubordinationem, quando conſilium & ſuffragium miniſterij Eccleſiaſtici, in matrimonialibus legibus promulgandis, & executioni mandandis, Politicus Magiſtratus non omnino prætermittit, explicante B. *Gerhardo*. m) Egit de hoc argumento etiam *Lau-*

k) *l. c.*

l) *Arreſt du Conſeil d'eſtat du Roy, du treizieme Decemb.* 1681.

m) *de Conjug. §.* 695. *ſqq. §.* 703.

nojus in tract. *de poteſtate Regia circa matrimonium.*

§. 23. *Iejuniorum* quoq; ordinatio ad cauſas mixtas pertinet, in quibus Imperium & Sacerdotium concurrentem habent juriſdictionem. Sacerdotium fines ejus examinat, de quibus B. noſter *Chemnitius*, a) & *Dallaeus*. b) Inter quos cum & hic ſit, ut habeat rationem diſciplinæ exterioris *in exercitiis ſeria, & præcipue publica, ſeu ſolennis pœnitentia*: Sane uti Chriſtianis imperantibus directorium, jubendi item, præcipiendi, ordinandiq; poteſtas in ejuſmodi externis, cum civiliter etiam talia imperari queant, competit; ita probato ab Eccleſia ſolenni jejunio, ejus indicendi, tempus item, modumque determinandi, jus erit penes civitatis rectores. Hinc rex Ninives, extremam, ob peccata gentis, civitati cladem Jona c) denuntiante, ſolenne per imperium jejunium inſtitui præcepit, & tempore, & modo illud habendi determinatis. Idem Joſaphatus fecit, d) imminente tempeſtate bellica. Ipſum etiam jejunium quadrageſimale cum *Eccleſia* quædam *conſuetudo*, *Auguſtino* e) notante, *roboraſſet*, controverſia paſchali prius in Synodo Nicæna Conſtantin. M. ſolicitudine, de qua *Euſeb.* f) deciſa; Imper. Theodoſius, in ejus gratiam, iſto quadraginta dierum ſpatio *omnem cognitionem criminalium quæſtionum inhiberi, nullaq; corporis*

a) *Exam. Conc. Trid. P. IV. f.* 90. *ſqq.*
b) *de Iejun. & quadrag. l.* 1. *c.* 1.
c) *c.* 3. 7. 8.
d) 2. *Paral.* 20. 3.
e) *Epiſt.* 119. *ad Ianuar.*
f) 2. *de Vit. Conſt. M. c.* 17. *ſq.*

poris ſupplicia irrogari præcepit, ceu ex Codice Theodoſ. docet *Baronius*. g)

g) *t. IV. Annal. ad an.* 380. *f. m.* 416. *ad an.* 389. *f.* 607.

§. 24. Ejuſdem indolis eſt *cura pauperum*. Cum enim ſocietas civilis non ex ditioribus tantum, ſed & ex egenis conſtat, horum quoque calamitas imperantibus curæ eſſe debet. Cognoſcere etiam tenetur, qui vivant, quid agant, quidve moliantur, qualesve ſint; quæ paupertatis & afflictionis cauſa, pauperum denique quæ artes & ſtudia, bona-ne, an mala, & civitati noxia; quo abuſus tolli, mali coërceri, vere miſerabiles ſublevari, & bonus in Rep. ordo, etiam quoad egenos, ſervari poſſit, ne detrimenti quid hinc capiat civitas. Legibus ad hoc opus eſt, quas & rectores civiles ferre, quarumque autoritatem vi præſente, ubi opus, tueri debent. Directioni enim civilis imperij coactivæ ſubjacent, quæ ad vitam ſocialem externam, & civilem, etiam pertinent. Reſcripſit hinc Conſtantin. M. ad Menandrum *pro ſublevandis pauperibus, fame pereuntibus*, a) *ex fiſco ſuo atq; horreis*. Miniſtros autem Eccleſiæ docere decet, quid hic charitati Chriſtianæ ſit congruum, & conveniens; pauperes Magiſtratui commendare, pro illis intercedere, ditiores, cujuſcunque ſint ordinis, ad eleemoſynas liberaliter erogandas monere, qua etiam ratione illæ diſtribuantur, obſervare, & ſic ubique diligentem pauperum, cum Chriſto peculiari ratione

a) *Cod. Theodoſ.*

curæ ſint, nunquam non habere rationem. *Paternum*, Epiſcopum Abrigenſem, refert *Baronius*, b) Pariſiis *Childeberti Francorum regis aures pulſaſſe, regem autem Creſcentio cuidam, ad quem publica cura ſpectabat, mandaviſſe, ut quæ Paternus a ſe exigeret, id exequi non omitteret.* Apoſtoli quantam pauperum egerint curam, *Acta* docent.

b) *Annal. tom. 6. ad ann. 514.*

§ 25. *Reſtitutionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ*, excluſo Imperio, ſibi arrogare Sacerdotium, hiſtoria Concilij Tridentini docet. *Hieronymus Ragazonius* a) laudat Concil. Tridentinum, cum alio, tum hoc etiam nomine, quod *labentem, ac prope cadentem Eccleſiaſticam diſciplinam reſtituerit.* A qua reſtitutione tanto ardore Sacerdotium arcuit Imperium, ut, cum Cæſar Carol. V. contenderet in Concilio, ab *emendationis tractatione inchoandum, & emendationis leges prius ſanciendas eſſe, quippe identidem à Germania expetitum*, contrarium ſenſerint ſemper & prædicaverint Pontificij, vehementer contranitente Curia Romana, & pervincente, apud *Sfortiam Pallavicinum.* b) Verum olim non erat ſic. Non ſane Conſtantinus M. eo ſe haberi à Concilio Nicæno loco paſſus eſt, quo loco Carolum V. habuit Synodus Tridentina; quem conſtat Epiſcopis Nicææ coactis præſcripſiſſe, peramanter licet eos tractarit, ea quæ ad diſciplinam, modumque tractandi pertinere ipſi videbantur. *Optans*, inquit in oratione ad Con-

a) *Orat. habita in ult. ſeſſ. Concil. Trid.*

b) *Hiſtor. Conc. Trid. l. 6. c. 7.*

Concilium apud *Euſebium*, c) ut *diſſenſioni ve- ſtræ mea opera & ſedulitate remedium inveniretur, omnes vos abſq; mora accerſebam.* Agnoviſſe etiam Synodum Nicænam, reſtitutionem diſciplinæ Eccleſiaſticæ, ejuſq; emendationem, ad jura civilis Principis pertinere, inde patet, quod *Socrate* d) memorante, Epiſcopi, qui ſe invicem accuſaverant, *multos ſupplices libellos, pro ſe ſinguli, pridie ejus diei,* quo concilium convenerat, *Imperatori obtulerant,* quos *ille comburi juſſit.* Cyrenſis Epiſcopus, *Theodoretus,* e) autor eſt, quod *acceptos ante conſtitutam concordiam, linoq; colligatos, & annulo obſignatos, ſervari præceperit;* quos conſtituta pace prolatos in medium, *παρόντων αὐτῶν κατέκαυσεν, coram omnibus exuſſit, dato juramento, nihil eſſe quicquam illorum à ſe lectum.* Orta etiam diſſenſione propter ferias Paſchales, & tempus ſolennitatis iſtarum, cum eodem tempore alij jejuniis, aliiſque afflictionibus corpus macerabant, alij ſe otio & remiſſioni animorum tradebant, animis utrinque exacerbatis, *ſolum* fuiſſe Conſtantinum, ſcribit *Euſebius,* f) qui malo remedium inveniret. Conſtantinum nimirum non latebat, cognitionem, & cenſuram Principis, etiam ad civium & ſubditorum quoſvis mores ſe extendere, qua ratione hi formentur, quove modo exorbitantes ad officium revocentur; hoc non obſtante, quod ſint ſacerdotes. Nam hic civis ſtatus imperantis jura in

c) *de Vit. Conſtant. l. 3. c. 12.*

d) *H. E. l. 1. c. 5.*

e) *H. E. l. 1. c. 10. al. 11.*

f) *l. c. l. 3. c. 5.*

Digitized by Google

in civitate non tollit, quam Evangelium non abolet. Noverat quoque, non poſſe in civem, invito Magiſtratu ipſius civili, ab alio aliquid, quod coactionem quandam inſerat, ſtatui; vel morem agendi, & vivendi eidem præſcribi, in quem is non conſentiat, penes quem eſt τὸ κύριον in Republica. Intereſt enim ita ſalutis publicæ: Intereſt ita Eccleſiæ, in qua omnem bonum ordinem conſervari, lapſumque reſtitui, ad poteſtatem Magiſtratus directivam pertinere, etiam *Paulus* g) docuit. *Theodoretus* h) quoque autor eſt, quomodo Orientis Epiſcopi, Concilio Conſtantinopoli à Theodoſio coacto, ipſius juſſu κανόνας περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐκοσμίας, *canones ad rectam Eccleſiæ adminiſtrationem pertinentes, ſcripſerint.* Carolum M. etiam, & Francorum Reges, pro conſervanda & reſtituenda diſciplina Eccleſiaſtica, ex jure Principis laboraſſe, docent *Capitula*, & LL. Eccleſiaſticæ, & civiles horum Principum, ab Anſegiſo & Benedicto Levita collectæ. *Facta eſſe Capitula iſta ad ſanctæ Eccleſiæ profectum, ad Chriſtianam religionem conſervandam, atq; ad concordiam pacis & dilectionis in Eccleſia Catholica tenendam edita*, ſcribit *Anſegiſus* i) laudatus; quorum etiam *præſidio & auctoritate bonam diſciplinam diu conſervatam eſſe in Eccleſiis Gallicanis, Germanicis, & Italicis; quibus* denique *etiam Romani Pontifices obtemperare ſe velle olim apud eoſdem Principes ſcripto profeſſi ſunt*, monente

g) *2. Tim. 2. 2.*

h) *H. E. l. 5. c. 8.*

i) *Præfat. in Capit. Karol. M. & HLudovic. Pij.*

ito-

Stephano Baluzio. k) Ne de contentionibus in Gallia, propter Concilij Tridentini promulgationem, quid dicam, de quibus *Thuanus*, l) cui etiam *Petrus de Marca* m) addendus; reſpondente Henrico M. Rege, ann. 1606. cum inſtantius repeteretur, *ob eaſdem cauſas, ob quas deceſſores ſui ſæpius interpellati illam diſtuliſſent, ſe quoq; retineri, quo minus in illam conſentiat. Præcipua Concilij capita in regias conſtitutiones inſerta eſſe* &c. eodem memorante *Thuano.* n)

k) *Capitul. Regg. Francor. Præfat. init.*
l) *Hiſt. l.* 93. *f.* 361.
m) *Concord. ſac. Imper. f.* 132. *ſq.*
n) *l.* 136. *f.* 1145.

§. 26. Concurrit præterea Imperium, & poteſtas civilis imperij Eccleſiaſtica, cum Sacerdotio ad conſtituendas in ſua Eccleſia *Ceremonias Eccleſiaſticas*, quæ boni & decentis ordinis, & cultus divini exterioris gratia inſtituuntur, vel etiam mutantur, & abrogantur. Miniſterij Eccleſiaſtici orthodoxi eſt judicare, quinam ritus doctrinæ verbi & ſacramentorum ſint conformes, *nihilq; impietatis & ſuperſtitionis habeant admixtum, ordini etiam & decori Eccleſiaſtico ſerviant, utili denique, & pia commonefactione ædificationem populi promovere poſſint*, monente *Chemnitio.* a) Magiſtratus autem eſt, ceu cuſtodis primæ etiam tabulæ Decalogi, cui religionis cura incumbit, talia ſecum communicata, & cognita, probare, confirmare, edictoque ut ſerventur munire, vigore juris hyperepiſcopici, & tanquam Epiſcopi ἐν τοῖς ἔξω τῆς Ἐκκλησίας, ut loquitur Conſtantinus M. apud *Euſeb.* b) Ordinaturus

a) *Exam. Conc. Trid. P. II. f.* 35.
b) *de Vit. Conſtant. l.* 4. *c.* 24.

turus ſane Ebræorum Rempublicam DEUS, non per Aaronem, ſed per Moſen, ſacrorum hyperepiſcopum, LL. ceremoniales propoſuit, iſtarumque curam ſuo huic in Theocratia iſta vicario præcepit. David etiam inſtituit, quibus ceremoniis arca fœderis ad tabernaculum, quod ipſi conſtruxerat, portaretur, c) complura alia, ad decentem ordinem cultus divini externi pertinentia, conſtituens. d) Non minus ex quo Eccleſia Chriſti Chriſtianos habuit Principes, uti *Socrate* e) autore, *à nutu Imperatorum Eccleſiæ negotia pependerunt*; ita ritus quoque, ceremoniarum, & dierum feſtorum ordinationem, partem ſui circa ſacra Imperij eſſe, recte iidem cenſuerunt. Unde Conſtantinus M. non ſolum exortum in Eccleſia Paſchatis diſſidium compoſuit, operâ Concilij Nicæni, ſed & alios dies feſtos inſtituit, *preceſq; Eccleſiaſticas præſcripſit*, memorante *Euſebio.* f) Pertinent huc Canones Concilij Conſtantinopolitani, à Theodoſio M. coacti, περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῆς εὐκοσμίας, de quibus paulo ante ex *Theodoreto* g) fecimus mentionem; cujus pars etiam ſunt ceremoniæ Eccleſiaſticæ. Idem conſtat de Carolo M. & Ludovico Impp. ex Capitulorum libris; docentque conſtitutiones illorum, ſeu capitula *de ampullis in cœna Domini habendis*: h) de *Letania Majori*, i) atque aliæ complures.

c) 1. *Paral.* 16. & *ſq.*

d) *l. c. c.* 24. *ſqq.*

e) *H. E. l.* 5. *proœm.*

f) *de Vit. Conſt. M. l.* 4. *c.* 18.

g) *H. E. l.* 5. *c.* 8.

h) *Capitul. Carol. M. & Ludov. l. l.* 1. *c.* 162.

i) *l.* 6. *c.* 74. *edit. Lindenbrog.*

SVB-

Digitized by Google

SUBSECTIO III.

DE
JURE QVOAD BONA ECCLESIASTICA.

§. I.

BOna *Eccleſiaſtica* quæ ſic dicuntur, *externa* nimirum illa, quæ ad uſus & *neceſſitates* a) Eccleſiæ externas varias ordinantur, & humanis uſibus ſerviunt, alendis ſcil. Eccleſiarum miniſtris, Scholarum item Magiſtris, & Academicis Doctoribus; ædificandis etiam, conſervandiſque, & reparandis ædibus ſacris, exulibus denique, pauperibus, aliiſque egenis levandis, mixti juris ſunt, humana licet impoſitione variis ſuperbiant attributis, & jam *res nullius, & quidem abſolute tales*; jam *res divini juris, & ſoli DEO dicatæ*; etiam *res ſpirituales*; quin *& Patrimonium, ſive pecuniæ Chriſti* audiant. Utut enim ultimæ antiquitates Eccleſiaſticæ, Apoſtolicæ etiam, oblationes & collectas à fidelibus in uſum pauperum, & Evangelij Miniſtrorum factas doceant, & ceu neceſſarias etiam probent: Nam τίς στρατεύεται ἰδίοις ὀψωνίοις ποτέ; τίς φυτεύει ἀμπελῶνα, καὶ ἐκ τοῦ καρποῦ αὐτοῦ οὐκ ἐσθίει; ἢ τίς ποιμαίνει ποίμνην, καὶ ἐκ τοῦ γάλακτος τῆς ποίμνης οὐκ ἐσθίει; *quis militat ſuis ſtipendiis unquam? quis plantat vineam, & de fructu ejus non edit? aut quis paſcit gregem, & de lacte gregis non edit?*

a) *Ambroſ. 2. de Offic. c. 28.*

edit? notante *Paulo*; b) & nonnullis interjectis ulterius inſtante: Οὐκ οἴδατε, ὅτι οἱ τὰ ἱερὰ ἐργαζόμενοι ἐκ τοῦ ἱεροῦ ἐσθίουσιν; οἱ τῷ θυσιαστηρίῳ προσεδρεύοντες, τῷ θυσιαστηρίῳ συμμερίζονται; *an neſcitis, quod ij qui in ſacris operantur, ex ſacrificio vivunt? qui ſacrario aſſiſtunt, una cum ſacrario partem accipiunt?* Utut etiam *decimæ*, non quidem ſpecifice ex obligatione juris divini naturalis, ut cenſet *Marcus Anton. de Dominis*, c) ex ſenſu tamen diſciplinæ Apoſtolicæ, ad ſalarium in genere exhibendum monentis, illis qui Evangelium annunciarunt, antiquitus libere fuerint conſtitutæ, divinas LL. de decimis *Chriſtianorum congerie*, ut loquitur *Concilium Matiſconenſe II*. d) *longis temporibus cuſtodiente* (ex Chriſtiana nimirum libertate) *intemeratas*: Quæ prima fuerunt bonorum Eccleſiaſticorum initia. Utut, inquam, hæc ita ſe habeant, & in æquitate naturali fundentur; quanquam Evangelij miniſtris jus perfectum adverſus illos ea non largitur, *Bellarminus* e) licet exiſtimet, *potuiſſe Apoſtolos, tanquam Epiſcopos, cogere Chriſtianos ad ſumtus faciendos, & ad temporalia danda*; ſatis tamen conſtat, ante Conſtantini M. tempora poſſeſſiones immobiles, & prædia, Eccleſiam non habuiſſe. *Tunc* enim, ſcriptore *Ottone*, f) Epiſcopo Friſingenſi, *prima edicta dabantur, ut Eccleſiæ ædificarentur: Tunc primo Catholicis hominibus permittebatur, ut Eccleſiæ eorum prædiis ditarentur*: explicante *Euſebio*, g) qua

b) 1. *Cor.* 9. 7. *ad.* v. 11.

c) *de* Rep. *Eccleſ. l.* 2. *c.* 2. *n.* 9.

d) *Canon.* 5. *in Caranz. Summ. Concil. p.* 371.

e) *de Monach. l.* 2. *c.* 45.

f) *Chronic. l.* 3. *c.* 3.

g) *de Vit. Conſt. M. l.* 2. *c.* 36. & 39.

qua ratione edicto Imperator *Eccleſiam bonorum à Martyribus, de quorum cognatis nemo ſuperfuerat, relictorum hæredem eſſe* juſſerit; *bona* etiam, *quæ recte vereq; ad Eccleſias pertinere videbantur, ſive domus, ſive agri, ſive hortus, vel ſi qua alia forent ejuſdem generis, reſtitui* præceperit. Auctæ ſunt hæ in ſequentibus temporibus Eccleſiarum dotationes, partim ex ſpontanea, ferventique piorum liberalitate, partim quod Conciliorum decretis iſtæ urgerentur, vergentibus in pejus hominum moribus, præprimis ex quo donationes & oblationes Eccleſiis conceſſæ, remedij animæ cauſam continere cœperunt, atque, ut habet *Marculfus* h) in formula *donationis de parva re ad Eccleſiam*, creditum fuit, donantem *merendo remiſsionem peccatorum ſuorum, & veniam delictis ſuis conſequi poſſe* : Contra mentem Apoſtoli, i) qui Evangelium annunciantes ἐκ τοῦ εὐαγγελίου ζῆν, *de evangelio vivere* vult, οὐκ ἐκ τοῦ εὐαγγελίου πλουτεῖν, *non ditari ex Evangelio*, ut explicat B. *Theodoretus*, Cyrenſis Epiſcopus, addens: Τὴν γὰρ ἀναγκαίαν μόνην τροφὴν λαμβάνειν ἐκέλευσεν, *ſolum enim neceſſarium victum ſumere juſsit.*

h) *Formul. ſolenn.* 15.

i) 1. *Cor.* 9. 14.

§. 2. Non itaque divino, ſed humano tantum jure, ex piorum oblatione & donatione voluntaria, iſtæ dotationes, atque bona, competunt Eccleſiæ, ad externos & humanos uſus ſupra nominatos. Unde ſicut miniſtri Eccleſiæ tantum ex jure, per dotatio-

nes iſtas quæſito, poſtulare poſſunt, quantum ad illorum ſuſtentationem, & externas Eccleſiæ neceſſitates ſatis eſt, ita & Laicæ poteſtatis dominio eminentiori non ſubtrahuntur. Non ſolum enim hujus conſenſu in dominium Eccleſiæ vulgare iſta bona conceſſerunt, ex Chriſtianorum liberalitate, ſed &, deſtinata licet ad uſus ſacros & Eccleſiaſticos, qui naturam illorum non immutarunt, ceu bona temporalia, ſub imperio civili, ejuſque dominio eminenti, per ſe manſerunt, manentque, ſum̃o civili imperio ſuo circa, & in bona ejuſmodi temporalia jure, iſta ſua benignitate non excidente, cui ſuum beneficium in damnum jurium ſuorum cedere non debet. Etſi vero iſtorum bonorum adminiſtratio jam olim, ex ſententia Conciliorum, penes Epiſcopos fuerit, quam *ex Apoſtolorum inſtituto atq; traditione* gratis deducere ſatagit *M. Antonius de Dominis,* a) in eximio alias de Republ. Eccleſiaſtica opere, intelligi tamen id debet, ut alibi loquitur idem *Antonius*, b) *citra præjudicium dominij publici proprij Principum in omnia bona terrena & temporalia*, cui ſuperior in eadem poteſtas, & cura competit, cum juribus dominij eminentis. Conſtat plurimum ditaſſe Eccleſias Juſtinianum Imperatorem, quem ex *Cedreno* referunt cuncta bona donaſſe Eccleſiis, ſimul ac Imperator creatus erat, quæ privatus poſſederat. Solicitus tamen idem de legitima bonorum Eccle-

a) *de Rep. Eccleſ. l. 9. c. 6. n. 21. ſq. 26.*

b) *l. c. n. 14.*

cleſiaſticorum diſpenſatione, cum *Concilio Chalcedonenſi* c) *placuiſſet, omnes Eccleſias Epiſcopos habentes, habere Oeconomum de proprio clero, qui gubernet Eccleſiæ res cum arbitrio ſui Epiſcopi, ut non ſine teſtimonio ſit gubernatio ipſarum rerum Eccleſiaſticarum*; quo pacto ejuſmodi Eccleſiarum Oeconomi *expenſas, quæ fiunt ex Eccleſiaſticis reditibus, in pios & DEO placentes uſus erogare* debeant, lege lata conſtituit. d) Legum Juſtiniani de *Epiſcopis, & Oeconomis,* etiam mentionem facit *Paulus Diaconus.* e) Vetuit idem, f) *ne bona Eccleſiarum alienari debeant*, Clericos petens, ut recte explicat *de Dominis,* g) *ne ipſi, dilapidatis Eccleſiæ bonis, illam, vel eorum precia in fraudem Eccleſiæ ſibi uſurparent.* Quæ *Baronius* h) de LL. Juſtiniani circa res Eccleſiaſticas ariolatur, quod iſtas *per Imperatorem ſanciverint Epiſcopi* Conſtantinopolitani, *quod libentius illas edi voluerint nomine ipſius Imperatoris, ut validioris obſervantiæ eſſent,* ita ferente ſtatu Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ, arguunt malam cauſam, quam Cardinalis it defenſum, & pari facilitate negantur, qua affirmantur. Francorum Reges etiam, legitimæ diſpenſationis bonorum Eccleſiaſticorum curam agentes, varie de illis conſtituerunt. In *Capitulari* i) Carol. & Ludovici Impp. legitur Conſtitutio *de rebus ad venerabiles locos pertinentibus non alienandis*, ita ut *nulli Eccleſiæ, vel Xenodochio, vel Ptochotrophio, vel noſocomio, vel Orphanotrophio, vel geron-*

c) *c.* 26.

d) *Novell.* 3. *c.* 3.

e) *Hiſt. Miſcell. l.* 16. *c.* 2.

f) *Novell.* 7. 46. 67. 120.

g) *de Rep. Eccleſ. l.* 9. *c.* 3. *n.* 11. *f.* 22.

h) *Annal. tom.* 7. *ad ann. Chr.* 528. *f. m.* 144.

i) *l.* 2. *c.* 29. *edi. Lindenbrog.*

rontocomio, vel brephotrophio, vel monaſterio tam monachorum, quam ſanctimonialium; nulli ſacerdoti, Oeconomo, aut Epiſcopo, contra agere licuerit. Alibi k) *beneficia Epiſcoporum, Abbatum, vel Abbatiſſarum, comitum, vaſſorum, aque atque fiſci regales in breve deſcribi* jubentur. Confirmarunt denique iidem l) *rerum Eccleſiaſticarum poteſtatem, quam juxta canonum ſanctiones Epiſcopi habere debuerunt.* Ita quanquam ex Occidentis Imperatoribus Germanicis Otto M. habita Ravennæ Synodo, *Apoſtolico Iohanni Vrbem, & terram Ravennatium, aliaq; complura, multis retro temporibus Romanis Pontificibus ablata, reddiderit,* ſcriptore *Reginone Prumienſi*; m) ipſæ tamen donationis Tabulæ, quibus Romanæ ſedi multa Otto donaſſe dicitur, quaſque *Baronius* n) etiam exhibet, teſtantur, quod id fecerit *ſalva in omnibus ſua poteſtate & dominatione, & filij ſui, poſterorumq; ſuorum.* Henricus III. Imp. Eccleſiam Canonicorum ſecularium, quam Conrad I. Imper. fundavit in caſtro *Hartesborch*, tranſtulit, notante *Engelhuſio*, o) Canonico Hildeshemenſi, Goſlariam, *ubi fundavit Eccleſiam, quam conſecrari fecit in honorem B. Virginis, & SS. Simonis & Iudæ.* Plura exempla, quibus de bonis Eccleſiaſticis in Germania Imperatores, & alios Principes, olim ſtatuiſſe doceatur, ut adferamus, inſtitutum non permittit.

k) *Capitul. Karol. & Lud. Impp. l. 3. c. 82.*

l) *Capitul. l. 7. c. 188.*

m) *Chron. ad ann. 967.*

n) *Annal. t. 10 ad ann. 962. f. 765.*

o) *de Imperat. ex domo Brunſvic. or. p. m. 26.*

§. 3.

§. 3. Effectus, & conſequens hujus juris, eſt vi dominij eminentis, *ſecularifatio bonorum Eccleſiaſticorum.* Conſiſtit hæc in declaratione, à ſummo civili imperio, vel ſummi civilis imperij nomine facta, qua res & bona iſta pronuntiantur libera à nexu Eccleſiaſtico, ut loquuntur, h. e. ab obligatione atque onere, ex dedicatione illarum ad uſus Eccleſiæ nato, quos præſtare tenentur eidem; atque ſic, ceſſantibus hoc ipſo ſimul immunitatibus illis & privilegiis, quæ intuitu illius oneris, à ſuma civili poteſtate illis conceſſa ſunt, in conditionem ſecularem rurſus revocantur, publica ſic urgente neceſſitate. Non enim quælibet dilapidatio bonorum Eccleſiaſticorum, vel quælibet rapina circa illa commiſſa, *ſecularifatio* dici debet. Merito *perniciosa dilapidatio* audit apud *Petrum de Marca* a) illud Francorum factum, de quo Zachariam Papam Bonifacius monuit, ann. 742. quod *maxima ex parte per civitates Epiſcopales ſedes traditæ ſint Laicis ad poſſidendum, vel adulteratis Clericis, ſcortatoribus, & publicanis ſeculariter ad perfruendum.* Verum uti ex vi dominij eminentis iſte ſecularifationis actus peragitur, ita ex iiſdem cauſis rite tantum exercetur, quibus legitime exercetur dominium eminens, data ſcil. Reipublicæ vera neceſſitate; ita ut in ſubſidium neceſſitatis publicæ, Eccleſiaſtica conditione ejuſmodi bona eximantur. Sique Ezechias recte fecit, quod

a) *de Concord. ſac & Imp. tom. II. l. 8. c. 11. n. 2.*

omne argentum in templo repertum, & laminas auri, quas ipſe affixerat, Regi Aſſyriorum, à quo bellum metuendum erat, *miſit*, & pacem politicam hac ratione emit; b) quidni Chriſtianus Magiſtratus & Princeps, dato ſimili caſu, citra Pontificis conſenſum, idem facere poterit? *Cum video*, inquit *Eſcobar*, c) *ſanctiſſimum regem Ezechiam aurum & argentum ex templo accipere, aureas laminas vellere, mihi perſuadeo, licitum eſſe ad Reipublicæ defenſionem templi uti theſauris.* Bene. *Nam*, uti *Grotius* d) notat, *in omnibus iis, quæ humani ſunt inſtituti, excepta eſt ſumma neceſſitas.* Hujus vero inſtituti eſſe aſſignationem bonorum temporalium ad uſus Eccleſiæ externos, ex ſupra dictis patet. Ne dicam, publicam patriæ neceſſitatem etiam Eccleſiæ neceſſitates complecti, uti ſecundum *Ciceronis* e) diſciplinam, *omnes omnium caritates Patria una complexa eſt.*

b) 2. Reg. 18. 15.

c) *Comm. ad 4. Reg. 18. f.* 524.

d) *de I. B. P. II. 6. 5.*

e) *l. 1. Offic. c. 17.*

§. 4. Ex hoc, quod dominium eminens, vel ut alij loquuntur *generale*, a) & univerſale, in bona Eccleſiaſtica ſit penes Rempublicam, eoſq; qui ſumum in ea habent imperium, ſequitur præterea, poſſe, ſic urgente publica neceſſitate, retento iſtorum bonorum dominio, ſecularem poteſtatem illorum uſumfructum etiam hæreticis in perpetuum concedere, hoc inprimis etiam caſu, quando illi jam iſta bona ſibi vindicarunt, atque poſſident. Nec poteſt hoc dici alienatio bono-

a) *Sarmient. de redit. Eccleſ. P. I. c. 1. n. 17.*

rum

Digitized by Google

rum Eccleſiaſticorum ab Eccleſia. *Non enim, recte cenſente B. Dorſcheo,* b) *alienat, quia tranſigit cum poßidentibus, qui ſibi illa vindicaverant, nunquam illa Eccleſiæ detracturi, quibuſque ille eadem eripere, ſine incomparabili Imperij, & totius Eccleſiæ ruina, non poterat. Permiſit itaque, & tradidit libertatem poßidentibus uſurpandi eadem ad Eccleſiæ commodum, à detinentibus prætenſum, & apud* DEI *tribunal excuſandum.* Certe ſi valide fit alienatio plena & perfecta rerum Eccleſiaſticarum in caſu, & ex cauſa neceſſitatis, valide quoque pari caſu aliis fuit conceſſio uſusfructus earundem, ſalvo manente dominio penes concedentem. Illud vero certum eſt ex ſententia *Covarruviæ,* c) *Antonini,* d) *Sylveſtri,* e) *Bonacinæ,* f) & aliorum.

§. 5. Cæterum uti bonorum Eccleſiaſticorum legitima diſpenſatio ſeculari poteſtati naturali jure competit, & hoc nomine penes eandem etiam eſt conſtituere, qua ratione bona iſta temporalia, beneficiorum, dotationum, & donationum nomine conceſſa, in uſus Eccleſiarum, & qui illis inſerviunt, cedere debeant; ita eadem omni jure ſic ordinare, & factæ donationi, vel aliis conceſſæ facultati ejuſmodi donationes Eccleſiæ faciendi, hoc onus adjicere poteſt, ut ſibi liceat *frui reditibus Epiſcopatus vacantis, donec novus Epiſcopus fide præſtita Eccleſiæ poſſeßionem adipiſcatur, cum jure conferendi præbenda & alia bene-*

b) *Anticriſ. Theol. ſect. 4. q. 5. p. 7*0.

c) *Tom. II. Var. reſolut. l. 2. c. 16. n. 8. ſq.*

d) *Sum. P. III. tit. 12. c. 5.*

e) *Summ. V. Alienat. n. 2.*

f) *Theol. Moral. t. I. f. 1053. n. 1.*

Digitized by Google

beneficia, quod *Ius Regalia* in Gallia hodie & olim vocatur, Regique competit, prolixius id explicante *Petro de Marca*. a) Pontifex, *Innocentius XI.* qui Chriſtianiſſimo Regi Ludovico XIV. jus hoc in Galliæ Eccleſias competere negatum ivit, non ſine ingenti animorum motu, utrinque hinc orto, appellavit b) *id uſum antiquum cuſtodia fructuum vacantium Eccleſiarum*: item *conſuetudinem cuſtodiendi fructus vacantium Eccleſiarum*. Jure autem Reges Francorum ad ſe trahere cuſtodiam bonorum Eccleſiaſticorum, ſede vacante, præter ea quæ à *Petro de Marca*, c) & *Maimburgio*, d) in hanc rem adferuntur, ſolide hinc etiam evincitur, quod Eccleſiæ bona temporalia jure & ordine naturali, ſint ſub dominio, & imperio poteſtatis ſecularis. Hoc etiam uſus eſſe videri voluit Philippus, Francorum Rex, qui Electioni Galonis in Beluacenſem Epiſcopum non aſſenſum præbens, *nec electo bona epiſcopalia dimittere voluit*, apud *Ivonem Carnotenſem*. e)

a) *de Concord. ſacerdot. & Imper. l. 8. c. 1. c. 17. 4. c. 19. n. 1. c. 22.*
b) *Breve I. ad Reg. d. 12. Mart. 1678. Breve. III. ad Reg. d. 27. Decembr. 1679.*
c) *de Concord. ſac. & Imp. l. 8. c. 22.*
d) *Hiſtoir. de la Decadence de l'Empir. l. 3. p. 319. ſqq.*
e) *Epiſt. 40. p. m. 51. b.*

§. 6. Prohibere hinc etiam latis LL. civilis poteſt imperans, *ne in bonis temporalibus ad Eccleſia*, & illorum, qui eidem inſerviunt, *uſus aſsignandus modus excedatur*, nimiæque fiant hoc nomine donationes, & dotationes, cum id neque Reipublicæ, neque Eccleſiæ conducat. *Ammianus Marcellinus* a) ſane, religione Paganus, Damaſo & Urſicino de Epiſcopali ſede Romana acerrime, Valentiniano Imp.

a) *l. 27. c. 6.*

Imp. concertantibus, non omiſit ob ambitionem & luxum Romanos iſtorum temporum Epiſcopos notare, quos *ditatos oblationibus matronarum, proceſſiſſe* ſcripſit *vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtitos, epulas curantes profuſas, adeo ut eorum convivia regales ſuperaverint menſas.* Et cum variæ fuerint cauſæ, quibus ad ditandas Eccleſias, & Eccleſiaſticos, ſuperiorum temporum ſimplicitas movebatur, præprimis tamen in animis mortalium valuit perſuaſio, qua ejuſmodi donationes *in remedium animæ* cedere credebatur, obſervante *Hieronymo Bignonio*, b) viro quondam in Gallia doctiſſimo, iſtas donationes, oblationes Eccleſiis conceſſas, *remedij animæ cauſam* continuiſſe; quæ largiſſime hinc, etiam cum damno Reipublicæ, à Viris Principibus factæ ſunt, ita ut ſenſus mali juſtas haud raro cordatis in Republica viris querelas extorſerit. *Ecce pauper*, querebatur jam olim, apud *Gregorium Turonenſem*, c) Chilpericus Francorum Rex, *remanſit fiſcus noſter; ecce divitiæ noſtræ ad Eccleſias ſunt tranſlatæ. Nulli penitus, niſi ſoli Epiſcopi regnant, periit honor noſter, & translatus eſt ad Epiſcopos civitatum.* Majoribus itaque malis alij obicem poſituri Principes, ex jure dominij eminentis, & univerſalis, lege lata prohibuerunt, ne quid Eccleſiaſticis legaretur, ut feciſſe Nicephorum Phocam, autor eſt *Zonaras*; d) & de Manuele Comneno, Græco itidem Imperatore, teſta-

b) *Not. in Form. Marculf. p.* 308.

c) *Hiſt. l.* 6. *c.* 46.

d) *Annal. t.* 3. *Phoc. f. m.* 152. *b.*

e) *Annal. Man. Com. l. 7. f. m. 25. b.*

tur *Nicetas.* e) Unde ferente ſic Reipublicæ neceſſitate, Ludovicus M. Franc. Rex, ejuſmodi oblationes & donationes, Collegiis & Conventibus Religioſorum fieri ſolitas ab illis, qui certæ religionis amplectendæ gratia Monaſteria intrare ſecum conſtituerunt, coercuit, edicto hoc nomine promulgato anno 1693. prohibens ſuperioribus, *d'exiger aucune choſe pour la reception, priſe de l'habit, ou profeſſion, a l'exception néanmoins des Monaſteres des Carmelites, des filles de S. Marie, Vrſulines, & autres qui ne ſont point fondez, auſquels on permet de recévoir des penſions vingeres, pourvu qu'elles n'excedent pas 500. livres pour les grandes villes, où il y a Parlement, & 350. livres pour les autres. On defend auſſi trés-expreſſément a tous Peres, meres, & autres, de donner a ces Monaſteres autre choſe, que ce qui eſt preſcrit par la declaration. De plus, le Roi déclare nulles toutes les acquiſitions & donations faites au profit des Communautez, qui ne ſeront pas confirmées par Lettres patentes:* De quo *Lettres Hiſtoriques* f) de rebus præcipuis in Europa ſingulis menſibus geſtis.

f) *Mois de Iuin* 1693. *Lettr.* 3. *p.* 651.

SECTIO III.

ARTICULUS I.

De

JURE NECESSITATIS.

UT explicemus, unde, & qua ratione ex ne-

neceſſitate vera, non imaginaria vel ficta, & dato neceſſitatis caſu, jus agendi exoriatur, præcognoſcendum, quod neceſſitudo variet vel ratione graduum, vel ratione adjuncti, quæ & *neceſſitas finis* dicitur. Ratione gradus, neceſſitas Moralium doctoribus alia eſſe dicitur *extrema*, *Grotio* a) vocata *graviſſima*, alia *gravis*; quibus additur à *Ludovico de Beja* b) *communis*. Ratione adjuncti vero, cum neceſſitas alia ſit ratione honeſtatis, alia ad incolumitatem, alia ad commoditatem; rurſus intelligi poteſt quæſtio, quæ ſit vis neceſſitatis extremæ, ſeu graviſſimæ, vel gravis, vel communis, quando vel honeſtas jubet, aut actionem prohibet, vel ſi incolumitati conſulendum, vel ſi commoditatis noſtræ intuitu aliquid ſit neceſſarium. Major quippe vis ineſt neceſſitati extremæ, & ſimpliciter inſuperabili, ad agendum, vel factum aliquod defendendum, aut excuſandum, quam illi quæ minus talis, & ut *Covarruvias* c) loquitur, *remiſſior*. Ita quæ eſt honeſtatis neceſſitas ſumma eſt: Quæ incolumitatis, illi proxima: Minima omnium quoad jus agendi cenſetur, quæ refertur ad commoditatem. Recte etiam hic obſervant, aliam eſſe publicam, aliam privatam neceſſitatem; multumque inſuper intereſſe, neceſſitas, quæ facto alicui juſti rectique æſtimationem conciliare debet, clara ne ſit, an incerta & dubia. Quæ diſtinctius explicanda, & ad propoſitum applicanda ſunt.

a) *l. B. P. II. 2. 6.*

b) *Colleg. ſacr. Bononienſ. Part. I. p. 395. add. Becl. Com. Grot. P. I. p. 137.*

c) *t. I. opp. c. peccat. part. 2. §. 1. n. 3. f. 473.*

Agen-

Agendum autem erit de *neceſſitudine*, ut Cicero d) loquitur, *cum adjunctione*, quam ſic explicat: *Cum ita erit neceſſe, ut aliquid effugere, aut adipiſci velimus, tum adjunctio illa quid habeat utilitatis, aut quid honeſtatis, erit conſiderandum. — Nam omni tempore id pertinebit, ut aut ad honeſtatem hoc modo exponenda neceſſitudo ſit: neceſſe eſt hoc faciamus, ſi honeſte volumus vivere: aut ad incolumitatem, hoc modo: neceſſe eſt, ſi ſine incommodo vivere velimus.*

d) *l. 2. de invent.*

§. 2. Quod itaque attinet *neceſſitatem honeſtatis*, ſeu neceſſarium, cujus ratio eſt honeſtas, dupliciter illa ſe habet. Vel enim talis eſt ex *ratione finis*, quando ſcil. honeſtas rationem habet finis, uti, cum finis ſocietatis humanæ vita eſt honeſta, ex ejus neceſſitate omnes homines honeſte vivere oportet, ita ut neceſſe ſit omnes noſtras actiones eſſe honeſtas: Vel talis eſt *ex ratione præcepti*, & legis tam naturalis, quam poſitivæ, item tam divinæ, quam humanæ. Variat enim hæc honeſtas, prout variat ipſa ratio præcepti, quod jam divinum, jam humanum, jam naturale, jam poſitivum audit; jam ſimpliciter, jam vero ſecundum quid, & pro certo rerum ſtatu, atque ſub certis circumſtantiis; jam abſolute, jam ex hypotheſi, atque certi alicujus actus, vel rei alterius ſuppoſitione aliquid præcipit. Prout itaque honeſtas, tam ex parte finis, quam ex parte præcepti, naturalis eſt, *habens*, de

de jure ſcil. πανταχοῦ τὴν αὐτὴν δύναμιν, καὶ οὐ τῷ δοκεῖν, ἢ μή, *ubiq; gentium eandem vim, non quod ita vel decretum ſit, vel non decretum*, ſecundum *Ariſtotelem*; a) vel poſitiva, quæ, notante rurſus Philoſopho, b) ἐξ ἀρχῆς μὲν οὐδὲν διαφέρει, οὕτως ἢ ἄλλως. ὅταν δὲ θῶνται, διαφέρει, *ab initio hoc, an illo modo fiat, nihil refert, cum vero conſtituta fuerit, tunc demum refert*; quæ etiam cauſa eſt, ut, *Cornelio Nepote* c) ſcriptore, *non omnibus eadem ſint honeſta atq; turpia, ſed omnia majorum inſtitutis judicentur*; ita quoad eandem non diſpenſari & diſpenſari poteſt; Ita ut hinc rationem quoque petere liceat, quare neceſſitudini honeſtatis legalis nunc præferri queat neceſſitudo incolumitatis, nunc non queat. Sic in Sabbatho, & in reliquis ceremonialibus Leviticis obſervandis, neceſſitas incolumitatis præferri poterat legibus ejuſmodi, ceu Chriſtus ipſe docuit. d) *DEVS*, inquit B. *Chemnitius*, e) *leges ceremoniales ita ſanxit, etiam quando addit (jure perpetuo,) ut neceſſitati cedant, quæ facit ut illa licita fiant, quæ per legem ceremonialem alias non licerent.* Cujus rei ratio eſt hæc, *Chemnitio* quoque agnita, quod in caſu neceſſitatis diſpenſatio poterat fieri in ceremonialibus mere talibus.

a) *5. Ethic. c. 7.*
b) *l. c.*
c) *Prolog. V. 3.*
d) *Matth. 12. 2. 4.*
e) *Harmon. Evang. ad h. l.*

§. 3. Quod vero iſtum neceſſitatis caſum attinet, quem *Appianus* a) explicat, quando Coponio à triumviris proſcripto, proſtrata pudicitia *uxor vitam imperavit ab Antonio*

a) *de bell. civil. l. 4. f. 612.*

ὑφορῶν

σώφρων μὲν οὖσα τέως, ἀτυχήματι δὲ τὸ ἀτύχημα ἰωμένη, pudica hactenus, ſed tum malum malo medicans: *Scrupuloſius* quidem B. *Auguſtinus* b) *l.22.cōtr. Fauſt. c. 23.* b) *diſputari poſſe* ait, *utrum illius mulieris pudicitia violaretur, etiamſi quiſquam carni ejus commixtus eſſet, cum id in ſe fieri pro mariti vita, nec illo neſciente, ſed illo jubente, permitteret*; uti Accindinum quendam refert, cum fiſco non eſſet ſolvendo, annuiſſe, ut uxor unius noctis concubitum diviti cuidam, qui talem anxie deſiderabat, venderet, quo proſtituti corporis mercede maritum liberaret. Verum cum LL. naturales atque morales æternæ ſint, & diſpenſationem non admittant, neceſſitas incolumitatis mariti, non cedet neceſſitati honeſtatis ab uxore obſervandæ. Cordate c) *l. c.* B. *Chemnitius*: c) *In legibus moralibus, quæ univerſales & æternæ ſunt, nulla neceßitas, nullum periculum facit, ut violatio earum ſit licita.* vulgo dicunt: Malum pœnæ non eſt redimendum malo culpæ; quod coincidit cum regula immutabili Sp. S. *Non ſunt facienda* d) Rom.3.8. *mala, ἵνα ἔλθῃ τὰ ἀγαθά, ut eveniant bona.* d) Hanc ſequi oportet, quando conflictantur inter ſe neceſſitas præcepti immutabilis, & neceſſitas finis, quando media quæ ad hunc obtinendum facere creduntur, prohibita videntur.

§. 4. Altera neceſſitudinis ſpecies, priori proxima, eſt *neceßitas incolumitatis*, quæ urget ad effugiendum vel obtinendum ali-

aliquid, ut ſimus incolumes; ſeu ut neceſſario aliquid faciamus, ſi incolumes eſſe velimus. Hujus neceſſitatis caſus varij dantur, prout tam pacis quam belli tempore in multiplicem conjici poſſumus, & conjicimur difficultatem, quam inſuperabilem eſſe credimus, niſi tali, vel tali ratione nobis conſulere velimus. Complura quippe ſunt, quæ noſtram ſalutem & incolumitatem, quæ potior utilitatis ſpecies eſt, extremo diſcrimini exponere poſſunt, & haud raro exponunt. Periclitatur enim jam ſalus publica, jam vita noſtra, jam corpus, jam pars corporis atque membrum, jam dignitas noſtra atque fama. Premunt autem, & ad extremas nos redigunt anguſtias, interdum belli tempore hoſtes, ut, quo internecio evitetur, etiam cum jactura libertatis pax peti debeat. Ita *Tacitus* a) deliberatum à Galliæ Civitatibus tradit, *libertas an pax placeret*. Sic enim, *Grotio* b) monente, *recta dictat ratio*: *Vitam ſcil. quæ fundamentum eſt omnium bonorum temporalium, & æternorum occaſio, pluris eſſe quam libertatem, ſive utrumq; ſumas in uno homine, ſive in toto populo*. Saguntinorum hinc factum, *paci magis neceſſariæ, quam æquæ*, excidium præferentium, apud *Livium*, c) idem *non laudandum* cenſuit: Cui ſimilis fuit Xanthiorum furor, ſimili fato majori libertatis, quam vitæ amore occumbentium, *Appiano* d) equidem multum laudatum. Pertinet huc ex hiſtoria ſacra

a) 4. *Hiſt.* 67. 5.

b) *I. B. P. II.* 64. 6.

c) *l.* 21.

d) *de Bell. Civil. l.* 4. *f.* 633. *ſq.*

e) 2. *Sam.* 31. 4. cra furor Saulis, e) qui, ne in Philiſtæorum manus veniret, ſua manu cadere maluit. Sic inter gentes belligerantes ea belli indoles, iſque belli ſtatus, nonnunquam oritur, ut niſi bello vel prælio vinci, res hoſtium ſtare augerique, noſtras vero diminui malimus, extraordinario actionum genere opus ſit. Et belli & pacis tempore fames etiam, & peſtis, multa extorquent ex mortalibus, quæ alias nunquam committerent. Talia ſunt v. c. ex neceſſitate commiſſa, & excuſata furta: Caro humana, cæſæ etiam ſobolis, urgente fame devorata: f) Turba imbellis, obſidione cum fame imminente, oppidis expulſa. Superatis enim, inquit *Livius*, g) *humanis malis, famem unam natura vinci non ſinit.* Ex Peſte neceſſitas orta non ſolum à conſueto judicandi, & juſtitiam adminiſtrandi modo, abeundi privilegia concedit, JCtis explicata; ſed & rigori, extra hunc neceſſitatis caſum ſpectato parum humano, locum relinquit, cum in tractandis iis, quos ex loco infecto ad nos venire ſuſpicamur, tum in variis ordinandis, ne malum ulterius ſerpat. *Iovius* h) certe autor eſt, *quod cum Romæ exorta peſtilentiæ lues ſeveris legibus, more Italorum, Pontifici minime coërcenda videretur, contactu ægrorum ita exarſerit, ut haud multo dierum ſpatio urbem vaſtari appareret.* Datur præterea alia vis humanâ major, quæ in neceſſitates inſuperabiles mortales haud raro conjicit; venti ſcil. quando, uti

f) 2. *Reg.* 6. 28. *ſq. Ieret.* 19. 9.

g) *l.* 5. *c.* 48.

h) *Hiſt. l.* 21. *pag. m.* 19. *tom. II.*

uti *Homerus* i) de tempeſtate, quam Ulyſſes gravem habuit, cecinit: σὺν δ' εὖρός τε νότος τ' ἔπεσε, ζέφυρός τε δυσαὴς, καὶ βορέης αἰθρηγενέτης, μέγα κῦμα κυλίνδων, *ſimul Eurusq; Nothus incidit, Zephyrusq; vehemens, & Boreas ſerenus, ingentem fluctum provoluens*; *nec*, ſi *Ovidius* k) audiendus, *levius laterum tabulæ feriuntur ab undis, quam grave baliſtæ mœnia pulſat onus*. Iſto enim naufragij periculo præſente, navis levandæ cauſæ jactum fieri poſſe, ex conſilio majoris partis nautarum, etiam invitis mercatoribus, *Loccenius* l) docuit. Durus neceſſitatis caſus eſt, ſi latro, vel alius ſicarius, vitam meam petit, ut ſub moderamine inculpatæ tutelæ, pro ſalute mihi ferrum ſtringendum ſit, & invaſor occidendus, niſi ipſe occidi malim. Quid tali caſu filius poſſit, ſi vi patris injuſta, & atroci, in extremum vitæ periculum ſe conjectum videt: Aut quid adultero liceat pro incolumitate, ſi à marito ſuperveniente oppreſſus, in extremo diſcrimine vitæ verſatur. Violento pudicitiæ imminente invaſore, an mortem præripere potius liceat, uti ſæviente Diocletiana perſecutione, matronam quandam Antiochenam, quo ſuo & filiarum honori conſuleret, ſe cum illis in flumen conjeciſſe tradit *Euſebius*; m) an Lucretiæ exemplo pati dedecus, cum obſtinatæ, & ne mortis quidem metu ad adulterium inclinatæ, diceret adulter, *cum mortua jugulatum ſervum nudum ſe poſiturum, ut in*

i) *Odyſſ. l. 5.*

k) *1. Triſt. Eleg. 2. v. 47.*

l) *de Iur. Mar. l. 2. c. 7. §. 1. ſqq.*

m) *H. E. l. 8. c. 12.*

ſordido adulterio necata dicatur, ſcriptore *Livio.* n) Quid ex vitæ noſtræ neceſſitate in vitam iñocentis liceat; vel in res & bona alterius.

n) *l.* 1.

§. 5. *Neceſſitatem commoditatis* vero quod concernit, uti ad τὸ *bene eſſe* illa refertur, quo & bona fortunæ pertinent, cæteraque quæ ad ſtatum noſtrum augendum & conſervandum, rerum item ſufficientiam faciunt; ita quoque per omnes generis humani ſtatus tranſit. Et cum urgente incommodo, præſente etiam damno, vehementer nonnunquam premat, prout jam minor hæc neceſſitas eſt, jam major; non minus propter illam ſibi agendi facultatem competere mortales cenſent, quam propter neceſſitatem incolumitatis. Satis conſtat, inter cauſas bellorum etiam commoditatis neceſſitatem fuiſſe relatam, maluiſſeque gentes bella ſuſcipere, & continuare, quam impeditam, vel abreptam, non vindicare commoditatem. Luſitaniæ certe reges, ex quibus *Iohann. Matalio Metello* a) ſcriptore, Emanuel *propoſito propagandi per Indiam religionem Chriſtianam, hanc utilitatis cauſam* adjunxit, ut *hac Oceani maris navigatione, ſi portus, quemadmodum firmandis viribus ei neceſſe fuit, occuparet, Venetis Indiæ commercia præriperet, ac ea ſibi tota, id quod contigit, adſereret*; hanc commoditatem opulentiam ſuam augendi nacti, *Moriſoto* b) autore, *per Atlanticum mare, Indicum, Æthiopicum, & Septentrionale navigantibus mortis pœnam* conſtituerunt.

a) *Comm. de repert. ab Hiſp. & Luſitan. in Ind. navigat. III.* §. 3.

b) *Orb. Marit. l.* 2. *c* 19. *f.* 464.

runt. Hac etiam ad Indos navigandi commoditate cum Batavos privatum iret Hiſpanus, bellum ſe malle potius ſignificarunt Ordines, apud *Baudium,* c) *quam ab Indicis navigationibus abſiſtere; quod nervos incideret potentiæ ſuæ atq; autoritatis.* Auctum in freto Oreſundico vectigal, quod navigationem & commercia incommodaret, Anglis adverſus Danos querelas, apud *Camdenum;* d) Suecis autem arma ut caperent extorſit, allegantibus inter cauſas belli & hanc, apud *Loccenium,* e) quod *vectigali nimium aucto,* complura alia feciſſent Dani, *quæ cum non levi rerum ſuarum diſpendio, in longa navium detentione, venti & itineris neglectu conjuncta eſſe, mercatores querebantur.* Monet etiam commoditatis neceſſitas, ut, ſi certum ab alio bellum nobis imminere apparet, ipſum præveniamus. De quo, *ſemper ſtudere debes,* inquit *Vegetius,* f) *ut prior inſtruas aciem, quia ex arbitrio tuo potes facere, quod tibi utile judicas, cum nullus obſiſtit: deinde & tuis auges confidentiam, & adverſariis fiduciam minuis,* quia fortiores videntur, qui provocare non dubitant. *Huic,* mox pergit ſcriptor illuſtris, *additur maximum commodum, quia tu inſtructus paratuſq; ordinantem & trepidum adverſarium præoccupas. Pars enim victoriæ eſt, inimicum turbare antequam dimices.* Rationem juris explicant *Albericus Gentilis,* g) & *Grotius.* h) Mutati denique cultus rationem petiit Jeroboamus à neceſſitate commoditatis, i) impie licet, & contra

c) *de Indac. Bell. Belg. l. 2. p. 109.*

d) *Eliſab. ann. 1582.*

e) *Hiſtor. Suec. l. 9. p. 720.*

f) *de re milit. l. 3. c. 18.*

g) *I. B. 1. 14.*

h) *I. B. P. II. 1. 5.*

i) 1. *Reg.* 12. *27. ſq.*

jus ſuperioris, legitimamque neceſſitatem honeſtatis, atque divini præcepti.

§. 6. Repetendum præterea, quod ſupra jam monuimus, hanc *cum adjunctione neceſſitatem* ſuos habere gradus, ſic ut alia ſit extrema, ſeu graviſſima, alia gravis; notandumque, quod diverſitas hæc ex rerum cauſarumque diverſitate peti, nec ſemper ultimus necesſitatis gradus intelligi debeat, quando terminus hic auditur. Prius, quod major ſcilicet, minorque necesſitas, ex rerum, cauſarumque diverſitate arceſſi debeat, manifeſtum eſt. Res enim variant cum ratione præſtantiæ, atque dignitatis, majoris item minoriſque indigentiæ & uſus, tum prout recuperari, vel non recuperari poſſunt: Temporis quoque, & conſilij, diverſa interdum eſt ratio. Variat hinc neceſſitatis vis, prout variant neceſſitatis caſus & pericula, item res & mala, à quibus in iſtas anguſtias, ordinario medio inſuperabiles, conjicimur. Diverſa hinc etiam ratione afficiuntur, qui iſtis difficultatibus premuntur, ita ut ſenſus mali, & neceſſitatis inſuperabilis, diverſus plus minuſve obtundat illorum libertatem, ut impoſſibile ſit actus omitti, alias non committendos, vi ejus, quod premit, uſque eo inſuperabiliter urgente. Tanta vis eſt neceſſitatis in quam fames conjicit. Λιμὸς, inquit *Menander*, *μέγιστον ἄλγος ἀνθρώποις ἐστιν*, *fames maximus dolor hominibus eſt.* Hæc enim *duriſſima neceſſitatum*, uti *Quintil.* a) dicitur, homines ſic invin-

a) *Declam.* 12.

vincibiliter efferat, ut etiam ſine horroris ſenſu cadaveribus humanis dentes imprimant. Non ſic furere cogit nuditas: Nec aliæ neceſſitatis ſpecies ſic extra ſe rapiunt homines. Maxima quidem bona ſunt vita, & pudicitia; illam tamen minime præripere licet, etſi vis inſuperabilis huic immineat; cum comparata cum vita, ſit bonum ordinis inferioris, quoad corporis ſcil. corruptionem. *Ipſa enim pudicitia virtus*, ut B. loquitur *Auguſtinus*, b) *amitti non poteſt, ſine proprio conſenſu ejus, qui oppreſſionem patitur: In poteſtate vero cujuſq; eſt non conſentire.* Ita *Cicero* c) in delenda Corintho, *opportunitatem loci maxime ſecutos* Romanos exiſtimat, *ne poſſet aliquando ad bellum faciendum locus ipſe adhortari*; cum aliis civitatibus captis parcerent, ex quibus iſtud periculi non imminebat; etiam Syracuſis, licet eas Marcellus, apud *Livium*, d) *militi diripiendas dediſſet*, quod non eadem neceſſitas urgere videbatur. *An* enim, inquit *Albericus Gentilis*, e) *ſi periculum ſalutis urbis* Romæ *oſtenſum fuiſſet, nec dum Syracuſas illas pulchras delendas Marcellus, aut Cicero cenſuiſſet?* Hac etiam ratione, ex cauſarum rerumque inter ſe facta comparatione, neceſſitatem, in qua res Galliarum verſabantur, æſtimans Vercingetorix, *oppida incendi oportere*, inquit apud *Cæſarem*, f) *quæ non munitione, & loci natura, ab omni ſint periculo tuta: neu ſuis ſint ad detrectandam militiam receptacula, neu Romanis propoſita ad copiam commeatus, prædamq; tollendam.*

b) *l. 1. de Lib. arb. c. 5.*

c) 1. *Offic.* 11.

d) *l.* 25.

e) *l. B. l.* 3. *c.* 8.

f) *de Bell. Gall. l.* 7. *c.* 14.

Digitized by Google

Hæc ſi gravia, aut acerba videantur, multo illa gravius æſtimari debere, liberos, conjuges, in ſervitutem abſtrahi, ipſos interfici; quæ ſit neceſſe
g) *l. c. c. 15.* *accidere victis.* Mox addit ſcriptor, g) quod, *etſi incendia iſta magno cum dolore omnes tulerint, tamen hoc ſibi ſolatij propoſuerint, quod ſe prope explorata victoria, celeriter amiſſa recuperaturos conſiderent.* Eandem etiam Reipublicæ æſtimans neceſſitatem, conſiderans
h) *1. Reg. 15. 18.* urgentem rerum ſtatum Aſſa, Judæ rex, h) ſacram pecuniam BenAdado, Syro, miſit, quo à fœdere cum Baëſa, Iſraëlis Rege, adverſus ſe icto, eum abſtraheret. Pertinet huc & factum Hiskiæ, pacem à Sennacheribo ementis, ſacra in uſus publicos hoc neceſſitatis ar-
i) *2. Reg. 18. 14. ſq.* ticulo adhibita pecunia. i) Sæpius apud ſcriptores, premente neceſſitate, hujus generis conſultationes inſtitutæ leguntur.

§. 7. Poſterius itaq; quod attinet, quod variante neceſſitatis gradu, non extremus ejus articulus ſemper accipiendus ſit, non ſolum ita
a) *l. B. l. 1. c. 13.* *Alberic. Gentilis,* a) *Bœclerus,* b) & alij monuerunt; ſed & inter incolumitatis & comoditatis
b) *Comm. Grot. l. l. c. 1. p. 137. ſqq.* neceſſitatem inſtituta comparatio docet, quarum quælibet ad *τὸ utile* quidem reſpicit, gradu licet inæquali, qui tamen ad agendum ſatis gravis eſt, ut vel periculum, vel incommodum evitemus. Non ſane Marius, apud
c) *Bell. Iug. c. 91.* *Salluſt.* c) extremo neceſſitatis caſu impulſus, Capſam à ſuis captam incendi juſſit, ſed *quia locus Iugurthæ opportunus, Romanis aditu diffi-*

cilis,

Digitized by Google

ſitis, genus hominum mobile, infidum, ante neq; beneficio, neq; metu coërcitum: neceſſitate ſcil. commoditatis ſic urgente, ut obſtaculum iſtud removeretur, quo non remoto, non abſque gravi impedimento, & incommodo, bellum cum Numida potuiſſet finiri. Nimirum non male *Cicero*, d) *in hoc loco*, inquit, *mihi caput illud videtur eſſe, ut quaramus, quid ſit illud, quod ſi adipiſci, aut effugere velimus, aliqua res nobis ſit neceſſaria, hoc eſt, quæ ſit adjunctio, ut proinde, uti quaq; res erit laboremus, & graviſſimam quamq; cauſam vehementiſſime neceſſariam judicemus.* Ipſe Salvator noſter Chriſtus, quando Davidem, panibus propoſitionis veſcendo, id ex neceſſitate, ὅτε χρείαν ἔσχε, *cum opus haberet*, e) feciſſe teſtatur, ſic ut præſens neceſſitas ipſi jus agendi dederit, non loquitur de extremo neceſſitatis caſu, ſed de eo, ubi quis aliqua re indiget, etſi nullum extremum evidens periculum adſit, aut neceſſitas, pluribus explicatum Theologis. f)

d) *l. 2. de Invent. c. 58.*

e) *Marc. 2. 25.*

f) *Dn. D. Seb. Schmid. de Sabbat. Deuterop. §. 12.*

§. 8. Ex his diverſis neceſſitatis gradibus atque ſpeciebus id infertur, neceſſitudinem, non ſimplicem illam, quæ ſi data fuerit, *nihil erit*, monente *Cicerone*, a) *quod multa dicamus, cum eam nulla ratione lenire poſſimus*, uti neceſſe eſt corpus mortale aliquo tempore interire; ſed quæ nos urget ad agendum inſuperabiliter, ſi vel bonum aliquod adipiſci, h. e. honeſte vivere cupimus, incolumes etiam eſſe, aut ſine incommodo vivere

a) *l. 2. de invent.*

volumus; vel ſi malum aliquod effugere, h. e. nil quod parum honeſtum comittere cupimus, vel non incolumes eſſe nolumus, nec incomode vivere & agere volumus; actum noſtrum antecedere, quoad mediorum uſum, libertatem etiam penitus impedire; *neceſſitas tollit arbitrium* ait *Seneca*; b) & ad actus, quos ſimpliciter omittere non poſſumus, nos determinare & adigere, ita ut ſub talibus circumſtantiis non potuerit non agens id committere, vel etiam omittere, quod commiſit & omiſit. *Neceſſitas lex temporis Seneca* c) hinc dicitur. Unde & ratio agendi, quæ ejuſmodi urgente neceſſitate inſtituitur, non niſi extraordinaria & ſubſidiaria eſt, ita nimirum ferente præſenti rerum ſtatu, & conditione, non inſtituenda, ſi difficultates, cum quibus confligendum, aliter forent ſuperabiles, & ordinariis mediis locus eſſet relictus. *Neceſſitas eſt, quæ navigia jactu exonerat: neceſſitas eſt quæ ruinis incendia opprimit*, rurſus inquit *Seneca*. d) Οὐδεὶς γὰρ ἂν ἕλοιτο καθ' αὑτὸ τῶν τοιούτων οὐδὲν, *nemo enim quicquam tale ipſum propter ſe elegerit*, monente *Ariſtotele*. e) Hinc *Tertullianus*, f) *nulla*, inquit *neceſſitas excuſatur, quæ poteſt non eſſe neceſſitas*.

§. 9. Cæterum cum Philoſophus obſervet, ſoliciteque moneat, illa quæ urgente neceſſitate committuntur, & πράξεις μικταὶ, *actiones mixtæ* a) dicuntur, quoad effectum moralem variare, ſic ut alia non quidem *laudem*,

b) *de Benef. l. 2. c. 18.*

c) *Ep. Controv. l. 4. Cont. 4.*

d) *l. c.*

e) 3. *Ethic. c. 1.*

f) *Exhort. ad caſtit. f. m. 562.*

a) *l. c.*

dem, συγγνώμην, *veniam* tamen mereantur, ὅταν δὲ τοιαῦτα πράξῃ τις ἃ μὴ δεῖ, ἃ καὶ τὴν ἀνθρωπίνην φύσιν ὑπερτείνει, καὶ μηδεὶς ἂν ὑπομεῖναι, *cum videlicet quæ minime ſunt agenda, ea quis egerit ob hujuſmodi aliquid, quod humanæ naturæ vires ſuperet, quodq; nemo qui perferat reperiatur*; alia *vero ejuſmodi ſint, ut fortaſſe nulla vi, aut neceßitate coacti ea agere debeamus*, ἀλλὰ μᾶλλον ἀποθνητέον παθόντα τὰ δεινότατα, *ut potius mors nobis ſit oppetenda, graviſſimiq; cruciatus perferendi*: inveſtigandum, quando, & quo caſu neceſſitas jus agendi largiatur, quibuſque principiis illud jus agendi nitatur; quando eadem veniam mereatur; & quando quæ ex neceſſitate commiſſa dicuntur, neque ſub æſtimatione juſti rectique defendi, vel excuſari poſſunt, ſed turpia audiunt; qualis fuit illa neceſſitas, quam Quedæ rex parricidij impie commiſſi excuſandi gratia allegavit, apud *Fern. Mendez Pintum*, b) quod *Patrem interfeciſſet*; *quia ſibi ab illo inſidiæ ſtruerentur*: vel ſi quis *cum uxore tyranni patriæ liberandæ cupiditate conſueſcit*. Hoc enim, hoc neceſſitatis caſu *effici non turpe*, credit *Euſtratius*, c) Scholiaſtes Græcus, *ſi interficiendi tyranni cauſa fiat*. Sed neceſſitas commoditatis, vel etiam incolumitatis, tali modo neceſſitati honeſtatis non debet præferri. Nec probat diſciplina Chriſti. d) Bene hinc loquitur ex Theologis B. *Brentius*; e) *Regula hæc*: *Neceßitas non habet*

b) *Memorab. per Eur. Aſ. Afric. p. 39.*

c) *in Ariſt. 3. Ethic. 1. Comment. p. m. 152. ſq.*

d) *Luc. 9. 24.*

e) *in Matth. 12.*

legem: recte eſt intelligenda; Non enim loquitur de lege morali: Sed ceremoniali & judiciali. Moralia enim ſeu naturalia ſunt inviolata, nec poteſt ulla incidere neceſſitas, qua liceat ea violare. Neq; enim ulla neceſſitate permittitur, ut verum DEUM abneges, & multos Deos colas, ut DEUM blaſphemia afficias, ut parentes contumelioſe inſecteris, & inique eos tractes, ut privata temeritate proximum occidas, ut iniquas impoſturas exerceas.

§. 10 Quando itaque neceſſitas jus agendi tale concedit, ut illa quæ fiunt, juſte & recte facta iſto neceſſitatis caſu cenſeantur, hoc ideo contingit I. *primo*, quia per iſtam vim immutabilem, & inſuperabilem, quæ tam vehementer ad media extraordinaria & ſubſidiaria impellit, & actiones, lege alias prohibitas, urget, ſtatus objecti præcepti, vel prohibiti ita mutatur, ut non amplius illud ſit, de quo lege aliquid fuit ſtatutum; & proin etiam non prohibitum, vel contra eandem commiſſum cenſeri debeat, quod dura imperavit neceſſitas. Cum enim non de tali caſu lex fuerit conſtituta, rebus in ejuſmodi neceſſitatis ſtatum deductis, illæ actiones legibus non prohibitæ, ſed permiſſæ cenſentur, quæ ſecundum iſtum rerum ſtatum, ceu medium unicum atque proprium, adverſas iſtas anguſtias, aliter inſuperabiles, adhibentur. Id quando contingit, non lex mutatur, vel id quod honeſtum, juſtum, rectumque alias eſt;

ſed

ſed id quod alias lege præceptum prohibitumque eſt, in alium ſtatum, ob mutatas circumſtantias tranſit, ut non amplius præcipiatur, & prohibeatur, ut ante. Bene *Grotius*, a) *ferri*, inquit, *leges ſolent ab hominibus, & debent, cum ſenſu humanæ imbecillitatis.* Unde Frideric. I. Imperator apud *Radevicum* : b) *Sive ergo jus noſtrum, ſive veſtrum in ſcriptum redigatur, in ejus conſtitutione conſiderandum eſt, ut ſit honeſtum, juſtum, poſſibile.* Reſpondebit enim, ni hoc ita ſit, Athenienſis hoſpes apud *Maximum Tyrium*, c) ὅτι καὶ πόλεως τὸ καλούμενον δὴ τοῦτο νόμος, ἄνευ πειθοῦς τῶν χρωμένων, σύγγραμμά ἐστιν ἄλλως κενόν, *id quod legem vocant in republica, niſi accedat civium obſequium, fruſtra ferri ac rogari.* *Ex benevola itaque*, ut *Pufendorfius* d) loquitur, *legislatorum mente, ſimulq; natura humana conſideratione præſumitur, caſum neceſſitatis ſub lege generaliter concepta non contineri.* Datur autem in tali caſu impoſſibilitas aliter agendi, niſi perire malimus, quod à lege præcipi non facile præſumendum. Unde Ageſilaus apud *Plutarchum*, e) cum poſt cladem Leuctricam, ob Republ. neceſſitatem, in illos qui ex acie fugerant ſecundum leges agere non liceret, in concionem progreſſus, dixit, ὅτι τοὺς νόμους δεῖ σήμερον ἐᾶν καθεύδειν, ἐκ δὲ τῆς σήμερον ἡμέρας κυρίους εἶναι πρὸς τὸ λοιπόν, *ſinendum leges illo die dormire, atq; ex eo vim ſuam recipere in poſterum.* Docet ſane ex Theologis etiam in-

com-

a) *I. B. P. l.* 4. 7.

b) *de geſt. Frider. I. l.* 2. *c.* 3.

c) *Differt.* 21. *p.* 213.

d) *I. N. G. l.* 2. *c.* 6. *§.* 2.

e) *t. I. opp. Ageſil. f.* 612. *ſq.*

f) *Harmon. Evang. c. 47. ad Luc. 6. 3. 4. Matth. 12. 3. 4. Marc. 2. 25.*

comparabilis *Chemnitius* f) noſter, ex facto Chriſti, diſcipulos excuſantis, quod Sabbatho *ariſtas evellerent, comederentq; conterentes manibus*, probatque eximie, quicquid *mere ceremoniale eſt, lege ceremoniali tantum V. T. prohibitum, illud legi charitatis, & caſui neceſſitatis, etiam ſub V. T. cedere poſſe & debere.*

§. 11. II. Jus agendi, dato veræ neceſſitatis, hoc eſt præſentis & manifeſtæ, caſu, competit ob ejuſdem *exceptionem à Lege*, qua talia media alias prohibentur, quæ per bonam legis interpretationem cognoſcitur. Sic enim Chriſtus, a) legis de Sabbatho facta genuina explicatione, oſtendit, caſum propter quem ſuos diſcipulos, Sabbatho ſpicas avellentes, reprehenderent, iſta lege non contineri, eximie explicante *Brentio*. b) Fundatur autem hæc *exceptio ſummæ neceſſitatis* primo in ratione legis, & pacti, quæ non eſſe ſolet ſummæ neceſſitatis caſus, & quid tali dato, ſtatu item habituque rerum plane inſperato, & inſuperabilibus difficultatibus cincto, liceat; niſi expreſſe, aut per negotij naturam iſte caſus comprehenſus ſit. Unde à gentibus moratioribus ſæpius reſponſum fuit, fidem pactorum, fœderum, & promiſſorum, obligare cum exceptione ſummæ neceſſitatis, in quam quis citra ſuam culpam incidit, vel mutationis temporum, & ſtatus rerum; ceu recentiora docent Acta apud *Loccen.* c) *Londorpium*, d) & alios; urgentque Belgij Confœderati Ordines

a) *Math. 12. 13.*

b) *l. c.*

c) *Hiſt. Suec. p. m. 769. 804.*

d) *ſ. 8. f. 307.*

dines literis ad Electorem Brandenburgicum, Fridericum Wilhelmum, exaratis. e) Ita Veneti anno 1573. *animadverſo rerum ſuarum periculo, ob parum ſervatas fœderis leges*, à fœdere cum Pontifice, & Hiſpano Rege, recedere ſibi licere crediderunt, apud *Iuſtinianum*; f) *factum neceſſitate excuſantes*, ſcriptore *Thuano*. g) Eadem ordinarie legum humanarum obligatio eſſe recte creditur. Cum enim LL. pacta item, promiſſa, & fœdera, ordinaria agendi regula eſſe debent, caſus plane extraordinarios, cum difficultate ordinarie inſuperabili conjunctos, non comprehendunt. Ordinaria enim extraordinariorum regula eſſe nec poſſunt, nec prudenter debent: Ad quæ applices illud vulgare: *Si dabitur caſus, reſpondebitur.* *Etenim*, inquit Dn. *Textor*, h) *omnia pacta, omneſq; ſtipulationes intelligi debent rebus ita ſtantibus: & caſus emergentis neceſſitatis à regulis eſt exceptus.* Colligit hinc, *caſum neceſſitatis imminentis relevare Regem, vel principem, ab obſervantia LL. fundamentalium; cum veriſimile non ſit, voluiſſe paciſcentes etiam eum caſum ſub lege, quamvis fundamentali, comprehendere, qui noceret reipublicæ.*

e) *d.* 8. 18. *Auguſt.* 1679.

f) *Hiſt. Venet. l.* 16. *f.* 352.

g) *l.* 55. *Hiſt. f.* 893.

h) *Synopſ. I. G. c.* 11. *c.* 12.

§. 12. Fundatur præterea hæc ſummæ neceſſitatis exceptio *in æquitate*. Sicut enim, ut ex *Cicerone* a) mentem noſtram explicemus, *generi animantium omni eſt à natura tributum, ut ſe, vitam, corpuſq; tueatur, declinetq;*

a) 1. *Offic.* 4.

ca-

ea quæ nocitura videantur, ita & homini: Qui ex ſanæ etiam rationis dictamine, & ne neglectæ cuſtodiæ vitæ reus agi poſſit, à natura incitatus, omni ſtudio ſui curam habet, annuente *Paulo.* b) *Quantumlibet*, inquit *Auguſtinus*, c) *homo excidat à veritate, manet illa dilectio ſui, & dilectio corporis ſui.* Nullus hinc inter mortales datur affectus, qui, ceu maxime naturalis, delicatius haberi vult, quam amor ſui, & qui læſus dolorem uſque adeo ſentit. Unde Legiſlatores legibus ſuis vim naturæ facere voluiſſe, merito non præſumuntur, quos rectius credere potius licet, leges ferendo ante oculos habuiſſe humanam imbecillitatem, & hunc naturalem affectum *cavendi quæ noceant, expetendiq; quæ proſint*, uti *Ambroſius* d) loquitur, & quam non poſſit non homo conniti, ad ſe conſervandum, refugere etiam, & amoliri ea, quæ ſe deſtruere, ſibique nocere credit; ita ut ſalutem & commoditatem mortalium ex humanitate, & juvandi potius quam deſtruendi ſtudio, inſtitutis ſuis quæſiverint, & extraordinarios iſtos caſus, tantopere urgentes ad agenda ea, quæ litera legis ſunt prohibita, neque lege comprehendi, nec ad iſtos legem ſuam applicari voluerint. Nam & in legibus ferendis humanitatis, & imbecillitatis humanæ habenda ratio eſt. Reſpexit ad eandem Chriſtus quoque, in reſponſo pro diſcipulis ſuis Phariſæis dato, e) de quo ſupra ex *Chemnitio*, f) & *Brentio*

b) *Eph.* 5. 9.
c) *l. de doctr. Chriſt. c.* 23.
d) 1. *Offic. c.* 27.
e) *l. c.*
f) *ad Math. l. c.*

tio g) egimus, inſinuantque ita *Chryſoſtomus* h) & *Theophylactus*. i)

§. 13. Verum equidem eſt, *Grotioq;* a) etiam, aliiſque obſervatum, *à Lege etiam humana, quoſdam virtutis actus poſſe præcipi, ſub certo mortis periculo, ut de ſtatione non deſerenda.* Ad cujus generis præcepta etiam nonnulli apud *Loccen.* b) referunt mandatum, quo claſſiarij pulverem pyrium incendere jubentur, ne navis in hoſtium poteſtatem veniat; quodque ſacramento militari nautico inſertum ſuo tempore fuiſſe ſcripſit B. noſter *Richshofferus*. c) Sed, ut ipſe reſpondet *Grotius*, *nec temere ea voluntas legem condentis fuiſſe intelligitur.* Unde vel expreſſe caſum neceſſitatis poſitum eſſe oportet, vel eum ſic comparatum eſſe neceſſe eſt, ut ex negotij natura cognoſci poſſit, eum lege fuiſſe comprehenſum. Nam ubi expreſſa ejuſmodi, vel etiam tacita, ſatis tamen manifeſta adeſt proviſio legis, caſum neceſſitatis includens allegatione neceſſitatis, non licebit à lege recedere, monente & illuſtrante hanc diſciplinam *Textore*. d) Alias *leges poſitivæ cenſentur excipere caſum neceſſitatis, ſeu non obligare, quando ipſarum obligationem comitaturum eſſet malum, humanam naturam deſtruens, aut communi animi humani conſtantia ſuperius*, explicante *Pufendorfio*, e) nec abnuente *Bœclero*. f) Ne dicam, illud jus imperantium præcipiendi ſubditis, ut præſens ſubeant vitæ periculum, imo ſi ſic

g) *Comm. in l. c.*
h) *Comm. in l. c.*
i) *Comm. in l. c.*
a) *l. B. P. l. 4. 7.*
b) *de Iur. Marit. l. 3. c. 9. n. 2.*
c) *Itiner. Braſil. p. 7.*
d) *Synopſ. I. G. c. 11. n. 19.*
e) *I. N. G. l. 2. c. 6. §. 2.*
f) *Comm. Grot. P. I. p. 276. ſq.*

ſi ſic caſus tulerit, ipſam mortem, niſi quatenus ſuperior, eaque longe major neceſſitas incolumitatis ita exegerit, non dari. Etiam Magiſtratus, & quivis gentium Rector, cogitare debet, parcendum ſibi eſſe ſanguini humano, civemque qui occiditur, vel cujus cædes pro re vili ducitur, *ad imaginem DEI factum eſſe*; g) & quod DEUS φιλόψυχος h) hauſti ſanguinis humani oſor ſit, adeo, ut *Davidem ob hanc cauſam noluerit domum ſibi ſacram extruere*, i) obſervante *Dannhavvero*. k) Unde in Belgio etiam ex Theologis *Rivetus*, l) diſputans de facto claſſiariorum, in pulverem pyrium ignem immittentium, *non auſim*, inquit, *definire, an in poteſtate Reipubl. ſit jubere hominem innocentem, ut ſeipſum vel opprimat ruina, vel incendio tollat, ut hoſtes Reipublicæ exterminet, quando ne quidem nocentem & legibus damnatum cogere licet, ut ſui ipſius ſit carnifex.*

g) *Gen.* 9. 6.
h) *Sap.* 11. 26. *ſq.*
i) 1. *Chron.* 23. 8.
k) *Coll. Decal. p.* 702.
l) *Explic. Decal. pag.* 217.

§. 14. Alij ad diſpenſationem hic confugiunt, & dato neceſſitatis irreſiſtibilis caſu, agendi jus ex *diſpenſatione* dari exiſtimant. Verum ubi caſus à legiſlatore non comprehenditur ſub generali lege, ibi nulla diſpenſatio proprie loquendo locum habet. a) Quo in caſu lex non obligat, eo quoque non eſt neceſſaria relaxatio à lege. Unde quod lege, pacto, juramento, & promiſſo non obſtante, caſu neceſſitatis urgente ſibi adverſus ejuſdem difficultates, aliter inſuperabiles viſas, niſi tale vel tale quid ſiat, modo alias non

a) *Grot. I. B. P. l.* 2. *c.* 20. *n.* 27.

con-

conceſſo conſulere licet, rectius permiſſum eſſe dicitur ex æquitate, quod ad impoſſibilia, citra agentis culpam talia, nemo ſit obligatus, & quod talis caſus, ejuſmodi circumſtantiis extraordinariis veſtitus, lege, pacto, promiſſo atque juramento non fuerit comprehenſus, quam ex diſpenſatione. Negavit hinc Textor, b) *caſu quo rex apertiſſime ſervando rempublicam, recedit neceſſitatis intuitu à legibus, neceſſariam eſſe relaxationem à juramento, quod præſtitit; quia jurata promiſſio non obligat in caſu probabiliter haud præcogitato.* Nam & juramenti obligatio intelligi debet, *rebus ſic ſtantibus*, uti reſpondit Eliſabetha, Angliæ regina, Ordinibus Belgij Confœderatis, cum ex contractu contenderent, *pecuniam*, quam neceſſitate ſic urgente reſtitui poſtulabat, *non repræſentandam priusquam bellum finiretur, nec à pacto reſiliendum*, cenſendo, apud Camdenum, c) *omnem conventionem, quamvis juratam, intelligi rebus in eodem ſtatu permanentibus:* idem eximie explicante *Sanderſono,* d) Theologo Anglo, & quo ſenſu *juramentum ſtricti juris* eſſe dicatur, monente. Simili fere ratione, qua Nicomachus apud *Curtium*, e) etſi commiſſa ſe ſilentio eſſe tecturum juraſſet, ubi de inſidiis regi comparatis audivit, *ſe fidem in parricidio dediſſe conſtanter abnuit, nec ulla religione, ut ſcelus tegat, poſſe conſtringi.*

b) *Synopſ. I. G. c. 1. ſ. 18.*

c) *Eliſabet. ann. 1595.*

d) *de jurament. promiſſ. obligat. prælect. II. ſ. 10. p. 49.*

e) *l. 6. c. 7.*

§. 15. III. Ut neceſſitatis caſus illis, quæ tunc fiunt & geruntur, juſti rectique

æſtimationem conciliare queat, accedat neceſſe eſt etiam *propoſitum innocens* agentis. Ad hoc requiritur, ut voluntas libera ſit non ſolum à malitia, uti Abimelechus, Saram Abrahami uxorem, quam ejus ſororem eſſe crediderat, in domum ducens, DEO factum reprehendente, *in ſimplicitate cordis ſui*, & puritate *manum ſuarum, id ſe feciſſe* ait; a) ſed & ab omni culpa, ita ut ex vi neceſſitatis agenti, neque hæc, neque illa imputari poſſit. Sicut nec, B. D. *Calovio* b) explicante, Abimelechus, *etſi ab adulterio & ejus intentione* immunis eſſet, *ab omni etiam injuria innoxius fuit, quia invitam tulerat. Licet itaque ἐκ προαιρέσεως non peccaverit, à peccato tamen abſolvi prorſus non poteſt, imo filius mortis pronunciatur; quia inquirere potuiſſet, ac debuiſſet diligentius, antequam animum induceret Saram ducendi, utrum ea juncta eſſet matrimonio, nec ne.* In omni actione ex propoſito agentis innoxio hæc ſunt neceſſaria. *Abſentia malitiæ* cognoſcitur ex fine, & intentione agentis; quando ille juſtus, rectuſque eſt, honeſtus atque licitus, juris v. c. noſtri conſecutio, defenſio vitæ, pudicitiæ &c. hæc vero non habet nocendi propoſitum, vel damnum aliquod inferendi, aut alias animum malignum, ſed mente innocente ſibi tantum conſulere, & ea quæ aliter, niſi ſic agatur, invincibiliter nocere judicantur, declinare intendit. Sic ex innocenti propoſito factum, quod

mari

a) *Gen.* 20 5.

b) *Com. in Gen. c.* 20. 3. *& doc. ex P.* . . 6. *p.* 935.

mari vehementi exorta tempeſtate intumeſcente, Jonam navigationis ſocij in profundum projecerint, c) quem ſui periculi cauſam eſſe, ipſo dictante, & ad jactum ſe hoc nomine offerente, cognoverant. Simili caſu haud raro conſtat ejuſmodi navium, quando non omnes qui illis vehebantur capiebant, naufragij metu factam eſſe exonerationem, illis exire juſſis, ſuper quos ſors ceciderat. Vehementior hic amor ſui, atque nimia quæ omnes occupat conſternatio, bono ordini, qui iſto neceſſitatis caſu obſervari debebat, locum interdum non relinquunt. Ita *Linſchotten* d) de Luſitanis, qui ad famoſam rupem, quæ *Baixas de India* dicitur, naufragium ann. 1585. fecerant, autor eſt, quod cum majorem ſcapham nonaginta inſiluiſſent, quadraginta ex illis in mare præcipitaverint, brachiis & manibus illorum amputatis, qui apprehenſam conſcendere nitebantur. Hujus generis facta, etſi culpa omni non carent, quod ex reliquis dignoſcendum circumſtantiis, veniam tamen merentur.

c) *Ion.* 1.

d) *Navigat. l. I. c.* 48.

§. 16. Nimirum, quod & *Grotius* a) obſervari jubet, *ad jus agendi multa conſequuntur indirecte, & extra agentis propoſitum, ad quæ per ſe jus non eſſet*: quæ tamen quo minus committantur, proximi charitas prohibet, vel prohibere videtur. *Quare etiam quæ extra propoſitum accidunt, & accidere poſſe prævidentur, cavenda erunt*, *Grotio* b) monente,

a) *l. P. B. III.* 1. 4.

b) *l. c.*

niſi multo majus ſit bonum, quo noſtra actio tendit, quam malum id quod metuitur, aut niſi in pari bono & malo multo major ſpes ſit boni, quam mali metus, quod prudentia arbitrandum relinquitur: Sed ita ut ſemper in dubio ad eam partem, quæ alteri magis quam ſibi conſulit, ut tutiorem, inclinandum ſit. Non ergo ſub circumſtantiis certis is, cujus ductu vel auſpiciis bellum juſta ex cauſa geritur, tenetur uſu tormentorum abſtinere, ſi ab hoſtibus è ſuis captivos ibi locatos animadvertit, ubi vel terra eſt effodienda, vel murus ad impetum faciendum dejiciendus, vel lacerandus, id quod ſine ſuorum clade fieri nequit. Iſte enim furor hoſtilis, cui gratis neceſſitas prætenditur, quique in defendendo ultra finem & ordinem naturæ ſocialis ſævit, juſte bellum gerenti fraudi eſſe non poteſt, nec eum in juris ſui uſu impedit, ceu qui ab alterius crudelitate, & inhumanitate, qua homines injuriæ, cui muri ſunt obnoxij, objicit, abhorret. Ex *indignatione* c) quoque potius, quam jure belli, juſtaque belli ratione urgente, Ebræi & Idumæi Charoſchetæ, regiæ Moabitarum ſedis, obſidionem ſolverunt, cum obſeſſus rex, & ad extrema redactus, poſtquam facta eruptione per caſtra hoſtilia perrumpere fruſtra tentaſſet, ferali ſacrificio, *filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat loco ejus, in holocauſtum obtuliſſet,* non Iſraëlitarum DEO, ut cenſet cum *Ioſepho Grotius,* d) ſed ut rectius ex

c) 2. Reg. 3. 27.

d) Not. h. l.

En-

Euſebio e) ſtatuitur, Molocho, ſeu Saturno. Sive enim *idoli ſui placandi*, & *opis ejus advocanda gratia*, ſive *infeſtorum regum ad miſericordiam permovendorum*, *& deſperatione hac ſua percellendorum gratia fecerit*, quas rationes *Eſcobar* f) allegat, nil erat, quod jure Reges iſtos ad abeundum moveret: *Frangat* licet, ut loquitur idem *Eſcobar*, *intuentium animos dira neceſſitas, quæ parentem invitum cogit, eoq; adigit, ut filij ſui primogeniti ſanguine manus cruentet.* Addit mox idem: *Doluiſſe* reges, *miſerum* Moabitam *ad hujuſmodi neceſſitatem deſperatione adactum*, quaſi *in ipſos pars aliqua tanti criminis redundaret.* Verum, qui jure ſuo legitime utitur vir prudens, non ignorat, quæ hoſtis ex pertinacia & deſperatione committit, & ſic ad juris ſui legitimam perſecutionem per accidens ſequuntur, citra omnem ſuam veram culpam, plane non ſibi, ſed hoſti imputanda eſſe; & ejus rabie ſe ſuo non excidere jure, niſi ex bonitate libere illo velit cedere; uti reges hi feciſſe videntur, indignati, quod huc furoris Moabita proceſſiſſet: Imo ſi, quod nonnulli, *Rabbini* potiſſimum, volunt, g) cædes hæc, non de filio Moabitæ, ſed Edomi, Regis obſeſſoris, intelligi debet, quem crudeli hac filij cæde motum, cum cæteris regibus, obſidionem ſolviſſe putant, de facto & ex dolore, non defectu juris obſidionis ulterius continuandæ, id eos feciſſe, habendum. Sed priori, de regis Moabita-

e) *Præpar. Evāgel. l. 4.*

f) *Com. h. l.*

g) *B. D. Seb. Schmid. Annot. ad h. l.*

bitarum filio, explicationi ipſum hiſtoriæ textum favere, etiam interpretatio *Schmidiana* docet. Neceſſitate etiam, citra culpam adactus, non ex propoſito crudeli, Titus tot cladibus affecit Judæos, qui pacem toties oblatam reſpuerant. Unde circumiens valles, in quas ex muro mortuos præcipitaverant obſeſſi Hieroſolymitani, *ubi plenas cadaveribus vidit, altamq; ſaniem tabefactis corporibus defluentem, ingemuit, extentis manibus DEUM teſtatus, factum illud ſuum non eſſe*, ſcriptore *Ioſepho*: h) Cui etiam *Hieroſolyma excidium* Titus *miſeratus* dicitur, i) *cum multa imprecatione ſeditionis autoribus facta, aliiſque, à quibus fuerat coactus ad pœnam hanc huic civitati inferendam.*

h) *de Bell. Judaic l. 6 c. 14.*

i) *l. c l. 7. c. 24.*

§. 17. Facto Titi minime ſimile eſt illud Greij, Hiberniæ proregis, apud *Camdenum*, a) quod voluntatis innocentiam attinet, qui, cum *deditij* munimenti *del Or* in Hibernia, *Anglos æquarent, periculum à rebellibus imminere* credens, *& quod Angli victu & veſtitu ita deſtituerentur, ut tumultuaturi eſſent, niſi ex munimento ſpoliis hoſtilibus ſublevarentur, naveſq; deeſſent, quibus aveherentur*, invitus & lachrymans, *in hanc ſententiam iviſſe dicitur, ut ſervatis ductoribus, reliqui in terrorem promiſcue occiderentur, Hibernici autem ſuſpenderentur.* Crudelitati quippe prætendebatur neceſſitas, ſed non uſque eo urgens; cum depoſitis armis in partes inſulæ varias diſperſi dimitti po-

a) *Eliſ. ann. 1580.*

potuerint captivi. Sanctior Eliſabethæ, reginæ, fuit voluntas, quæ iſtam *ſævitiam ex animo averſata, rationes cædis commiſſæ ægre admiſit.* Nec ita crude & ſimpliciter, ceu ex dictis patet, admittimus illud *Velthuyſij*: b) *Etſi quid ſua natura malum ſit, ita ut nunquam bonum fieri poſſit; illud per accidens ſequi poſſe ad uſum, aut defenſionem mei juris, extra peccati labem, neq; ideo me teneri temperare ab uſu juris mei*, aſſerentis. Propoſitum enim agendi innocens non erit, niſi etiam liberum ſit omni ab culpa, qua carere debet. Talis vero agens, qualis Grejus, non dici debet cauſa per accidens illorum, quæ ſuam actionem ſequuntur malorum, ut h. l. cædis tot miſerabilium, quos extra nocendi ſtatum aliter conſtituere potuiſſet victor durus, cum potius ſit cauſa per ſe ex parte intentionis, certe ſecundariæ. Sanior eſt *Polybij* diſciplina, hominis licet *Gentilis*, *Grotio* c) etiam laudata. Cavendum itaque, quantum fieri poteſt, ne occidantur innocentes, etiam præter propoſitum; & ſi in juris noſtri uſu id fieri contingat, id non nobis, qui jure noſtro legitime utimur, ſed alterius pervicaciæ & culpæ imputari poteſt & debet: Uti nemo Tito, ſed Judæis potius ipſis, atrocia iſta, quæ in obſidione Hieroſolymorum acciderunt, tribuerit. Contra vim, ſine vi fieri nil poteſt.

b) *de Princip. juſti & decor p. 161.*

c) *de I. B. P. III. 11. 8.*

§. 18. Cæterum quæ de *immunitate à culpa*, quam ad propoſitum innocens requiri

 dixi-

Digitized by Google

diximus, modo diſputavimus, intelligi etiam debent ratione neceſſitatis; ne ſcilicet vi & impulſu neceſſitatis agens, ſua culpa in illam inciderit, cujus etiam pœnas luit, ſubeundo iſtas anguſtias, in quas ſe conjecit. Hoc qui facit, à neceſſitate, in quam ſic ſua culpa lapſus eſt, parum juris ad talia facta, quæ vera alias neceſſitas, quæ omni dolo & culpa caret, permittit, ſibi polliceri poteſt, ceu ex *Tertulliano* a) ſupra audivimus, dolum licet illa non includat. Ubi enim voluntas agentis culpæ alicujus argui poteſt, ibi non eſt plane innocens; nec actio tum cenſeri poteſt ab omni culpa libera. *Ariſtoteli* b) dicitur *ἁμάρτημα. Ὅταν*, inquit, *μὴ παραλόγως, ἄνευ δὲ κακίας, ἁμάρτημα, quando non inopinato, ſed non tamen malitioſe*, h. e. *Grotio* c) interprete, *ſic ut expectari ac prævideri aliquo modo potuerit, ſed non improbo animo, culpa erit aliqua.* Unde & occaſiones peccandi vitandæ, Joſephi exemplo. d)

a) *Exhort. ad caſtitat. f.* 562.
b) *l.* 5. *Ethic. c.* 9.
c) *I.B. P. III.* 11. 4.
d) *Gen.* 39. 10.

§. 19. Præterea quæ caſus neceſſitatis ceu licita permittit, vel permittere creditur, IV. ita debent eſſent comparata, ut ad difficultates ſuperandas *medii unici* habeant rationem; ut emiſſio Jonæ ex nave in mare, a) ad ſedandam tempeſtatem, ſic DEO ordinante. b) Quæcunque enim alia ratione expediri poſſunt, non creduntur neceſſaria, quæ ſunt ad unum modum agendi determinata, nec aliter fieri poſſunt. Negat hinc Demoſthenes, providus Athenienſium Dux, apud

a) *Iohann. Schmid. Com. in Ion. l. c. p.* 707. *in Loc. Mor. n.* 31.
b) *Ion.* 1.

Thu-

Thucydidem, c) *periculum ſubeuntes in neceſſitate debere videri intelligentes, reputando omnes quæ ipſos circumſtant difficultates.* Ὅσα γὰρ ἐς ἀνάγκην ἀφῖκται, ὥσπερ τάδε, λογισμὸν ἥκιστα ἐνδεχόμενα, κινδύνου τοῦ ταχίστου προσδεῖται, *quæcunque enim in neceſſitatem devenerunt, ea minimam rationem, celerrimum periculum deſiderant.* Ita cædes invaſoris juſta creditur, quando vis ejus vitam alterius petens, non aliter eſt declinabilis; vel ſecuritati tutius conſuli aliter non poteſt. Ex qua ratione etiam jure divino cædes furis nocturni permiſſa fuit. d) Contumelia autem ex accepta alapa, verbere, percuſſione quæ fit fuſte, cum aliter vindicari, & honor læſus reparari poſſit, quam cæde invaſoris, illius interficiendi neceſſitatem nondum dari, contendimus ex jure divino, à Chriſto e) explicato, contra *Leſſium,* f) *Eſcobar.* g) *Victoriam,* h) & alios, quibus melius ſapit *Lugo,* i) cui ejuſmodi occiſio non defenſio, ſed *vindicta privata* dicitur. Sic in bello etiam contra feroces, & incorrigibiliter crudeles hoſtes, non aliud efficacius haud raro medium eſſe creditur, quam ſi ſua exempla pati coguntur. Ita *Florus* k) eventum belli Thracij enarrans, *non aliter,* inquit, *cruentiſſimi hoſtium, quam ſuis moribus domiti, quippe in captivos igne, ferroque ſævitum eſt.*

c) *l. 4. bell. Pelop. f.* 124.
d) *Exod.* 22. 2.
e) *Matth.* 5. 39.
f) *l. & l. l.* 2. *c.* 9. *dub.* 12. *n.* 79.
g) *Theol. Moral. Tr.* 1. *Exam.* 7. *c.* 3. *q.* 47.
h) *Relect. de jur. bel. n.* 5.
i) *de l. & l. s.* 1. *diſſ.* 10. *ſ.* 10. *n.* 189. *ſeq.*
k) *hiſt. l.* 3. *c.* 4.

§. 20. Obſervandum V. quod ex neceſſitate nil facere liceat, quod *intrinſece malum* eſt, jurique naturali repugnat. Cujus-

Digitized by Google

cunque neceſſitatis impulſu, adulterium, furtum, ſcortatio, homicidium innocentis, & ſimilia committantur, atque comiſſa fuerint, ſive peccato nunquam committuntur. Carceres proin præferre maluit Joſephus inhoneſto heræ ſuæ favori, & amicitiæ, a) quod ſi iſtud *malum* adulterij *feciſſet*, *DEO peccaturus foret*, b) carceris licet, imo mortis, vitandi cauſa id commiſiſſet. *Nunquam enim facienda ſunt mala, ut inde eveniant bona*, c) monente *Apoſtolo*; quod vere *blaſpheme* etiam dici contendit *Chryſoſtomus*. d) Recte hinc *Cajetanus*, e) merito laudatus à *Cornel. à Lapide*, f) *intellige*, inquit, quod *ſecundum ſanam veramq; doctrinam, peccata non ſunt eligenda ut media ad quemcunq; bonum finem: quia ſuapte natura peccato repugnat, quod ſit eligibile. Et propterea nec propter ſe, nec propter aliud, bonum eſt eligibile.* Et nonnullis interjectis addit: *Eadem doctrina, qua horremus facere mala ut eveniant bona, eadem horrere debemus facere mala, ut evitemus pejora. Evitare enim pejora quoddam bonum eſt, & multo minus bonum, quam evenire bonum. Et propterea ſi propter bonum non eſt faciendum malum, neceſſario ſequitur, quod nec propter vitandum majus malum.* Inculcant hoc ipſi Gentilium ſapientes, *Ariſtoteles*, g) quem ſupra audivimus; *Seneca*, h) negans *id ſemper eſſe ignoſcendum, quod alicui neceſſe fuit facere: quod ad quædam nulla debeat neceſſitas compellere.* Talium enim natu-

a) *Geneſ.* 39. 20.
b) *l. c.* v. 9.
c) *Rom.* 3. 8.
d) *Homil. h. l.*
e) *Comm. ad l. c.*
f) *Comm. ad Rom.* 3. 8.
g) 3. *Ethic. c.* 1.
h) *Controv. III.* 17.

tu-

turam cum neceſſitas non immutet, nec facit ut adulterium tale non ſit, nec fornicatio, ſub iiſdem circumſtantiis non fornicatio; nec à tali actu ſeparare poterit malitiam moralem, cui hæc intrinſece inhæret: Quare nec ſine peccato committentur. i) Maluit certe Joſephus carceres, imo ſi caſus ita tuliſſet, vitæ jacturam, quam ſtupri conſuetudinem cum heri uxore eligere. k) Viri etiam boni officium præſtitit Papinianus, qui, ut *Spartianus* l) autor eſt, mori & occidi maluit, quam à Baſſiano *commiſſum*, fratre Geta cæſo, *parricidium excuſare.* Improbat hinc B. *Auguſtinus* m) factum illarum fœminarum, quæ, ut tempore perſecutionis, vel hoſtilis invaſionis, inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, voluntariam ſubierunt mortem. *Hoc dicimus*, inquit, *hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum.* De quo caſu infra rurſus.

i) *Sayr. Theſ. Caſ. Conſc. Clav. reg. l. 2. c. 2. n. 8.*

k) *Geneſ. 39. 8.*

l) *Sever. Imp. c. 21.*

m) *1. de Civit. Dei c. 26.*

§. 21. Non minus VI. ut neceſſitas jus agendi licite largiatur, *ne* agendo quid *contra jus ſuperioris* vel *paris* committatur, niſi vel hic de illo cedere legitime præſumi, vel caſus neceſſitatis exceptus eſſe cenſeri poſſit. Et quod Groningenſes expreſſo pacto feciſſe, Geldrorum ſcriptor *Pontanus* a) memoriæ prodidit, ſpondendo Henrico Geldro, & hæredibus ejus, *fidem, obſequium, officia omnia ſolita*

a) *Hiſt. Gelr. l. 11. p. 578.*

litæ bonis ſubditis, niſi vi majori, *ac neceſſita-adacti aliter facere cogerentur* ; id tacita cor-tineri & naturali exceptione alij contendunt

b) *Not. in Grot.* 2. 6. 5. *ſq.*

Feldeno b) licet videatur, *parti jus non eſſe re-cedendi a ſocietate, ſi tentetur id eo tempore quando ſocietati infligitur damnum: ſi quid e-neceſſitate fit, non quidem juſte fieri, ſed veniam mereri facientem.* Cui etſi *Graſvvinckelius* c)

c) *Strict. contra Feld. l. c. p.* 130.

ſufficienter non reſpondet, exiſtimans, *inju-ſtum eſſe non poſſe, quod fit neceſſario*: Rectius tamen contra *Feldenum* aſſeritur, niſi ex cir-cumſtantiis & natura rei, atque negotij, aliud colligatur, illa quæ ſunt inſtituti & pacti hu-mani, habere exceptionem impoſſibilitatis moralis, nec per ſe includere pereundi ne-ceſſitatem ; quidquid ſit de periculo mortis, ad quod ſubeundum homines obligari poſſe dubio caret. Illud quoque non minus con-troverſiæ habet, *Vaſquio* d) licet id negare pla-cuerit, an poſſit civitas corporis ſui partem quandam, oppida, vel etiam provincias, pu-blica ſic urgente neceſſitate & utilitate, alie-nare irrevocabiliter, niſi annuat; quem *Gro-tius* e) ſequitur, contendens, *neceſſitatem quæ ad jus naturæ rem reducit, hic locum habere non poſſe, cum in eo jure alienandi jus non com-prehendatur, quod facto humano introductum eſt, atq; ideo inde menſuram accipit.* Verum niſi expreſſo pacto cives de non alienando ſibi conſuluerunt, niſi in alienationem prius conſentiant, ex libera & illimitata agendi fa-cul-

d) *Controv. Ill. l.* 1. *c.* 4. *n.* 4.

e) *I. B. P.* 2. 6. 4. *ſqq.*

Digitized by Google

cultate quæ ſalus publica exigit, quam habent illi penes quos eſt τὸ κύειον, recte colligit *Conringius*, f) ſequi jus, ut, ſi hæc neceſſitas *poſtulaverit partis alienationem, inſtituere illam imperantes poſſint ex ſuo arbitratu*: Id quod in herilibus imperiis manifeſte verum eſſe idem monet. Nec jus alienandi ipſum facto humano tantum introductum eſt, continetur enim in jure ſe atque ſua ſervandi, quod naturale eſſe, ipſe *Grotius* g) agnovit: Exercitium eſt id, quod ex facto humano menſuram nonnunquam accipit, quod tamen jura neceſſitatis tollere non præſumitur. Sæpius in Germania quæſtionis hujus uſus apparuit, etiam in Pacificatione Weſtphalica, memorante *Autore Hiſtor. Pacis Gallo Suecicæ Weſtphalicæ.* h)

f) *de Fin. Imper. c. 19. p. 349.*

g) *l. B. P. 2. 6. 5.*

h) *l. 3. n. 17. p. 258. l. 4. n. 62. p. 505.*

§. 22. Quando itaque ſuperior, vel par, de jure ſuo cedere non poteſt, cedere etiam non debet, cedere denique etiam ex juſtis non vult cauſis, licite contra agendi neceſſitas facultatem non concedit. Ita cum DEUS ſeipſum abnegare nequeat, nec ab obligatione debiti ſibi veri, ſanctique cultus, liberos morales pronunciare poſſit, nulla hinc tanta unquam dari poteſt, dabiturque neceſſitas, quæ evitandæ mortis cauſa veram religionem abnegare, ſupremum & ſanctiſſimum Numen conviciis proſcindere, illique debitum cultum omittere, concedat; fuerint licet apud *Lactantium* a) idololatræ, qui *ſtultos eſſe* Chri-

a) *l. 5. de juſt. c. 13.*

Chriſtianos arbitrati ſunt, qui cum habeant in ſua poteſtate ſupplicia vitare, cruciari tamen, & emori maluerunt. Hanc impietatem, non-
b) *H. E. l. 6. c. 37.* nullis etiam hæreticis, ceu ex *Euſebio*, b) *Epi-*
phanio, c) & aliis conſtat, probatam, Chriſtus
c) *hæreſ.* 19. d) *Matth.* 8. 33. ipſe damnat: d) *Quiſquis me abnegaverit coram hominibus, eum ego quoq; abnegabo coram patre meo, qui eſt in cœlis &c.* Ne dicam, quod alia occaſione etiam docuerit Salvator φιλάνθρωπος, dato iſto caſu, neceſſitatem in-
e) *Luc.* 9. 24. columitatis cedere neceſſitati honeſtatis, e) dicendo: Ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· Ὃς δ᾽ ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώσει αὐτήν, *quiſquis voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam; quiſquis vero perdiderit animam ſuam propter me, hic inveniet eam.* Similiter cum in pari neceſſitate cum altero quis eſt conſtitutus, uti in pari cauſa poſſidentis ſemper melior eſt condi-
f) *Grot. l. B. P.* 2. 2. 8. tio, f) uti hic de jure ſuo cedere non tenetur, ceu jure prior, ita alteri neceſſitas facultatem agendi adverſus iſtius jura non largitur. Unde ſi vel maxime verum eſſet, quod, uti fingunt, in graviſſima neceſſitate reviviſceret jus illud priſtinum rebus utendi, ac ſi manſiſſent communes, minime tamen neceſſitas egenti in res alterius, qui pari premitur neceſſitate, illas occupandi, & in uſus neceſſarios convertendi, jus aliquod permitteret. Ita cum alteri innocenti nocere non licet; ſi damnum, quod ex neceſſitate extrema datum

eſt,

Digitized by Google

eſt, gravitate & præſentia periculi ſic urgente, ſine pravo affectu urgente, ex ſe compenſari poteſt, veniam equidem ob iñocens propoſitum factum merebitur, cum infortunium potius, quam injuſtitia dici debeat, & in priſtinum ſtatum res reſtitui poſſit; certe ſpes ut ſic fiat, eſſe queat: quod ſi vero damnum datum, vita v. c. ablata reſtitui non poſſit, actione abſtinere decet, nec excuſabit in totum neceſſitas. Innocentem ergo, qui interpoſitus ſine ſua culpa fugam, ſine qua mors evadi non poteſt, impedit, transfodere aut obterere non licet; cum, ut fugiens, vitam ſervet, innocens interpoſitus ſuam profundere non teneatur. Negat etiam *Lactantius*, g) *juſti eſſe, ſi facto naufragio imbecilliorem viribus, qui tabulam cepit, inde deturbat, ut ipſe conſcendat, eaq; nixus evadat, cui alias pereundum, niſi fecerit; vel ſi, cum aciem ſuorum hoſtes inſequi cœperint, & ille nactus fuerit aliquem ſaucium equo inſidentem, ex equo hunc dejicit, ut ipſe hoſtem poſſit effugere*: In pari enim cauſa, melior eſt conditio poſſidentis.

g) *l. 5. c. 17.*

§. 23. Jus hoc neceſſitatis VII. *non* eſt *ultra neceſſitatem* extendendum, ita ut quicquid ultra veram ſit neceſſitatem, ad id facultatem agendi nullam fuiſſe cenſeri debeat. Ex neceſſitate enim jus hoc ſuam accipit menſuram. Hanc quicquid excedit, pro illicito, ſi ceu ex neceſſitatis jure factum defendi velit, habendum. Frequenter tamen contin-

tingit, ut facto ex avaritia, crudelitate, rabie quadam, & furore mentis exacerbatæ, ambitione etiam, cui alias ſatisfieri non poteſt, vindictæ item libidine commiſſo, per ſtratagema politicum neceſſitatis nomen prætendatur. *Præceps in avaritiam & crudelitatem animus* Hannibalis, apud *Livium*, a) *ad ſpolianda quæ tueri nequibat, ut vaſtata hoſti relinquerentur, inclinavit*, ex judicio Hiſtorici, *fœdo conſilio*. Nimirum, quod recte monuit *Bœclerus*, b) *ſæpius jactatur apud bellantes titulus neceſſitatis, ut Grotius, aut ratio belli, ſicut hodie loquuntur.* Et nonnullis interjectis: *Nihil illo titulo, & ſimulacro juris frequentius: ſed altum de limitibus poſitis, & temperamento æquitatis ſilentium. Neque enim vel juriſdictio, vel fructus, vel neceſſitatis obtentu, facta rerum commutatione, ceſſante, reſtitutio verum dominum ſequuntur. Ut ab hoſtibus capta, non niſi finito bello, & interventu pactionis reddi videmus, quamvis pacato in ſolo occupata.*

a) *l.* 26.

b) *Diſſert. Grot.* 5. *pag.* 215.

§. 24. Denique VIII. ut de innocenti propoſito agens ex neceſſitatis impulſu, & quod ſine dolo omni, culpaque ſua rem gerat, teſtetur, ſi ſibi conſulendo difficultatibus, quibus premebatur, damnum aliquod alteri dedit, vel alicujus damni cauſa indirecte etiam fuit, id *reſarcire* debet. Etſi enim *injuſtitiæ* notam talis agens facto ſuo non inurat, orta tamen inæqualitas, vel jurium alienorum diminutio, corrigenda, & ad æqualitatem re-

du-

Digitized by Google

ducenda eſt, ne ex aliena jacturâ lucrum talis quæſiviſſe argui poſſit; cum *Cicerone* a) monente, *hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, contra naturam ſit.* a) 3. *Offic.*

§. 25. Cæterum quod attinet divinas leges, quæ dato neceſſitatis caſu obſtant, vel obſtare creduntur, quo minus adverſus eandem in iſta conſtituti quacunque ſibi conſulant ratione, cum non omnium eadem ſit ratio, non etiam, dato tali rerum ſtatu difficili, omnium eſt obligatio. *Grotio* a) cenſente, *etiam leges DEI quadam, quanquam generaliter prolatæ, tacitam habent exceptionem ſummæ neceſſitatis*: quod probatur exemplo legis *de Sabbatho*, & *de non edendis panibus propoſitionis*: *Non quod DEO jus non ſit ad certam mortem ſubeundam nos obſtringere, ſed quod leges quædam ejus ſint argumenti, ut non credibile ſit, datas ex tam rigida voluntate.* Cum vero leges divinæ aliæ ſint naturales, ſeu morales, aliæ poſitivæ, ſeu voluntariæ, quæ naturalibus præceptis contradiſtinctæ dividuntur in *Ceremoniales & Forenſes*; quæ, qualiſque ſit obligatio legum naturalium, ſeu moralium, dato neceſſitatis caſu, præprimis quæritur. *Gregorius Sayrus*, b) Anglus, negat *omnes leges naturales obligare cum diſcrimine vitæ, ut patet in lege naturali de ſatisfaciendo creditori, aut de depoſito reddendo, cum periculo vitæ. Cum enim maximum bonum ſit vita humana, jus naturale dictare* ait, *non teneri hominem vitam exponere*

a) *I. B. P. l.* 4. 7.

b) *Theſ. Caſ. Conſc. ſ. Clav. Reg. l.* 3. *c* 7. *ſ.* 154. *n.* 34.

Digitized by Google

diximus, modo diſputavimus, intelligi etiam debent ratione neceſſitatis; ne ſcilicet vi & impulſu neceſſitatis agens, ſua culpa in illam inciderit, cujus etiam pœnas luit, ſubeundo iſtas anguſtias, in quas ſe conjecit. Hoc qui facit, à neceſſitate, in quam ſic ſua culpa lapſus eſt, parum juris ad talia facta, quæ vera alias neceſſitas, quæ omni dolo & culpa caret, permittit, ſibi polliceri poteſt,
a) *Exhort. ad caſtitat. f.* 562. ceu ex *Tertulliano* a) ſupra audivimus, dolum licet illa non includat. Ubi enim voluntas agentis culpæ alicujus argui poteſt, ibi non eſt plane innocens; nec actio tum cenſeri
b) *l. 5. Ethic. c.* 9. poteſt ab omni culpa libera. *Ariſtoteli* b) dicitur *ἁμάρτημα.* Ὅταν, inquit, *μὴ παραλόγως, ἄνευ δὲ κακίας, ἁμάρτημα, quando non inopinato,*
c) *I. B. P. III.* 11. 4. *ſed non tamen malitioſe,* h. e. *Grotio* c) interprete, *ſic ut expectari ac praevideri aliquo modo potuerit, ſed non improbo animo, culpa erit aliqua.* Unde & occaſiones peccandi vitandæ,
d) *Gen.* 39. 10. Joſephi exemplo. d)

§. 19. Præterea quæ caſus neceſſitatis ceu licita permittit, vel permittere creditur, IV. ita debent eſſent comparata, ut ad difficultates ſuperandas *medii unici* habeant ratio-
a) *Iohann. Schmid. Com. in Ion. l. c. p.* 707. *in Loc. Mor. n.* 31.
b) *Ion.* 1. nem; ut emiſſio Jonæ ex nave in mare, a) ad ſedandam tempeſtatem, ſic DEO ordinante. b) Quæcunque enim alia ratione expediri poſſunt, non creduntur neceſſaria, quæ ſunt ad unum modum agendi determinata, nec aliter fieri poſſunt. Negat hinc Demoſthenes, providus Athenienſium Dux, apud

Thu-

Thucydidem, c) *periculum ſubeuntes in neceſſitate debere videri intelligentes, reputando omnes quæ ipſos circumſtant difficultates.* Ὅσα γὰρ ἐς ἀνάγκην ἀφῖκται, ὥσπερ τάδε, λογισμὸν ἥκιστα ἐνδεχόμενα, κινδύνου τοῦ ταχίστου προσδεῖται, *quæcunq; enim in neceſſitatem devenerunt, ea minimam rationem, celerrimum periculum deſiderant.* Ita cædes invaſoris juſta creditur, quando vis ejus vitam alterius petens, non aliter eſt declinabilis; vel ſecuritati tutius conſuli aliter non poteſt. Ex qua ratione etiam jure divino cædes furis nocturni permiſſa fuit. d) Contumelia autem ex accepta alapa, verbere, percuſſione quæ fit fuſte, cum aliter vindicari, & honor læſus reparari poſſit, quam cæde invaſoris, illius interficiendi neceſſitatem nondum dari, contendimus ex jure divino, à Chriſto e) explicato, contra *Leſſium,* f) *Eſcobar.* g) *Victoriam,* h) & alios, quibus melius ſapit *Lugo,* i) cui ejuſmodi occiſio non defenſio, ſed *vindicta privata* dicitur. Sic in bello etiam contra feroces, & incorrigibiliter crudeles hoſtes, non aliud efficacius haud raro medium eſſe creditur, quam ſi ſua exempla pati coguntur. Ita *Florus* k) eventum belli Thracij enarrans, *non aliter,* inquit, *cruentiſſimi hoſtium, quam ſuis moribus domiti, quippe in captivos igne, ferroq; ſævitum eſt.*

§. 20. Obſervandum V. quod ex neceſſitate nil facere liceat, quod *intrinſece malum* eſt, jurique naturali repugnat. Cujuscun-

c) *l.* 4. *bell. Pelop. f.*124.

d) *Exod.* 22. 2.

e) *Matth.* 5. 39.

f) *l.* & *l. I.* 2. *c.* 9. *dub.* 12. *n.* 79.

g) *Theol. Moral. Tr.* 1. *Exam.* 7. *c.* 3. *q.* 47.

h) *Relect. de jur. bel. n.* 5.

i) *de I.* & *I.* *t.* 1. *diſp.* 10. *ſ.* 10. *n.* 189. *ſeq.*

k) *hiſt. l.* 3. *c.* 4.

Digitized by Google

cunque neceſſitatis impulſu, adulterium, furtum, ſcortatio, homicidium innocentis, & ſimilia committantur, atque comiſſa fuerint, ſive peccato nunquam committuntur. Carceres proin præferre maluit Joſephus inhoneſto heræ ſuæ favori, & amicitiæ, a) quod ſi iſtud *malum* adulterij *feciſſet*, *DEO peccaturus foret*, b) carceris licet, imo mortis, vitandi cauſa id commiſiſſet. *Nunquam enim facienda ſunt mala, ut inde eveniant bona*, c) monente *Apoſtolo*; quod vere *blaſpheme* etiam dici contendit *Chryſoſtomus*. d) Recte hinc *Cajetanus*, e) merito laudatus à *Cornel. à Lapide*, f) *intellige*, inquit, quod *ſecundum ſanam veramq; doctrinam, peccata non ſunt eligenda ut media ad quemcunq; bonum finem: quia ſuapte natura peccato repugnat, quod ſit eligibile. Et propterea nec propter ſe, nec propter aliud, bonum eſt eligibile.* Et nonnullis interjectis addit: *Eadem doctrina, qua horremus facere mala ut eveniant bona, eadem horrere debemus facere mala, ut evitemus pejora. Evitare enim pejora quoddam bonum eſt, & multo minus bonum, quam evenire bonum. Et propterea ſi propter bonum non eſt faciendum malum, neceſſario ſequitur, quod nec propter vitandum majus malum.* Inculcant hoc ipſi Gentilium ſapientes, *Ariſtoteles*, g) quem ſupra audivimus; *Seneca*, h) negans *id ſemper eſſe ignoſcendum, quod alicui neceſſe fuit facere: quod ad quædam nulla debeat neceſſitas compellere.* Talium enim natu-

a) *Geneſ.* 39. 20.
b) *l. c.* §. 9.
c) Rom. 3. 8.
d) *Homil. h. l.*
e) *Comm. ad l. c.*
f) *Comm. ad* Rom. 3. 8.
g) 3. *Ethic. c.* 1.
h) *Controv.* *Ill.* 17.

Digitized by Google

turam cum neceſſitas non immutet, nec facit ut adulterium tale non ſit, nec fornicatio, ſub iiſdem circumſtantiis non fornicatio; nec à tali actu ſeparare poterit malitiam moralem, cui hæc intrinſece inhæret: Quare nec ſine peccato committentur. i) Maluit certe Joſephus carceres, imo ſi caſus ita tuliſſet, vitæ jacturam, quam ſtupri conſuetudinem cum heri uxore eligere. k) Viri etiam boni officium præſtitit Papinianus, qui, ut *Spartianus* l) autor eſt, mori & occidi maluit, quam à Baſſiano *commiſſum*, fratre Geta cæſo, *parricidium excuſare.* Improbat hinc B. *Auguſtinus* m) factum illarum fœminarum, quæ, ut tempore perſecutionis, vel hoſtilis invaſionis, inſectatores ſuæ pudicitiæ devitarent, voluntariam ſubierunt mortem. *Hoc dicimus*, inquit, *hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere graviſſimum proprium, quem non polluebat alienum.* De quo caſu infra rurſus.

i) *Sayr. Theſ. Caſ. Conſc. Clav. reg. l. 2. c. 2. n. 8.*
k) *Geneſ.* 39. 8.
l) *Sever. Imp. c.* 21.
m) 1. *de Civit. Dei c.* 26.

§. 21. Non minus VI. ut neceſſitas jus agendi licite largiatur, *ne* agendo quid *contra jus ſuperioris*, vel *paris* committatur, niſi vel hic de illo cedere legitime præſumi, vel caſus neceſſitatis exceptus eſſe cenſeri poſſit. Et quod Groningenſes expreſſo pacto feciſſe, Geldrorum ſcriptor *Pontanus* a) memoriæ prodidit, ſpondendo Henrico Geldro, & hæredibus ejus, *fidem, obſequium, officia omnia ſolita*

a) *Hiſt. Gelr. l.* 11. *p.* 578.

lit.: bonis ſubditis, niſi vi majori, *ac neceſsitate adacti aliter facere cogerentur*; id tacita contineri & naturali exceptione alij contendunt: *Feldeno* b) licet videatur, *parti jus non eſſe recedendi a ſocietate, ſi tentetur id eo tempore, quando ſocietati infligitur damnum: ſi quid ex neceſsitate fit, non quidem juſte fieri, ſed veniam mereri facientem.* Cui etſi *Graſvvinckelius* c) ſufficienter non reſpondet, exiſtimans, *injuſtum eſſe non poſſe, quod fit neceſſario*: Rectius tamen contra *Feldenum* aſſeritur, niſi ex circumſtantiis & natura rei, atque negotij, aliud colligatur, illa quæ ſunt inſtituti & pacti humani, habere exceptionem impoſſibilitatis moralis, nec per ſe includere pereundi neceſſitatem; quidquid ſit de periculo mortis, ad quod ſubeundum homines obligari poſſe dubio caret. Illud quoque non minus controverſiæ habet, *Vaſquio* d) licet id negare placuerit, an poſſit civitas corporis ſui partem quandam, oppida, vel etiam provincias, publica ſic urgente neceſſitate & utilitate, alienare irrevocabiliter, niſi annuat; quem *Grotius* e) ſequitur, contendens, *neceſſitatem quæ ad jus naturæ rem reducit, hic locum habere non poſſe, cum in eo jure alienandi jus non comprehendatur, quod facto humano introductum eſt, atq; ideo inde menſuram accipit.* Verum niſi expreſſo pacto cives de non alienando ſibi conſuluerunt, niſi in alienationem prius conſentiant, ex libera & illimitata agendi facul-

b) *Not. in Grot.* 2. 6. 5. *ſq.*

c) *Strict. contra Feld. l. c. p.* 130.

d) *Contro. ill. l.* 1. *c.* 4. *n.* 4.

e) *I. B. P.* 2. 6. 4. *ſqq.*

cultate quæ ſalus publica exigit, quam habent illi penes quos eſt τὸ κύειον, recte colligit *Conringius*, f) ſequi jus, ut, ſi hæc neceſſitas *poſtulaverit partis alienationem, inſtituere illam imperantes poßint ex ſuo arbitratu*: Id quod in herilibus imperiis manifeſte verum eſſe idem monet. Nec jus alienandi ipſum facto humano tantum introductum eſt, continetur enim in jure ſe atque ſua ſervandi, quod naturale eſſe, ipſe *Grotius* g) agnovit: Exercitium eſt id, quod ex facto humano menſuram nonnunquam accipit, quod tamen jura neceſſitatis tollere non præſumitur. Sæpius in Germania quæſtionis hujus uſus apparuit, etiam in Pacificatione Weſtphalica, memorante *Autore Hiſtor. Pacis Gallo Suecicæ Weſtphalicæ*. h)

f) *de Fin. Imper. c.* 19. *p.* 349.

g) *l. B. P.* 2. 6. 5.

h) *l.* 3. *n.* 17. *p.* 258. *l.* 4. *n.* 62. *p.* 505.

§. 22. Quando itaque ſuperior, vel par, de jure ſuo cedere non poteſt, cedere etiam non debet, cedere denique etiam ex juſtis non vult cauſis, licite contra agendi neceſſitas facultatem non concedit. Ita cum DEUS ſeipſum abnegare nequeat, nec ab obligatione debiti ſibi veri, ſanctique cultus, liberos morales pronunciare poſſit, nulla hinc tanta unquam dari poteſt, dabiturque neceſſitas, quæ evitandæ mortis cauſa veram religionem abnegare, ſupremum & ſanctiſſimum Numen conviciis proſcindere, illique debitum cultum omittere, concedat; fuerint licet apud *Lactantium* a) idololatræ, qui *ſtultos eſſe*

a) *l.* 5. *de juſt. c.* 13.

Chri-

Chriſtianos arbitrati ſunt, qui cum habeant in ſua poteſtate ſupplicia vitare, cruciari tamen, & emori maluerunt. Hanc impietatem, non-
b) *H. E. l.* 6. nullis etiam hæreticis, ceu ex *Euſebio,* b) *Epi-*
c. 37. *phanio,* c) & aliis conſtat, probatam, Chriſtus
c) *hæreſ.* 19. ipſe damnat: d) *Quiſquis me abnegaverit co-*
d) *Matth.* 8. 33. *ram hominibus, eum ego quoq; abnegabo coram patre meo, qui eſt in cœlis &c.* Ne dicam, quod alia occaſione etiam docuerit Salvator φιλάνθρωπος, dato iſto caſu, neceſſitatem in-
e) *Luc.* 9. columitatis cedere neceſſitati honeſtatis, e)
24. dicendo: Ὃς γὰρ ἂν θέλῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ σῶσαι, ἀπολέσει αὐτήν· Ὃς δ᾽ ἂν ἀπολέσῃ τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἕνεκεν ἐμοῦ, οὗτος σώσει αὐτήν, *quiſquis voluerit animam ſuam ſervare, perdet eam; quiſquis vero perdiderit animam ſuam propter me, hic inveniet eam.* Similiter cum in pari neceſſitate cum altero quis eſt conſtitutus, uti in pari cauſa poſſidentis ſemper melior eſt condi-
f) *Grot. l. B. P.* 2. 2. 8. tio, f) uti hic de jure ſuo cedere non tenetur, ceu jure prior, ita alteri neceſſitas facultatem agendi adverſus iſtius jura non largitur. Unde ſi vel maxime verum eſſet, quod, uti fingunt, in graviſſima neceſſitate reviviſceret jus illud priſtinum rebus utendi, ac ſi manſiſſent communes, minime tamen neceſſitas egenti in res alterius, qui pari premitur neceſſitate, illas occupandi, & in uſus neceſſarios convertendi, jus aliquod permitteret. Ita cum alteri innocenti nocere non licet; ſi damnum, quod ex neceſſitate extrema datum

eſt,

eſt, gravitate & præſentia periculi ſic urgente, ſine pravo affectu urgente, ex ſe compenſari poteſt, veniam equidem ob iñocens propoſitum factum merebitur, cum infortunium potius, quam injuſtitia dici debeat, & in priſtinum ſtatum res reſtitui poſſit; certe ſpes ut ſic fiat, eſſe queat: quod ſi vero damnum datum, vita v. c. ablata reſtitui non poſſit, actione abſtinere decet, nec excuſabit in totum neceſſitas. Innocentem ergo, qui interpoſitus ſine ſua culpa fugam, ſine qua mors evadi non poteſt, impedit, transfodere aut obterere non licet; cum, ut fugiens, vitam ſervet, innocens interpoſitus ſuam profundere non teneatur. Negat etiam *Lactantius*, g) *juſti eſſe, ſi facto naufragio imbecilliorem viribus, qui tabulam cepit, inde deturbat, ut ipſe conſcendat, eaq; nixus evadat, cui alias pereundum, niſi fecerit; vel ſi, cum aciem ſuorum hoſtes inſequi cœperint, & ille nactus fuerit aliquem ſaucium equo inſidentem, ex equo hunc dejicit, ut ipſe hoſtem poßit effugere*: In pari enim cauſa, melior eſt conditio poſſidentis.

g) *l. 5. c. 17.*

§. 23. Jus hoc neceſſitatis VII. *non eſt ultra neceßitatem* extendendum, ita ut quicquid ultra veram ſit neceſſitatem, ad id facultatem agendi nullam fuiſſe cenſeri debeat. Ex neceſſitate enim jus hoc ſuam accipit menſuram. Hanc quicquid excedit, pro illicito, ſi ceu ex neceſſitatis jure factum defendi velit, habendum. Frequenter tamen con-

tin-

tingit, ut facto ex avaritia, crudelitate, rabie quadam, & furore mentis exacerbatæ, ambitione etiam, cui alias ſatisfieri non poteſt, vindictæ item libidine commiſſo, per ſtratagema politicum neceſſitatis nomen prætendatur. *Præceps in avaritiam & crudelitatem animus* Hannibalis, apud *Livium*, a) *ad ſpolianda quæ tueri nequibat, ut vaſtata hoſti relinquerentur, inclinavit*, ex judicio Hiſtorici, *fœdo conſilio*. Nimirum, quod recte monuit *Bœclerus*, b) *ſæpius jactatur apud bellantes titulus neceſſitatis, ut Grotius, aut ratio belli, ſicut hodie loquuntur.* Et nonnullis interjectis: *Nihil illo titulo, & ſimulacro juris frequentius: ſed altum de limitibus poſitis, & temperamento æquitatis ſilentium. Neque enim vel juriſdictio, vel fructus, vel neceſſitatis obtentu, facta rerum commutatione, ceſſante, reſtitutio verum dominum ſequuntur. Vt ab hoſtibus capta, non niſi finito bello, & interventu pactionis reddi videmus, quamvis pacato in ſolo occupata.*

a) *l.* 26.

b) *Diſſert. Grot.* 5. *pag.* 215.

§. 24. Denique VIII. ut de innocenti propoſito agens ex neceſſitatis impulſu, & quod ſine dolo omni, culpaque ſua rem gerat, teſtetur, ſi ſibi conſulendo difficultatibus, quibus premebatur, damnum aliquod alteri dedit, vel alicujus damni cauſa indirecte etiam fuit, id *reſarcire* debet. Etſi enim *injuſtitiæ* notam talis agens facto ſuo non inurat, orta tamen inæqualitas, vel jurium alienorum diminutio, corrigenda, & ad æqualitatem redu-

Digitized by Google

ducenda eſt, ne ex aliena jacturâ lucrum talis quæſiviſſe argui poſſit; cum *Cicerone* a) monente, *hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, contra naturam ſit.* a) 3. *Offic.*

§. 25. Cæterum quod attinet divinas leges, quæ dato neceſſitatis caſu obſtant, vel obſtare creduntur, quo minus adverſus eandem in iſta conſtituti quacunque ſibi conſulant ratione, cum non omnium eadem ſit ratio, non etiam, dato tali rerum ſtatu difficili, omnium eſt obligatio. *Grotio* a) cenſente, *etiam leges DEI quadam, quanquam generaliter prolatæ, tacitam habent exceptionem ſummæ neceſſitatis*: quod probatur exemplo legis *de Sabbatho*, & *de non edendis panibus propoſitionis*: *Non quod DEO jus non ſit ad certam mortem ſubeundam nos obſtringere, ſed quod leges quædam ejus ſint argumenti, ut non credibile ſit, datas ex tam rigida voluntate.* Cum vero leges divinæ aliæ ſint naturales, ſeu morales, aliæ poſitivæ, ſeu voluntariæ, quæ naturalibus præceptis contradiſtinctæ dividuntur in *Ceremoniales & Forenſes*; quæ, qualiſque ſit obligatio legum naturalium, ſeu moralium, dato neceſſitatis caſu, præprimis quæritur. *Gregorius Sayrus*, b) Anglus, negat *omnes leges naturales obligare cum diſcrimine vitæ, ut patet in lege naturali de ſatisfaciendo creditori, aut de depoſito reddendo, cum periculo vitæ.* *Cum enim maximum bonum ſit vita humana, jus naturale dictare* ait, *non teneri hominem vitam expo-*

a) *I. B. P. I. 4. 7.*

b) *Theſ. Caſ. Conſc. ſ. Clav. Reg. l. 3. c. 7. ſ. 154. n. 34.*

Digitized by Google

nere pro legis cujuſcunq; naturalis obſervatione, niſi aliunde obſtaret aliud maximum malum. Vnde etiam in extrema neceſſitate putat *licitum eſſe accipere rem alienam invito domino.* Verum ſupra jam monuimus, leges naturales & morales, interpretatio illarum modo recta & bona ſit, æternæ eſſe obligationis, & proinde, cum nulla neceſſitas, nullum periculum ab earum obligatione, in quantum ſcil. obligant, ſolvat, mortem potius eſſe ſubeundam, &, ſi ordinem moralem ſpectamus, in periculo, non niſi peccati commiſſione evitabili, pereundum. Quæ enim hoc jure prohibita ſunt, *non ex hypotheſi tantum mandati divini ſunt vitia, ſic ut DEVS aliter ea potuiſſet præcipere*, uti *Szydlovius* c) fingit, ita ut quæ *Vaſquij* d) eſt opinio, *eo ipſo quod DEVS dediſſet, bonum id præceptum fuiſſet futurum*; ſed, ceu alibi e) explicatur, ita ſe habent, ut manente eodem objecti ſtatu, fieri nequeat, nec autoritate divina concedi, ut aliquid ab hominibus citra crimen & peccatum aliter, vel contra tractetur, quam lex naturæ exigit.

c) *Vind. qq. diffic. c. 8.*
d) *Controv. ill. 1. 27. n. 11.*
e) *de Orig. I. N. art. ult.*

§. 26. Variat tamen interim Legum naturalium ratio. Cum enim ordo rerum detur, circa quas LL. naturales præcipiendo & prohibendo verſantur, quæ diverſis circumſtantiis diverſimode afficiuntur, ex ratione conditionum, & circumſtantiarum moralium potiorum, vel minus talium, actionum quoque certus ordo oritur. Unde uti minus potio-

res

res circumſtantiæ, potioribus & nobilioribus datis, quieſcunt; ita quoque actiones, quæ circa objecta minus nobilia, vel etiam neceſſaria, circumſtantiis etiam minus potioribus veſtita, occupantur, licet alias J. N. ſint præceptæ, quando ſunt incompoſſibiles cum actionibus, LL. naturalibus itidem mandatis, quæ verſantur circa objecta nobiliora, digniora, vel etiam magis neceſſaria, potioribus item veſtita circumſtantiis, in hac colliſione illis cedunt, illarumque exercitium, ceu nondum datis omnibus ad agendum requiſitis, ſuſpenditur. Ita ſi Princeps tuus injuſte invadendo in extremum te vitæ conjicit periculum, in quo pereundum, niſi vim vi repellas; vel ſi invaſor ſortis vilioris corpus impetat vi præſente, cum certo vitæ diſcrimine, hoc neceſſitatis caſu, imminente Principe rectius ſequeris Nicolai Sturij exemplum, apud *Loccenium*, a) qui *pugionem, quo in ipſo carceris cubiculo* ab Erico Suecorum rege *transfixus fuerat, è vulnere eductum cum oſculi veneratione* Principi ſuo reddidit, quem *ſine peccato occidere non potuerat*: b) Contra alium vero aggreſſorem defenſio erit conceſſa, etiam, ſi ita neceſſe, cum inſultatoris cæde.

a) *Hiſtor. Suec. l. 7. p. 372.*

b) *Grot. l. 2. P. II. 1.9.*

§. 27. Quod vero attinet leges naturales *de ſatisfaciendo creditori, aut depoſito reddendo*, quas *non obligare cum diſcrimine vitæ Sayrus* ait, verum id equidem eſt; ſed non ob rationem *Sayri*, vel quaſi neceſſitatis caſu le-

ges naturales non amplius obligarent, ut ante, vel diſpenſatio aliqua interveniret; verum partim quia in objecto aliqua contigit mutatio, quæ facit, ut deſinat quoque tamdiu eſſe objectum legis, non ad quaſvis circumſtantias, ſed ad certas tantum, nec ad omne, ſed ad certum tantum tempus obligantis, niſi ſc. cauſæ magis honeſtæ, neceſſariæ, & utiles impediant. Nam & leges naturales hanc admittunt interpretationem, & æquitatem, quando ob caſuum diverſitatem ipſæ leges inter ſe collidi videntur, ut præferri & obſervari debeat, quod rationes habet magis honeſtas, neceſſarias & utiles. Unde cum conſervatio vitæ ſit magis neceſſaria & utilis, quam debiti ſolutio, quæ cum juſte prohiberi, tum differri, & alio etiam tempore fieri poteſt; ſi ob eam præſtandam, vel præſtitam, vitæ diſcrimen ſit ſubeundum, cum lex naturalis, quæ creditori alias ſatisfacere præcipit, id ſub talibus circumſtantiis non præcipiat. Ita quod attinet *depoſitum*, in naturæ LL. peccaſſe illum trapezitam Siculum, cujus mentionem facit *Conon*, a) & peccare, qui λαβὼν, τὴν παρακαταθήκην ὁμολογεῖ μὲν λαβεῖν, διατείνετο δ' ἀποδεδωκέναι, *depoſitum accipiens, id equidem ſe accepiſſe non negat, reddidiſſe vero contendit*, dubium non eſt; interim magis honeſta & utilis dari poteſt cauſa, quæ depoſitum reddendum eſſe negat. *Multa* nimirum, ut *Cicero* b) etiam loquitur, *quæ natura honeſta* *eſſe*

a) *Narrat.* 38.

b) *l. 3. Offic.*

eſſe videntur, temporibus fiunt non honeſta. Facere promiſſa, ſtare conventis, reddere depoſita, commutata utilitate fiunt non honeſta.

§. 28. Quando itaque, dato neceſſitatis caſu, leges naturales actiones, ad iſtas difficultates ſuperandas unice neceſſarias creditas, prohibere videntur; caſum ipſum, ejuſque circumſtantias, quibus eſt veſtitus, accurate intueri oportet, & cum ipſis legibus naturalibus conferre, ita ut illarum ratio obligandi cognoſcatur, & ſub quibus, qualibuſque eadem ſe exerat circumſtantiis, obſervetur. Semper enim quæ plus honeſtatis, dignitatis, & utilitatis habent, præferri debent illis, quæ minus habent. Ibi enim quæ datur obligatio, majoris momenti eſt, quam quæ hic locum habet. Cedat ergo illi neceſſe eſt, cum inferiori naturaliter hæc ſit addita exceptio, ut non præſtetur, ſi per majoris momenti obligationē fieri nequeat: Quemadmodum alias etiam contigit, quando leges caſu aliquo inter ſe colliduntur, monente ex *Cicerone Pufendorfio.* a) Præterea quæ legibus naturalibus præcipiuntur, & prohibentur, nonnunquam ita ſe habent, ut ab *objecto* actus præcepti, vel prohibiti, ratio legis præcipientis, vel prohibentis, ſit inſeparabilis, quibuſcunque etiam veſtiatur circumſtantiis. Hoc caſu nunquam datur jus agendi. DEUM conviciis proſcindere, vel mendacium loqui, aut adulterium committere, nulla, ur-

a) *de I.N.G. l. 5. c. 12. n. 23.*

gente etiam, licet neceſſitate, ut in foro interno non pecces. Interdum vero ratio moralis ſub qua actus jubetur, & interdicitur, ab objecto, variatis nimirum circumſtantiis, ſeparari poteſt, & tum nonnunquam contingit, ut caſu neceſſitatis exorto, jus agendi detur, non quidem contra jus naturale, ſed quia variatis tam inſigniter circumſtantiis, non amplius præceptum manet, quod ante præcepti vim habebat; ſic ut non ipſa lex naturæ mutata, ſed materia præcepti potius immutata, & propterea legi non amplius obnoxia, dici debeat: *Grotio* b) etiam monitum, & ſupra explicatum.

b) *I. B. P. l.* 1. 10.

§. 29. D. *Apoſtolus* a) prohibens *fieri mala ut eveniant bona*, etiam prohibet fieri minus malum, ut evitetur majus, ceu ex *Cajetano* ſupra notavimus. *Abſolute* enim loquitur. Minus etiam malum, etſi ſit apparens bonum interdum, appetitui tamen rationali hoc ipſo non redditur congruum moraliter: cum naturam non immutet, defectuſque morales retineat. *Gregorius* b) equidem diſſentire videtur, *dum*, inquit, *mens inter minora & maxima peccata conſtringitur, ſi nullus omnino ſine peccato evadendi aditus pateat, minora ſemper eligantur.* Minus recte vero illius mentem intelligit *Cornel. à Lapide*, c) cum *de ſcrupuloſis, & perplexis, ei* ſermonem eſſe monet. Nimirum quod ſi *his videatur ſe peccaturos, quicquid agant, eligant minus, ſcil. id quod eis* mi-

a) *Rom.* 3. 8.

b) 32. *Moral.* c. 20.

c) *Com. in Rom.* 3. 8. n. 148.

minus malum eſſe videtur; ſi facultas doctos conſulendi, aut alia ratio nodum conſcientiæ perplexum diſſolvendi non ſuppetat. Nam non de *ſcrupulis* loquitur *Gregorius*, ſed de veris, iiſque etiam *maximis peccatis*; nec de conſcientia ſcrupuloſa proprie tali, ſed recta, quæ id quod vere peccatum eſt, etiam ut tale agnoſcit. Similiter nec *Cajetani* d) probamus reſponſum: *Conſulere nimirum Greg. in illo caſu, ſecundum indulgentiam, eligere minus malum: utentem authoritate Apoſtoli de uxore propter fornicationem vitandam.* Hoc enim non minus malum in genere morum, ſed intrinſece bonum eſt, quo loco non veniunt peccata de quibus *Gregorius* loquitur. Melius proin dicitur, prohiberi ab eodem *peccata minora & maxima*, præcipique, ut ab utroque malorum genere abſtineatur: Sin id obtineri non poſſit, urgeri, ut à majori declinetur peccato, permiſſo nude, non conceſſo minori, ob neceſſitatem externam inevitabilem; diſponendo circa mala, quæ impediri non poſſunt, ne majora præ minoribus committantur, non diſpenſando, nec agentium conſcientiam à peccato abſolvendo, multo minus jubendo; κατ' ἄνθρωπον etiam cum illis, quibus in tali anguſtia agere conſtitutum eſt, non κατ' ἀλήθειαν loquendo, ut maneat interim illud B. *Auguſtini*: e) *Si hanc peccatis aperimus viam, ut committamus minora, ne alii majora committant, lato limite, imo nullo limite,*

d) *Com. in Rom. 3. 8.*

e) *tom. IV. opp. cont. Mend. ad Conſent. c. 9.*

mite, ſed convulſis & remotis omnibus terminis infinito ſpatio cuncta intrabunt, atque regnabunt.

§. 30. Ex his ita poſitis reſpondemus ad caſum, rariorem licet, cujus mentionem fecit *Nicolaus Tulpius*, a) cujus verba etiam apud *Zieglerum* b) extant, de ſeptem Britannis, quos cum navicula ſua interveniens tempeſtas longius ab inſula Chriſtophoriana abripuerat in mare, quam ut commeatus ſufficeret. Cum enim *cum inedia luctari cogerentur, quæ eo gravior illis fuerat, quo ardentius id temporis æſtuabat ſol, & vehementius exucca eorum guttura exareſaciebat exhalans incaleſcentis maris ſalſedo, ſorti commiſerunt, cujus carne urgentem famem, & quo ſanguine inexplebilem ſitim compeſcerent*; probante *Roberto Sharrock*, c) Anglo, qui eundem caſum tractat, ejuſmodi contractus genus. Vel enim cum ita neceſſitas Britaños hos ad hoc pactum adigeret, adhuc mentis compotes fuerunt, vel inſuperabilis famis, ſitiſve vis jam eos, ſubacta plane ratione, in furorem egerat. Si poſterius obtinet, habentur iſti actus pro actibus furioſis & ferinis, ob defectum principij actionum humanarum, rationis nimirum proæreticæ: Sin vero prius aſſeritur, nego neceſſitatem tale jus paciſcendi dediſſe, cum major honeſtas, jus nimirum ſuperioris, id prohibuerit. Solius quippe DEI eſt, hominem homini in cibum aſſignare. Nec neceſſitas feri-

a) *Obſerv. Med. l.* 1. *c.* 43.

b) *Not. in Grot. l. B. P.* 2. 1. 3.

c) *de Offic. ſecund. l.* N. *c.* 3. *n.* 11. *p. m.* 198.

Digitized by Google

ferinum jus largitur mortalibus; etſi nec omnes beſtias, nec feras ſemper urgente fame, etiam uno in ſtabulo incluſas, ſe devorare videas. Et ſicut nulla neceſſitas juſtitiæ ordinem & actus ſubſtantiales tollit, ita nec in paris innocentis vitam pari jus largitur; nec alter alteri tale in ſuam vitam jus concedere poteſt, cum in ſe tantum facultatis non acceperit.

§. 31. Sic ob majorem honeſtatem neglectam pudendum, non prætextu neceſſitatis excuſandum, pronunciamus pactum Mauregati Aſturum regis, quinquaginta nobiles puellas, totidemque plebei generis, Arabum libidini, *veluti tributum annuum*, exponentis. Idem de facto Lothi ſtatuendum, cum Sodomitis, libidine nefaria flagrantibus, filias offerret, quo ſceleratos ab impetu furoris in hoſpites revocaret. a) Etſi enim *Chryſoſtomus* & b) *Ambroſius* c) laudare id potius, quam improbare videantur, *Cajetano* d) etiam Lothum excuſante, rectius tamen B. *Auguſtinus* e) ad Lothum dici potuiſſe ait: *Noli facere magnum ſcelus tuum, dum magis horreſcis alienum.* Minorem honeſtatis, quam incolumitatis aliorum, habuit vir alias juſtus rationem, cum hæc illi cedere debeat; peccaverit licet ex infirmitate potius, quam ex malitia, ex ſubita perturbatione, & conſilij inopia, quod urgente Sodomitarum, ædes ſuas petentium, furore, in iſto neceſſitatis caſu, hoſpitum incolumi-

a) *Gen.* 19. 7.
b) *Homil. in Gen.* 42.
c) *l.* 1. *de Abrah. c.* 6.
d) *in Gen. c.* 19.
e) *in Gen. q.* 42. *cont. Mendac. c.* 9.

Digitized by Google

mitati conſulendi modus alius non occurrerit, explicante B. *Gerhardo*. f) Quæ vero ſit ratio agendi, quando dato neceſſitatis caſu, leges divinæ poſitivæ, & ceremoniales obſtant, ſupra jam fuit monitum.

f) *Com. in* *a. Petr.* 2. *p.* 231. *ſq.*

§. 32. Cæterum etſi neceſſitas non ſemper jus agendi *directe* concedat, id quod fit, ſi major honeſtatis, & utilitatis, id prohibet ratio, unum etiam atque alterum illorum requiſitorum deficit, quæ dato neceſſitatis caſu requiri diximus; hoc tamen caſu largitur nonnunquam vel *jus permittendi* aliquid, ſuper certo aliquo negotio, quod in ſe equidem parum honeſtum, nec licitum eſt, declinare interim nullo modo poſſumus, notante B. Dn. D. *Alberti*; a) vel actioni ex inſuperabilis neceſſitatis anguſtiis ſuſceptæ, tantum favoris & veniæ conciliat, ut factum excuſationem admittere cenſeatur, licet directa via, & præſcriptione juris, defendi non queat. Prius quod attinet, haud raro majoris mali avertendi gratia, permiſſio rei turpis, cum declinari noſtris viribus non poſſit, fit non inhoneſte; imo nec inhoneſtum eſt inhoneſta pati, ſi, cum illa declinare neſcimus, mentem incorruptam retinemus. Pati ſtuprum per vim irreſiſtibilem, honeſtatem pudicæ fœminæ non minuit, quod præ αὐτοχειρίᾳ admittendum eſſe, ſupra jam monuimus. Addimus nunc verba *Anthimi*, Nicomedienſis Eccleſiæ antiſtitis apud *Nicephorum*: b) *Filia Euphraſia*, *pul-*

a) *Compend.* *I.N P. II. c.* 6. *§.* 24. *ſq.*

b) *Hiſt. Eccleſ. l.* 7. *c.* 13.

pulcherrimum quidem eſt caſtiſſimum virginitatis donum, ſed majus conſtantiusq; eſt fidei præceptum: Si utrumq; conſervare non licet, animam ſaltem puram conſerves: & hoc faciendum tibi duco, ut mente ipſa per fidem in Chriſto confirmata, carnem improborum contumeliis & injuriis projicias. Ipſe Chriſtus *Zizania colligi* noluit, c) *ne eradicetur ſimul cum illis & triticum,* c) *Math.* 13. 29. *ſq.* ſed ἄφετε, inquit, συναυξάνεσθαι ἀμφότερα μέχρι τοῦ θερισμοῦ, *ſinite pariter creſcere utraq; usq; ad meſſem.* Veram autem intelligimus neceſſitatem, qualem dari ad toleranda Lupanaria, non evicit *Covarruvius.* d) Hac data, *vacat culpa, qui quæ ſcit non poteſt prohibere,* ut loquitur *Grotius.* e)

d) *c.* 1. *de ſponſal. P.* 2. *c.* 4. *n.* 7. 10. *f.* 120. *ſq.*
e) *Not. in* 2. *Sam.* 3. 39.

§. 33. *Promittere* etiam licet, urgente neceſſitate, permiſſionem & tolerantiam rei alias illicitæ, item impunitatem ſuper negotio in ſe non honeſto, inprimis ſi, cenſente ita B. D. *Alberti,* a) *hoc ipſo honeſtas certo promoveatur.* Non enim probat ſtatim, qui quæ mutare nequit, & permittere ſine ſua culpa tenetur, etiam ſe permiſſurum eſſe promittit, ſi promiſſionis hujus ſummam cognoſcit eſſe neceſſitatem. Non ſane zizania probavit pater familias, b) *colligi ea prohibens;* ſed quod ſufficienti ſe urgeri neceſſitate animadverteret. Nam, ut *Ovidius,* c) *curando fieri quædam pejora videmus vulnera, quæ melius non tetigiſſe fuit.* Tali quippe caſu, quæ permittuntur, deſinunt habere rationem mali mo-

a) *l. c.* §. 25.
b) *Math.* 13. 29.
c) 3. *de Pont. Eleg.* 7.

moraſis reſpectu permittentis, induuntq; rationem mali phyſici. Unde tolerantiæ permiſſivæ promiſſio quando fit, munitur eâ tantum facta permiſſio, ne pro lubitu turbari poſſit; obexq; illis ponitur, qui publicam tranquillitatem, ex neceſſaria permiſſione ortam, turbare conatu violento nō dubitant, exiſtimantes, ea quæ neceſſitate ſuadente conſtituta ſunt, eadem ceſſante non amplius obligare, cum quod contra regulas juris neceſſitate ita ferente ſtatuitur, locum tantum habere cenſeri debet, quatenus ſubſit neceſſitas. Obex his pacto & promiſſione permiſſionis, etiam perpetuæ, ponitur, & illorum, quibus illa facta eſt, ſecuritati hoc modo conſulitur. Suſpicaces enim, & extrema quæque timentes, à conſiliis bonum publicum evertentibus revocari non poſſunt, niſi perpetuæ tranſactionis ſanctione, d) qua perpetua promittitur ſecuritas. *Paulus Diaconus* e) certe autor eſt, Juſtinum I. Imper. motum minis Theodorici, Gothorum in Italia regis, *interminantis*, quod, *niſi quantocius Arianis ſuas redderet Eccleſias*, unde hæreticos expulerat, *eoſq; in pace degere fineret, univerſos Italiæ populos gladio extinguere* vellet, legatis, inter quos ipſum Pontificem Johannem I. fuiſſe ferunt; vehementius licet, quam ſolidius, id neget *Baronius*; f) id quod petebatur conceſſiſſe, *Arianoſq; ſui juris reliquiſſe.* Athanaſium etiam *Sozomenus* g) refert, Conſtantio intercedente, Arianis apud

d) *Dorſcb. Prodrom. Anticriſ. p.* 19. *ſq.*

e) *Hiſt. Miſcell. l.* 15. *c.* 19.

g) *Hiſt. Eccleſ. l.* 3. *c.* 19.

f) *Annal. t.* 7. *ad an.* 525. *f.* 106.

apud Alexandrinos Eccleſiam ad ſuæ religionis exercitium concedere voluiſſe, ſi & Antiochiæ ſuis concederetur Eccleſia, *in qua libere, ac ſine metu in unum conveniant.*

§. 34. Pertinet huc diſputatio tempore Pacificationis Weſtphalicæ agitata, inter quendam *Erneſtum ab Euſebiis,* a) & D. *Dorſcheum,* b) ſuper quæſtione, *an pax qualem deſiderant Proteſtantes, ſit ſecundum ſe illicita;* ita ut illis propterea non liceat tradere Archiepiſcopatus, Epiſcopatus, Monaſteria, Eccleſias, bonaque & jura Eccleſiaſtica, cum libertate Evangelicæ religionis in perpetuum permiſſa: Negante *Erneſto* ideo, quod id eſſet poſitive hæreſi cooperari; quo tamen fallitur: Affirmante autem *Dorſcheo,* neceſſitatis caſu etiam in juribus religionis, & Eccleſiæ, aliquid extraordinarie diſponi poſſe ab iis, quibus ordinarie alias id non licet. c) Superiora tempora etiam dederunt exemplum coactæ ceſſionis, qua Henricus V. Imp. *jus inveſtituræ Epiſcopalis* Caliſto Pontifici conceſſit, quod cruentarum turbarum, à Papis motarum, *non alium,* uti *Mornaus* d) loquitur, *quam in imperij exitio exitum prævidiſſet.* Neceſſitates, quæ Principem juris ſui conſervandi cupidiſſimum, undique urſerunt, notarunt *Otto Friſingenſis,* e) *Aventinus* f); prolixius autem memoriæ prodidit *Conradus, Abbas Urſpergenſis.* g) Videbat nimirum Imperator, Pontificem fruſtra oppugnari, præva-

lere

a) *Iudic. ſuper quæſt. an pax, qualem deſiderant Proteſt. &c.*

b) *Anticriſ. Theolog. contr. Erneſt. de Euſeb.*

c) *Dorſch. Prodrom. Anticriſ. p. 51.*

d) *Myſter. iniquit. f. m. 289.*

e) *Chron. l. 7. c. 16.*

f) *Annal. Boj. l. 6. f. 491.*

g) *Chron. f. 275. ſqq.*

Digitized by Google

lere potius ubique: *Clam palamque, fieri conjurationes: ruere principes in perniciem reipublicæ, parumq; ſe ab infelicis parentis fortuna abeſſe*, uti loquitur *Meibomius* h) unde ceſſit, maximo licet cum Reipublicæ damno. Confirmarunt factum indignum inſequentibus ſeculis *Concordata nationis Germanicæ*, quæ ſic vocantur, *cum ſede Apoſtolica*, quæ *Goldaſtus* i) exhibet, ſibique curæ futura eſſe promiſit Ferdinandus III. Imp. k) & Joſephus I. l) Promiſſa denique talia etiam juramento poſſunt, urgente ad id eadem neceſſitate, confirmari.

h) *Tract. de Iur. inveſt. Epiſcop.*

i) *Conſtit. Imper. Tom. I. P. I. f. 207. ſqq.*

k) *Capitul. art. 18.*

l) *Capitul. art. 18.*

§. 35. Ea vero quæ ſic per vim extorquentur promiſſa in perpetuum facta, & juramenta, ceſſante neceſſitate, cum ea non evaneſcunt; cum cauſa quidem promittendi, & rem licite promiſſam juramento confirmandi, iſta impellens fuerit, non vero cauſa conſervans ſit juramenti, vel promisſionis, quæ ex ſua natura, & per ſe eſt obligatoria. *Cajetanum* a) quidem, & alios ſecutus *Fernandez*, b) *invalidam* pronunciat promisſionem, *quæ per vim extorquetur.* Verum Joſua, ne deceptus quidem à Gabaonitis, qui ex locis remotioribus ſe pacem petitum veniſſe aſſeruerant, c) juramento, quo fœdus initum confirmaverat, reſciſſo, mala fide agentes lædere pium cenſuit. Secundum *Ariſtotelis* d) diſciplinam etiam vis externa non impedit, quo minus promiſſum, & juramentum vi extortum,

a) *2. 2. quæſt. 113. dub. 4.*

b) *Exam. Theol. Moral. P. I. c. 15. § 7. n. 1.*

c) *Ioſ. 9. 3. 19.*

d) *3. Ethic. I.*

tum, ſit ab animo deliberato profectum, & ſponte; κατὰ καιρὸν licet, *pro ratione* nimirum *iſtius temporis*, & aliarum circumſtantiarum; atque verum proin juramentum, & promiſſum appellandum; cum principium ejus ſit προαίρεσις· *Morte enim*, uti loquitur *Sanderſonus*, c) *interminata ni juraret*, vel promitteret, *permiſſum eſt jurantis*, promittentis, *arbitrio, malletne damnum interminatum pati, an juramenti obligatione ab illo damno liberari*; annuente *Grotio*. f) Sunt equidem hi, *Forſtnero* g) notante, mortalium mores, ut *quæ neceſſitate, temporiſq; injuria coactus quis promiſit, non niſi eadem neceſſitate cohibente ſervari ſoleant*; quod complurium Principum dictis & factis oſtendit. Verum recte idem pronunciat, *non ita fieri debere: & juris gentium eſſe, etiam ſervare, quæ vi bellica coactus promiſeris*. Obſervavit hoc Henric. V. Imp. qui Adelbertum Moguntiæ Archiepiſcopum, quem arctisſima mancipaverat cuſtodia, quod contra ſe conſpiraſſet, *cathedræ ſuæ remiſit, ut coactus promiſerat* civibus Moguntinis. Autor quippe eſt *Abbas Vrſpergenſis*, h) *armatos cives* Cæſarem coëgiſſe tanto *furore*, ut, *niſi datis ad præſens obſidibus, ea quæ imponebantur, facturum ſe citiſſime confirmaſſet, Ipſum fortaſſe Palatium cum univerſorum, qui in eos erant, cæde crudeliſſima corruiſſet.*

c) *de jurament. oblig. Præl. 4. p. m. 128.*

f) *l. B. P. 2. 11. 7.*

g) *Not. Polit. in Tac. ll. 6. prior. p. 218.*

h) *Chronic. f. 271.*

§. 36. Habent autem hæc, quæ de permisſionibus & promisſionibus, ſuper rebus

bus illicitis, ex inevitabili & phyſica neceſſitate factis, diximus, hanc limitationem *primo*, quod iſte caſus neceſſitatis non debeat eſſe nominatim, & expreſſe lege definitus, & ſub regula comprehenſus. Nam, uti Dn. *Textor* a) loquitur, *ubi expreſſa adeſt proviſio legis, caſum neceſſitatis includens, ibi ceſſat præſumtio.* Nihil ergo *Syncretiſmo* in veræ religionis detrimentum ineundum, vel ex arcano ſtatus quodam, vel quod ratio ſtatus, & præſens Reipublicæ neceſſitas ita jubere videatur; ob gravius *Apoſtoli* b) interdictum: *Si qui venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, μὴ λαμβάνετε ἀυτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν ἀυτῷ μὴ λέγετε. ne recipiatis eum in domum, nec ave ei dixeritis*: Et proin jus DEI ſuperius. *Deinde* cum iſta permisſio mali, & promisſio ſuper illa facienda, fiat intuitu periculi ſummi & inevitabilis, quo vel Reſpublica, vel Eccleſia verſatur, atque præſumtione damni maximi; obſervandum, quod intelligi debeat de caſu neceſſitatis, & periculi phyſici, cujus exitus eſt exitium, quod alio medio, quam tali permisſione, quæ promisſione munita eſt, averti non poteſt; & de damno quod, ſi permisſio omittatur, certo & longe majus eſt futurum, quam illud, quod facta permisſione, certo pacto munita, metuendum, ita ut permittendo certius tendamus in bonum longe majus, quam malum quod rationabiliter timendum; ſecundum monitum

a) *Synopſ. Iur. Gent. c. 11. n. 19.*

b) *2. Iohan. v. 10.*

tum *Grotij*. c) *Tertio* notandum, quod aliud ſit cooperatio ad malum ipſum, quando voluntaria & libera actione, juſſu, conſilio illud, ejuſque introductionem promovemus; aliud cooperari ad permiſſionem tantum mali, & quidem minoris. *Cooperari*, inquit B. *Hülſemannus*, d) *directe ad permiſſionem minoris mali per juſſionem, conſilium, aliaſq; directa cooperationis ſpecies, non ſignificat facere malum, ut eveniat bonum. Terminus enim ad quem, & objectum adæquatum talis cooperationis eſt ſola paſſio, toleratio, permiſſio mali culpæ in alia perſona, alias infallibiliter eventuri, non ipſum malum culpæ, ut patet.*

c) *L. B. P. 3. l. 4.*

d) *Breviar. c. 20. ſupplem. §. 8.*

§. 37. Urgente etiam neceſſitate extrema, an liceat *ſilentium* promittere, jurare etiam, quod injuriam ſibi factam, atrocem etiam, aliorum ſcelera, latronum & prædonum vim ſibi infeſtam, nemini, ne quidem Magiſtratui, quis ſit expoſiturus, aut illos eorumq; complices proditurus, quæritur. Contigiſſe hoc *Steuberus* a) docet exemplis, probatque, tale ſilentium neceſſitate promiſſum ſervari, maxime ſi juramenti vinculum acceſſerit. De jure quippe ſuo, quod ex illata habet injuria, quilibet poteſt cedere. Ergo cum amor ſui honeſtus, & ordinatus, id ſuaſerit per juramentum, vi quanquam extortum, promittere, ſervandum id erit, ita *ut ſilere oporteat*, μὴ μόνον τῇ γλώττῃ, πολὺ δὲ μᾶλλον τῇ ψυχῇ, *non lingua duntaxat, ſed animo multo magis*, ut cum

a) *Tract. de Conſc. c. 4. q. 1. p. m. 312.*

Rr Po-

b) *l.* 9. *hiſtor. c.* 12.
c) *Thom.* 2. 2. *q.* 89. *art.* 7. *ad tert.*
d) *de ſigill. Confeſſ. c.* 2. §. 1.

Polybio b) loquar. Obligat juramentum vi extortum, etiamſi injuria intercedat. c) Et quod ſilentium, de quo ſermo, non ſit natura ſua illicitum, etiam ſub illis quas poſuimus circumſtantiis, patet exemplo *ſigilli confeſſionis*, quod ſic vocant, quo, uti loquitur *Adrianus Bejerus*, d) *confeſſorem, quicquid pro exoneranda conſcientia ipſi concreditur, ſecretum ad tumulum usq; ſervare decet*; cum huic opponere liceat ſilentio, quicquid noſtro objeceris. Quam ſancte igitur illud habendum, tam ſancte hoc noſtrum haberi poſſe cenſemus ſilentium, cum ſit materia juramenti capax.

§. 38. Poſterius autem quod concernit, quod neceſſitas actioni, ex vi ejuſdem aliter inſuperabili illicite ſuſceptæ, tantum conciliat favoris, ut vel omnino venia, vel certe minori pœna dignum factum judicetur, ratio eſt naturalis ille, & per ſe innocens affectus, quod, ut omni generi animantium, ita homini quoque hoc ſit inſitum, *ut ſe, vitam, corpuſq; tueatur, declinetq; ea quæ nocitura videantur*, ut *Cicero* a) loquitur. Quis enim *unquam carnem ſuam odio habuit?* b) *Diligentius quiſque*, B. *Theophylactus* inquit, c) *carnem ſuam curat.* Unde cum non poſſit non homo omni cura ferri, ut ſe conſervet, ſi inter anguſtias ſummas conſtitutus, quæ hominem ſuperant, ex innocenti propoſito, quamlibet honeſtam rationem ſalutis expediendæ credit, venia non immerito dignum ha-

a) 1. *Offic.*
b) *Eph.* 5. 29.
c) *Enarrat. h. l.*

Digitized by Google

habetur, factum ipſum licet non per omnia moraliter rectum ſit. Nam πρὸς φυσικὴν πάθος ἀνάγκην ἀντιβῆναι παγχάλεπόν ἐστιν, *perdifficile eſt homini, adverſus neceſſariam naturæ affectionem pertendere*, ipſo extra neceſſitatem conſtituto cenſente *Plutarcho*. c) Venia pro-in dignum eſſe cenſemus, ſi quis graviſſima urgente neceſſitate, non aliena invadendi libidine, nec pravo cætera affectu, ſui tantum conſervandi, & illius unice quod nociturum videtur avertendi gratia, rebus alienis, pane v. c. alieno utitur, cum animo reſtituendi, ubi meliora affulſerint tempora. Tali quippe facto, inordinato licet, *injuſtitiam* ineſſe non concedimus; cum talis actus principium hic nominare nec liceat, nec detur. Quo nomine etiam LL. divinarum æquitas *furis nocturni occiſorem* à judicio capitis liberum pronunciat. d) Ita quando famis vis extrema mortales in rabiem, ipſam rationem ſubigentem, agit, ut non abhorreant ab eſu carnium humanarum, ſed &, quod durante obſidione Samaritana, *hiſtoria ſacra* Regum; e) & Hieroſolymitana accidiſſe *Ioſephus* f) refert; *vi animi & neceſſitate compulſa, rebus adverſis contra naturam excitata mater, rapto filio dicat: Eſto mihi cibus*: quin, quando caſus ita fert, judicio non ceſſante, ſi furorem hunc coërcendum cenſet judex, ob facti atrocitatem, ne in exemplum forte abeat, mitius id poſſit fieri, quam pœna ordinaria requirit,

c) *l. 2. Opp. de ſer. Num. Vindict. f. 555.*

d) *Exod. 22. ſqq.*

e) *2. Reg. 6. 22.*

f) *Bell. Jud. l. 7. c. 8.*

dubium non eſſe videtur, cum factum hoc ob circumſtantias, non minus miſeratione, quam odio dignum ſit. *Robert. Sharrock* g) ſane, & *Zieglerus*, h) *nil movent de judice* inſulæ Martiniæ, qui Britannis iſtis ex inſula Chriſtophoriana, qui ſociorum carne & ſanguine aliquandiu ſe ſuſtentaverant, parricidij accuſatis, veniam dedit. Rectius Lacedæmonij, apud *Xenophontem* i), Anaxilaum proditionis accuſatum, quod Byzantium hoſtibus tradidiſſet, abſolverunt, *quod ob famem id feciſſet*, *παῖδας ὁρῶν καὶ γυναῖκας λιμῷ ἀπολλυμένας*, *cum pueros ac mulieres fame pereuntes videret.* Supra nimirum hominem cum hæc ſit neceſſitas, inopia ſcilicet victus quotidiani perire, niſi neceſſitas honeſtatis naturalis prohibeat, licite eidem ceditur, ita ut crudeles cum in ſe, tum in alios cenſeantur, qui id negligunt. Unde cum Briſacum, *ad ultimam famis neceßitatem adactum*, *Bernhardo Vinarienſi Duci deditionem tandem feciſſet, ratas jam ſubſcriptasq; deditionis conditiones pene evertiſſe iram Ducis*, ſcripſit *Brachelius*, k) *poſtquam intellexit, triginta fere captivos Gallos inedia per ergaſtula miſere periiſſe, ex quibus ſeptem à ſemivivis adhuc ſociis in cibum abſumpti eſſent.*

§. 39. Contingit vero nonnunquam, ut plures neceſſitatis caſus ſimul concurrant, inter quos colliſio quædam intercedere videtur; vel ſic ſint comparati, ut unum ante cæ-

g) *de Offic. ſecund. l. N. c. 3. n. 11. p. m. 198.*

h) *Not. Grot. l. 2. c. 1. 3.*

i) *Hiſtor. Græc. l. 1. f. 437.*

k) *Hiſtor. noſtri temp. l. 5. p. 48.*

cæteros expedire deceat. Id hoc ordine fieri exiſtimamus, ut neceſſitati honeſtatis cedat neceſſitas incolumitatis, ſi illa oritur ex legibus divinis naturalibus, atque moralibus, ſic ut non poſſit, ceu ſupra explicatum, exoriri tanta neceſſitas, ut adverſus eas quæ committuntur, ſub juſti rectique æſtimatione venire queant; non fornicatio tantum, quod concedit *Covarruvias*, a) ſed nec contrectatio rei alienæ, quam *Grotius* b), Scholaſticos ſecutus probat. Leges autem poſitivæ ceremoniales, atque humanæ, neceſſitatem incolumitatis ratione vitæ, niſi ex circumſtantiis aliud licet colligere, excipiunt. Quod ſi Judæi olim obſervare voluiſſent, non diem Sabbathi *in otio & quiete ſuperſtitioſe agendo*, uti *Agatharchides Cnidius* illis apud *Ioſephum* c) objicit, Ptolomæum Lagi Hieroſolymam occupare permiſiſſent. David ſane cum eſuriret, *panes propoſitionis* comedere non dubitavit; d) qui alias non niſi Sacerdotibus in cibum cedebant, ſecundum legem, e) famis nimirum neceſſitate diſpenſationē admittente, Chriſto etiam probatam. f) Docet hoc exemplum, monente B. *Brentio*, g) quem B. D. *Sebaſt. Schmid.* h) ſequitur, *quantum neceſſitas in diſpenſatione circa legem ceremonialem valeat.* Conſentit *Chemnitius*. i) Periculum quod ratione incolumitatis urget, quo præſtantior eſt res, quæ in diſcrimine extremo verſatur, item prout reparari, & non reparari poteſt, ita

a) *r. l. Rel. c. peccat. de reg. jur. P. II. §. 1. n. 5. f. 474.*

b) *I. B. P. II. 2. 6.*

c) *Antiq. Iud. l. 12. c. 1.*

d) *1. Sam. 21. 6. 7.*

e) *Levit. 24. 9.*

f) *Math. 12. 3. 4. Luc. 6. 3. 4.*

g) *Com.*

h) *Com. h. l. p. 724.*

i) *Harm. ad Matth. 12.*

ita præ altero potius largitur jus agendi. Si enim duplex tibi imminet periculum, quod evitare neſcias, alterum vitæ, alterum pudicitiæ; prius diſpicere licebit, qua ratione tibi adverſus illud conſulas, etſi hoc ſimul ſubeundum ſit; uti Lucretia fecit. Non minus periculum, quod certo tantum tempore depelli poteſt, imponit agendi neceſſitatem præ illo, contra quod omni tempore ſibi conſulere licet. Hinc privato pro vita armis, ſub moderamine inculpatæ tutelæ tantum, non ita pro fama certare permiſſum eſt, cum illam ſæpius vindicare liceat. Periculum quod ob majus damnum, quod poſt ſe trahit, imponit agendi neceſſitatem, eſt attendendum præ illo, quod cum minori damno & incommodo eſt conjunctum. In pari autem neceſſitatis articulo, prius illi ſuccurrendum, qui ſanguine propior; in impari autem ei qui propior, & calamitoſior. Nota eſt B. *Auguſtini* k) regula: *Omnes homines æque diligendi, ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte, junguntur*: quæ & hic obſervanda. *Si conſtitueris*, inquit *Cicero*, l) *te cuipiam advocatum in rem præſentem eſſe venturum, atq; interim graviter filius ægrotare cœperit, non ſit contra officium, non facere quod dixeris.*

k) *1. de doctrin. Chriſt c. 28.*

l) 1. *Offic.*

§. 40.

§. 40. Quando diſquiritur, penes quem ſit *definire caſum neceſſitatis*, eundemque æſtimare; nos exiſtimamus, competere hoc judicium naturaliter illis, quibus natura commendavit, & præcepit conſervationem ſui ipſius. Hi enim optime omnium vim, & onus neceſſitatis ſentiunt, quidque humeri poſſint, quid ferre recuſent. *Satis cito dolebis, cum dolor venerit*, ait *Seneca*. a) *Γινώσκω σεῖο πῆμα*, inquit Bacchus ad Methen apud *Nonnum Panoplit.* b) *καὶ εἰ κρύπτειν μενεαίνεις· δάκρυα σὰς ὀδύνας μαντεύεται*, *cognoſco tuam calamitatem, etſi celare velis; lacrumæ tuos dolores vaticinantur.* Puncto quippe neceſſitatis extremæ ad iſtas redigimur anguſtias, & in eo res verſantur ſtatu, ut conſilium & vires deficiant, plane aliter quam modo ordinario agendi. Unde accidere poteſt, ut is qui viribus & ingenio magis pollet, nondum habeat pro neceſſitatis caſu, alteri licet talis incidiſſe credatur, cui ejuſmodi præſidia deſunt. Hæc an abſint, vel deſint, cum quilibet melius quam alii cognoſcere poſſint, quod unicuique rerum ſuarum ſtatus optime præ aliis notus eſſe recte præſumitur, bene *Covarruvias*, c) *neceſſitas extrema*, inquit, *tunc dicitur, quando imminet vitæ periculum, cui aliter*, niſi hoc vel illud, alias non permiſſum, fiat, *ſubveniri non poteſt, quod cujuſq; rectum & ſincerum arbitrium definire opportune, & pie poterit.* In civitate niſi pacto ſit definitum, ju-

a) *Epiſt.* 13.

b) *Dionyſiac. l.*18. *ſub fin. p.* 509.

c) *t. l. Relect. c. peccat. de reg. jur. P. II. §.* 1. *n.* 4. *f.* 473.

judicium cognoſcendi, & definiendi caſum neceſſitatis, qui exercitio dominij eminentis locum relinquit, illis competit, penes quos ſumma eſt poteſtas, pro ratione & forma reipublicæ, explicante *Bœclero*. d)

d) *Comm. Grot. P. I. p.* 86.

ARTICULUS II.

De

JURE CHARITATIS.

§. 1.

AD quid agendum *Charitas jus* largiatur, & quid *ſalva charitate* liceat, explicare potuiſſemus ſuperſedere, ſi recte ſe haberent, quæ de Charitate paſſim finguntur, & cum jure naturali, qua homines dirigit, eandẽ coincidere omnes docerent. Cum enim in definienda charitate non omnes conſentiant; alij *legem charitatis cum jure naturæ non confundi debere* moneant; a) alij charitatem juſtitiæ etiam univerſali ita contradiſtinguant, ut aſſerant, ſolum obligationem charitatis dari poſſe, ubi obligatio juſtitiæ nullo in jure inveniatur; b) quorum veſtigia etiam *Grotius* ſequitur, qui charitatem *ad majorem in N. Teſt. præceptam ſanctimoniam* refert, c) quam *ſolum per ſe jus naturæ exigat*; contingit hinc, ut nec idem ſentiant de jure charitatis. Cujus disſidij prolixior diſcusſio præſentis inſtituti non eſt: Sequentia tantum notabimus.

a) *Bœcler. Com. Grot. P. II. ad l.* 2. *c.* 1. *§.* 8. *p.* 11.

b) *apud Eſcobar. Theol. Moral. tr. V. Exam.* 5. *c.* 6. *n.* 96.

c) *I. B. P. proleg ad l.* 2. 6. *II.* 1. 4. 10. *ſq. c.* 17. 9. 13. *c.* 20. 10. 22. *III.* 11. 2.

§. 2.

§. 2. Aliud nimirum *primo* eſt, loqui de charitate *communi*, ſeu, ſi ita placeat, *univerſali*, aliud de charitate *Chriſtiana*, aliud de *fraterna*, quæ eſt certus charitatis modus. Sic enim genuini charitatis doctores de hac monent diſciplina. *S. Petrus* a) diſtinguit inter *ἀγάπην* & *φιλαδελφίαν*; intelligens b) per *ἀγάπην amorem generalem, quo omnes homines complectimur*, quem fraterno amori, conſanguineo fidei peculiari ratione debito, conjungi præcipit. Quod & *Paulus* c) fecit, *ἐργαζώμεθα*, inquiens, *τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως, operemur bonum, cum erga omnes, tum vero maxime erga domeſticos fidei*; h. e. *Theodoreto* d) explicante, *ὁμοπίστους*, *qui ſunt ejuſdem fidei.*

a) 2. *Ep. l.* 7.
b) *Gerhard. Com. in* 2. *Epiſt. Pet. I. p.* 53.
c) *Gal.* 6. 10.
d) *Com. h. l. f.* 287.

§. 3. *Charitas univerſalis*, qua contradiſtingui debet eidem, ut notat virtutem Theologicam, atque fructus fidei audit, oritur ex naturali iſta atque ſociali propenſione, qua erga ſe invicem feruntur mortales, atque ſibi bene cupiunt intuitu communis humanitatis, niſi barbaries ejus ſenſum elidat: Quanquam & novi orbis barbaros ob inſignem humanitatem, novis hoſpitibus Hiſpanis exhibitam, cum *navis illorum ſaxo illiſa eſſet, qua nec aſſines affinibus apud nos majori miſericordia tacti ſuccurrunt*, laudavit *Martyr.* a) Ὀυδὲν γὰρ, inquit B. *Baſilius*, b) οὕτως ἴδιον τῆς φύσεως ἡμῶν, ὡς τὸ κοινωνεῖν ἀλλήλοις, καὶ χρήζειν ἀλλήλων, καὶ ἀγαπᾷν τὸ ὁμόφυλον, *nihil*

a) *Rer. Ocean. l.* 1. *p.* 5.
b) *t.* 2. *Opp. Reg. fuſius diſput. q.* 3. *f.* 534.

 enim

Digitized by Google

bus illicitis, ex inevitabili & phyſica neceſſitate factis, diximus, hanc limitationem *primo*, quod iſte caſus neceſſitatis non debeat eſſe nominatim, & expreſſe lege definitus, & ſub regula comprehenſus. Nam, uti Dn. Textor a) loquitur, *ubi expreſſa adeſt proviſio legis, caſum neceſſitatis includens, ibi ceſſat præſumtio.* Nihil ergo *Syncretiſmo* in veræ religionis detrimentum ineundum, vel ex arcano ſtatus quodam, vel quod ratio ſtatus, & præſens Reipublicæ neceſſitas ita jubere videatur; ob gravius *Apoſtoli* b) interdictum: *Si qui venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, μὴ λαμβάνετε ἀυτὸν εἰς οἰκίαν, καὶ χαίρειν ἀυτῷ μὴ λέγετε, ne recipiatis eum in domum, nec ave ei dixeritis*: Et proin jus DEI ſuperius. *Deinde* cum iſta permiſſio mali, & promiſſio ſuper illa facienda, fiat intuitu periculi ſummi & inevitabilis, quo vel Reſpublica, vel Eccleſia verſatur, atque præſumtione damni maximi; obſervandum, quod intelligi debeat de caſu neceſſitatis, & periculi phyſici, cujus exitus eſt exitium, quod alio medio, quam tali permiſſione, quæ promiſſione munita eſt, averti non poteſt; & de damno quod, ſi permiſſio omittatur, certo & longe majus eſt futurum, quam illud, quod facta permiſſione, certo pacto munita, metuendum, ita ut permittendo certius tendamus in bonum longe majus, quam malum quod rationabiliter timendum; ſecundum monitum

a) *Synopſ. Iur. Gent. c. 11. n. 19.*

b) *2. Iohan. v. 10.*

Digitized by Google

tum *Grotij.* c) *Tertio* notandum, quod aliud ſit cooperatio ad malum ipſum, quando voluntaria & libera actione, juſſu, conſilio illud, ejuſque introductionem promovemus; aliud cooperari ad permiſſionem tantum mali, & quidem minoris. *Cooperari*, inquit B. *Hülſemannus*, d) *directe ad permiſionem minoris mali per juſſionem, conſilium, aliaſq; directa cooperationis ſpecies, non ſignificat facere malum, ut eveniat bonum. Terminus enim ad quem, & objectum adæquatum talis cooperationis eſt ſola paſſio, toleratio, permiſſio mali culpæ in alia perſona, alias infallibiliter eventuri, non ipſum malum culpæ, ut patet.*

c) *L. B. P.* 3. 1. 4.

d) *Breviar.* c. 20. *ſupplem.* §. 8.

§. 37. Urgente etiam neceſſitate extrema, an liceat *ſilentium* promittere, jurare etiam, quod injuriam ſibi factam, atrocem etiam, aliorum ſcelera, latronum & prædonum vim ſibi infeſtam, nemini, ne quidem Magiſtratui, quis ſit expoſiturus, aut illos eorumq; complices proditurus, quæritur. Contigiſſe hoc *Steuberus* a) docet exemplis, probatque, tale ſilentium neceſſitate promiſſum ſervari, maxime ſi juramenti vinculum acceſſerit. De jure quippe ſuo, quod ex illata habet injuria, quilibet poteſt cedere. Ergo cum amor ſui honeſtus, & ordinatus, id ſuaſerit per juramentum, vi quanquam extortum, promittere, ſervandum id erit, ita *ut ſilere oporteat*, μὴ μόνον τῇ γλώττῃ, πολὺ δὲ μᾶλλον τῇ ψυχῇ, *non lingua duntaxat, ſed animo multo magis*, ut cum

a) *Tract. de Conſc.* c. 4. q. 1. p. m. 312.

b) *l. 9. hiſtor. c. 12.*
c) *Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. ad tert.*
d) *de ſigill. Confeſſ. c. 2. §. 1.*

Polybio b) loquar. Obligat juramentum vi extortum, etiamſi injuria intercedat. c) Et quod ſilentium, de quo ſermo, non ſit natura ſua illicitum, etiam ſub illis quas poſuimus circumſtantiis, patet exemplo *ſigilli confeſſionis*, quod ſic vocant, quo, uti loquitur *Adrianus Bejerus*, d) *confeſſorem, quicquid pro exonerandа conſcientia ipſi concreditur, ſecretum ad tumulum uſq; ſervare decet*; cum huic opponere liceat ſilentio, quicquid noſtro objeceris. Quam ſanctè igitur illud habendum, tam ſanctè hoc noſtrum haberi poſſe cenſemus ſilentium, cum ſit materia juramenti capax.

a) *1. Offic.*
b) *Eph. 5. 29.*
c) *Enarrat. h. l.*

§. 38. Poſterius autem quod concernit, quod neceſſitas actioni, ex vi ejuſdem aliter inſuperabili illicite ſuſceptæ, tantum conciliat favoris, ut vel omnino venia, vel certe minori pœna dignum factum judicetur, ratio eſt naturalis ille, & per ſe innocens affectus, quod, ut omni generi animantium, ita homini quoque hoc ſit inſitum, *ut ſe, vitam, corpuſq; tueatur, declinetq; ea quæ nocitura videantur*, ut *Cicero* a) loquitur. Quis enim *unquam carnem ſuam odio habuit?* b) *Diligentius quiſque*, B. *Theophylactus* inquit, c) *carnem ſuam curat.* Unde cum non poſſit non homo omni cura ferri, ut ſe conſervet, ſi inter anguſtias ſummas conſtitutus, quæ hominem ſuperant, ex innocenti propoſito, quamlibet honeſtam rationem ſalutis expediendæ credit, venia non immerito dignum ha-

habetur, factum ipſum licet non per omnia moraliter rectum ſit. Nam πρὸς φυσικὴν πάθους ἀνάγκην ἀντιβῆναι παγχάλεπόν ἐστιν, *perdifficile eſt homini, adverſus neceſſariam naturæ affectionem pertendere*, ipſo extra neceſſitatem conſtituto cenſente *Plutarcho*. c) Venia proin dignum eſſe cenſemus, ſi quis graviſſima urgente neceſſitate, non aliena invadendi libidine, nec pravo cætera affectu, ſui tantum conſervandi, & illius unice quod nociturum videtur avertendi gratia, rebus alienis, pane v. c. alieno utitur, cum animo reſtituendi, ubi meliora affulſerint tempora. Tali quippe facto, inordinato licet, *injuſtitiam* ineſſe non concedimus; cum talis actus principium hic nominare nec liceat, nec detur. Quo nomine etiam LL. divinarum æquitas *furis nocturni occiſorem* à judicio capitis liberum pronunciat. d) Ita quando famis vis extrema mortales in rabiem, ipſam rationem ſubigentem, agit, ut non abhorreant ab eſu carnium humanarum, ſed &, quod durante obſidione Samaritana, *hiſtoria ſacra* Regum; e) & Hieroſolymitana accidiſſe *Ioſephus* f) refert; *vi animi & neceſſitate compulſa, rebus adverſis contra naturam excitata mater, rapto filio dicat: Eſto mihi cibus*: quin, quando caſus ita fert, judicio non ceſſante, ſi furorem hunc coërcendum cenſet judex, ob facti atrocitatem, ne in exemplum forte abeat, mitius id poſſit fieri, quam pœna ordinaria requirit,

c) *l. 2. Opp. de ſer. Num. Vindict. f. 555.*

d) *Exod. 22. ſqq.*

e) *2. Reg. 6. 28.*

f) *Bell. Iud. l. 7. c. 8.*

dubium non eſſe videtur, cum factum hoc ob circumſtantias, non minus miſeratione, quam odio dignum ſit. *Robert. Sharrock* g) ſane, & *Zieglerus*, h) *nil movent de judice* inſulæ Martiniæ, qui Britannis iſtis ex inſula Chriſtophoriana, qui ſociorum carne & ſanguine aliquandiu ſe ſuſtentaverant, parricidij accuſatis, veniam dedit. Rectius Lacedæmonij, apud *Xenophontem* i), Anaxilaum proditionis accuſatum, quod Byzantium hoſtibus tradidiſſet, abſolverunt, *quod ob famem id feciſſet*, παῖδας ὁρῶν καὶ γυναῖκας λιμῷ ἀπολλυμένας, *cum pueros ac mulieres fame pereuntes videret.* Supra nimirum hominem cum hæc ſit neceſſitas, inopia ſcilicet victus quotidiani perire, niſi neceſſitas honeſtatis naturalis prohibeat, licite eidem ceditur, ita ut crudeles cum in ſe, tum in alios cenſeantur, qui id negligunt. Unde cum Briſacum, *ad ultimam famis neceßitatem adactum, Bernhardo Vinarienſi Duci deditionem tandem feciſſet, ratas jam ſubſcriptasq; deditionis conditiones pene evertiſſe iram Ducis*, ſcripſit *Brachelius*, k) *poſtquam intellexit, triginta fere captivos Gallos inedia per ergaſtula miſere periiſſe, ex quibus ſeptem à ſemivivis adhuc ſociis in cibum abſumpti eſſent.*

g) *de Offic. ſecund. l. N. c. 3. n. 11. p. m. 198.*

h) *Not. Grot. l. 2. c. 1. 3.*

i) *Hiſtor. Græc. l. 1. f. 437.*

k) *Hiſtor. noſtri temp. l. 5. p. 48.*

§. 39. Contingit vero nonnunquam, ut plures neceſſitatis caſus ſimul concurrant, inter quos colliſio quædam intercedere videtur; vel ſic ſint comparati, ut unum ante cæ-

cæteros expedire deceat. Id hoc ordine fieri exiſtimamus, ut neceſſitati honeſtatis cedat neceſſitas incolumitatis, ſi illa oritur ex legibus divinis naturalibus, atque moralibus, ſic ut non poſſit, ceu ſupra explicatum, exoriri tanta neceſſitas, ut adverſus eas quæ committuntur, ſub juſti rectique æſtimatione venire queant; non fornicatio tantum, quod concedit *Covarruvias*, a) ſed nec contrectatio rei alienæ, quam *Grotius* b), Scholaſticos ſecutus probat. Leges autem poſitivæ ceremoniales, atque humanæ, neceſſitatem incolumitatis ratione vitæ, niſi ex circumſtantiis aliud licet colligere, excipiunt. Quod ſi Judæi olim obſervare voluiſſent, non diem Sabbathi *in otio & quiete ſuperſtitioſe agendo*, uti *Agatharchides Cnidius* illis apud *Ioſephum* c) objicit, Ptolomæum Lagi Hieroſolymam occupare permiſiſſent. David ſane cum eſuriret, *panes propoſitionis* comedere non dubitavit; d) qui alias non niſi Sacerdotibus in cibum cedebant, ſecundum legem, e) famis nimirum neceſſitate diſpenſationẽ admittente, Chriſto etiam probatam. f) Docet hoc exemplum, monente B. *Brentio*, g) quem B. D. *Sebaſt. Schmid.* h) ſequitur, *quantum neceſſitas in diſpenſatione circa legem ceremonialem valeat.* Conſentit *Chemnitius.* i) Periculum quod ratione incolumitatis urget, quo præſtantior eſt res, quæ in diſcrimine extremo verſatur, item prout reparari, & non reparari poteſt,

a) *t. l. Rel. c. peccat. de reg. jur. P. II. §. 1. n. 5. f. 474.*

b) *l. B. P. II. 2. 6.*

c) *Antiq. Iud. l. 12. c. 1.*

d) *1. Sam. 21. 6. 7.*

e) *Levit. 24. 9.*

f) *Math 12. 3. 4. Luc. 6. 3. 4.*

g) *Com.*

h) *Com. h. l. p. 724.*

i) *Harm. ad Matth. 12.*

ita præ altero potius largitur jus agendi. Si enim duplex tibi imminet periculum, quod evitare neſcias, alterum vitæ, alterum pudicitiæ; prius diſpicere licebit, qua ratione tibi adverſus illud conſulas, etſi hoc ſimul ſubeundum ſit; uti Lucretia fecit. Non minus periculum, quod certo tantum tempore depelli poteſt, imponit agendi neceſſitatem præ illo, contra quod omni tempore ſibi conſulere licet. Hinc privato pro vita armis, ſub moderamine inculpatæ tutelæ tantum, non ita pro fama certare permiſſum eſt, cum illam ſæpius vindicare liceat. Periculum quod ob majus damnum, quod poſt ſe trahit, imponit agendi neceſſitatem, eſt attendendum præ illo, quod cum minori damno & incommodo eſt conjunctum. In pari autem neceſſitatis articulo, prius illi ſuccurrendum, qui ſanguine propior; in impari autem ei qui propior, & calamitoſior. Nota eſt B. *Auguſtini* k) regula: *Omnes homines æque diligendi, ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus, conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte, junguntur*: quæ & hic obſervanda. *Si conſtitueris*, inquit *Cicero*, l) *te cuipiam advocatum in rem præſentem eſſe venturum, atq; interim graviter filius ægrotare cœperit, non ſit contra officium, non facere quod dixeris.*

k) *l. de doctrin. Chriſt c.* 28.

l) 1. *Offic.*

§. 40.

§. 40. Quando diſquiritur, penes quem ſit *definire caſum neceſſitatis*, eundemque æſtimare; nos exiſtimamus, competere hoc judicium naturaliter illis, quibus natura commendavit, & præcepit conſervationem ſui ipſius. Hi enim optime omnium vim, & onus neceſſitatis ſentiunt, quidque humeri poſſint, quid ferre recuſent. *Satis cito dolebis, cum dolor venerit*, ait *Seneca*. a) *Γινώσκω σεο πῆμα*, inquit Bacchus ad Methen apud *Nonnum Panoplit*. b) *καὶ εἰ κρύπτειν μενεαίνεις· δάκρυα σὰς ὀδύνας μαντεύεται*, *cognoſco tuam calamitatem, etſi celare velis; lacrumæ tuos dolores vaticinantur*. Puncto quippe neceſſitatis extremæ ad iſtas redigimur anguſtias, & in eo res verſantur ſtatu, ut conſilium & vires deficiant, plane aliter quam modo ordinario agendi. Unde accidere poteſt, ut is qui viribus & ingenio magis pollet, nondum habeat pro neceſſitatis caſu, alteri licet talis incidiſſe credatur, cui ejuſmodi præſidia deſunt. Hæc an abſint, vel deſint, cum quilibet melius quam alii cognoſcere poſſint, quod unicuique rerum ſuarum ſtatus optime præ aliis notus eſſe recte præſumitur, bene *Covarruvias*, c) *neceſſitas extrema*, inquit, *tunc dicitur, quando imminet vitæ periculum, cui aliter*, niſi hoc vel illud, alias non permiſſum, fiat, *ſubveniri non poteſt, quod cujuſq; rectum & ſincerum arbitrium definire opportune, & pie poterit.* In civitate niſi pacto ſit definitum, ju-

a) *Epiſt.* 13.

b) *Dionyſiac. l.* 18. *ſub fin. p.* 509.

c) *t. l. Relect. c. peccat. de reg. jur. P. II. §.* 1. *n.* 4. *f.* 473.

judicium cognoſcendi, & definiendi caſum neceſſitatis, qui exercitio dominij eminentis locum relinquit, illis competit, penes quos ſumma eſt poteſtas, pro ratione & forma reipublicæ, explicante *Bœclero*. d)

d) *Comm. Grot. P. I. p.* 86.

Articulus II.

De

JURE CHARITATIS.

§. 1.

AD quid agendum *Charitas jus* largiatur, & quid *ſalva charitate* liceat, explicare potuiſſemus ſuperſedere, ſi recte ſe haberent, quæ de Charitate paſſim finguntur, & cum jure naturali, qua homines dirigit, eandē coincidere omnes docerent. Cum enim in definienda charitate non omnes conſentiant; alij *legem charitatis cum jure naturæ non confundi debere* moneant; a) alij charitatem juſtitiæ etiam univerſali ita contradiſtinguant, ut aſſerant, ſolum obligationem charitatis dari poſſe, ubi obligatio juſtitiæ nullo in jure inveniatur; b) quorum veſtigia etiam *Grotius* ſequitur, qui charitatem *ad majorem in N. Teſt. præceptam ſanctimoniam* refert, c) quam *ſolum per ſe jus naturæ exigat*; contingit hinc, ut nec idem ſentiant de jure charitatis. Cujus disſidij prolixior diſcusſio præſentis inſtituti non eſt: Sequentia tantum notabimus.

a) *Bœcler. Com. Grot. P. II. ad l.* 2. *c.* 1. *§.* 8. *p.* 11.
b) *apud Eſcobar. Theol. Moral. tr. V. Exam.* 5. *c.* 6. *n.* 96.
c) *l. B. P. proleg ad l.* 2. 6. *II.* 1. 4. 10. *ſq. c.* 17. 9. 13. *c.* 20. 10. 22. *III.* 11. 2.

§. 2.

§. 2. Aliud nimirum *primo* eſt, loqui de charitate *communi*, ſeu, ſi ita placeat, *univerſali*, aliud de charitate *Chriſtiana*, aliud de *fraterna*, quæ eſt certus charitatis modus. Sic enim genuini charitatis doctores de hac monent diſciplina. *S. Petrus* a) diſtinguit inter ἀγάπην & φιλαδελφίαν; intelligens b) per ἀγάπην *amorem generalem, quo omnes homines complectimur*, quem fraterno amori, conſanguineo fidei peculiari ratione debito, conjungi præcipit. Quod & *Paulus* c) fecit, ἐργαζώμεθα, inquiens, τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως, *operemur bonum, cum erga omnes, tum vero maxime erga domeſticos fidei*; h. e. *Theodoreto* d) explicante, ὁμοπίστους, *qui ſunt ejuſdem fidei*.

a) 2. *Ep. l.* 7.

b) *Gerhard. Com. in* 2. *Epiſt. Pet. I. p.* 53.

c) *Gal.* 6. 10.

d) *Com. h. l. f.* 287.

§. 3. *Charitas univerſalis*, qua contradiſtingui debet eidem, ut notat virtutem Theologicam, atque fructus fidei audit, oritur ex naturali iſta atque ſociali propenſione, qua erga ſe invicem feruntur mortales, atque ſibi bene cupiunt intuitu communis humanitatis, niſi barbaries ejus ſenſum elidat: Quanquam & novi orbis barbaros ob inſignem humanitatem, novis hoſpitibus Hiſpanis exhibitam, cum *navis illorum ſaxo illiſa eſſet, qua nec aſſines affinibus apud nos majori miſericordia tacti ſuccurrunt*, laudavit *Martyr.* a) Ὀυδὲν γὰρ, inquit B. *Baſilius*, b) οὕτως ἴδιον τῆς φύσεως ἡμῶν, ὡς τὸ κοινωνεῖν ἀλλήλοις, καὶ χρῄζειν ἀλλήλων, καὶ ἀγαπᾶν τὸ ὁμόφυλον, *nihil*

a) *Rer. Ocean. l.* 1. *p.* 5.

b) *t.* 2. *Opp. Reg. fuſius diſput. q.* 3. *f.* 534.

 enim

enim natura noſtræ eſt tam peculiare, quam mutua inter nos communicatio, mutuaq; alius aliorum opera indigentia, & in eos qui ejuſdem nobiſcum ſunt generis charitas. Indidit naturæ noſtræ autor DEUS hominibus naturalem hunc amoris affectum, quo ad neceſſitudinem cognationis, dum ex unius hominis ſanguine omnes deſcendimus, colendam, ſtimulos ſentiremus. *Ad humanum* quippe *genus non ſolum naturæ ſimilitudine ſociandum, verum etiam quadam cognationis neceſſitudine in unitatem concordem pacis vinculo colligandum, ex uno homine DEUS homines voluit inſtituere*, cenſente B. *Auguſtino*. c) Et B. *Hieronymus*, d) *grandem vim*, inquit, *vim obtinet vera dilectio: Et qui perfecte amatur, totam ſibi amantis vendicat voluntatem : Nihil eſt imperioſius charitate.* Quæ licet de charitate Chriſtiana ab *Hieronymo* dicantur, ad communem charitatem bene accommodari poſſunt. Non ſolum hinc inter vincula conjungendi inter ſe homines charitas hæc naturalis, & univerſalis, referri debet, *Cicerone* e) etiam agnoſcente, cum *cari ſunt*, inquit, *parentes, cari liberi, propinqui, familiares ; ſed omnes omnium caritates patria una complectitur ; pro qua quis bonus dubitet mortem oppetere, ſi ei ſit profuturus*: Sed & ab hoc fonte veniunt univerſa mortalium officia, quæ ex affectu ſociali profecta, & ſincera eſſe oportet, per latiſſime patentem omnium mortalium inter ſe ſocietatem

c) *de Civit. Dei l.* 14. *c* 1.
d) *ad Celant. t.* 2. *f. m.* 49.
e) *l.* 1. *Offic. c.* 17.

tatem hominibus præſcripta. Varia & complura hæc uti ſunt, ita variis diſtingui debuerunt nominibus, *fortitudinis, liberalitatis, modeſtiæ, manſuetudinis, clementiæ, juſtitiæ* &c. quæ habitibus, per crebra ejuſmodi officiorum exhibitionem acquiſitis, poſtmodum ſunt impoſita. *Praſchius* f) hinc *quot*, inquit, *harum rerum, quot officiorum ac virtutum ſunt appellationes; tot ſunt caritatis nomina, tot ſpecies.* Quo firmius vero homines necterentur, atque obligationis quendam ſenſum, ad præſtanda illa ſemper, & ubivis, officia, in conſcientia ſua experirentur, hunc cognationis affectum lege naturali DEUS munire voluit, cum ut ſocialem iſtam propenſionem, omnibus mortalibus inſitam, convenienti modo dirigeret, tum ut homines obligaret, atque ſe obligatos iidem ſentirent ad ſocialia, hoc eſt caritatis ſibi invicem præſtanda munera. Hinc Almanzor, Muhamedanus Princeps, *Raleigho* ſcriptore in *hiſtoria de Mahomete*, g) *in tentorio ſui copiam publice fecit, quo facilius fieret ad eum pauperibus aditus; cuilibet ſe in nomine* DEI *petenti liberaliter erogans, & an Chriſtianus, Maurus, Iudæus, Ethnicus eſſet, nihil moratus. Inter venandum etiam aliquando via deceptus, & à ſociis derelictus, occurrit miſero homuncioni, qui in ejus conſpectu præ virium defectu in terram deciderat, deſiliit ex equo, infirmoq; equo ſuo impoſito, ipſe ad latus per duas Leucas pedes ivit, frena retinens:*

f) *Comm. de Leg. Charit. §. 7. p. 17. ſq.*

g) *Sharroek. de Offic. ſecund. I. N. c. 9. p. 443.*

nens: Infirmum tandem ad hoſpitium deduxit, juſsitq́, ut ei ſedulo in omnibus inſerviretur, quoad uſq; convaluerit. Veniam etiam poſtea eidem petenti, *imo*, reſpondit, *neq́ mihi gratias agas, ſed ſupremo mundi creatori, à quo ita eſt ordinatum, ut ipſe tibi occurrerem; illo quippe officio tantum jam functus ſum, quo erga miſeros teneor.*

§. 4. Cum itaq; Charitatis hujus officia & actus coincidunt cum officiis, & actibus jure naturali præceptis, imo, quia lege hac præcipiuntur, in officia, & actus jure hoc præceptos tranſeunt, denique tam late etiam erga eadem objecta ſe exerunt, atque ea quæ jus naturale injungit; patet ipſam legem naturæ eſſe legem charitatis, & rem lege naturali præceptam, eſſe ipſam charitatem, ita ut lex charitatis communis, & univerſalis, ceu æque late patens, & eadem præcipiens, prohibenſque, cum J. N. coincidat, & quoad rem ipſum J. N. ſit. Quo nomine etiam alibi a) diximus, Charitatem, ceu magis latitudini J. N. & ejus diſciplinæ adæquatam, pro ſocialitate mortalium inter ſe tantum, poſſe ſubſtitui, ad propoſitionem aliquam hujus doctrinæ fundamentalem, & univerſalem, formandam; quemadmodum & *Cumberlandus* b) omnes naturæ leges ad unam, de *Benevolentia* erga rationales creaturas, reduxit. Ipſa hæc eſt Charitas. *Liceat*, inquit enim, *hoc nomine complecti etiam illum affectum,* quo

a) *Vindic. Orig. I. N. controv. 5. n. 2. p. 77.*

b) *de LL. nat. c. 1. §. 4. p. m. 4.*

quo ſuperioribus grata volumus, qui pietatis in DEUM, patriam, parentes, nomine ſpeciatim inſignitur. Prout ergo juris naturalis leges aliæ obligant hominem in reſpectu ad DEUM, aliæ in ordine ad ſeipſum, aliæ quoad officia, proximo in vita ſociali debita; ita Charitas directe ſub ſe continet officia hominis erga DEUM, ſeipſum, & proximum ſeu ſocium. Hanc dici ſummam legis æternæ, & immutabilis, ipſe *Chriſtus* probavit, c) docuitque: d) Ἀγαπήσεις, inquiens, Κύριον τὸν Θεόν σου, ἐν ὅλῃ τῇ καρδίᾳ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ ψυχῇ σου, καὶ ἐν ὅλῃ τῇ διανοίᾳ σου, *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua*; & τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν, *proximum tuum perinde atq; teipſum.* Præceptum Magiſtri noſtri ſecuti Eccleſiæ Doctores idem inculcarunt. *Iuſtum eſt Domine*, B. inquit *Cyprianus*, e) *ut diligamus te, quia & ipſe nos diligis: Et iniquum omnino eſt, ut te in aliquo dilecti tui offendant. Vere hoc mandatum legem complectitur & Prophetas, & in hoc verbo omnium ſcripturarum volumina coartantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc verbi tui clamat autoritas.* Glorioſus *Martyr Iuſtinus* f) vero ita ſcripſit: Ὁ τὸν πλησίον ὡς ἑαυτὸν ἀγαπῶν, ἅπερ αὐτῷ βούλεται ἀγαθά, κἀκείνῳ βουλήσεται· Οὐδεὶς δὲ ἑαυτῷ κακὰ βουλήσεται, τοῦτ' οὖν τῷ πλησίον εὔξαιτ' ἄν, καὶ ἐργάσαιτο. γοῦν ὅτι ἅπερ καὶ ἑαυτῷ ὁ τὸν πλησίον ἀγαπῶν· πλησίον δὲ ἀνθρώπου οὐδὲν ἄλλο ἐστίν, ἢ τὸ ὁμοιοπαθὲς, καὶ λογικὸν ζῶον ὁ ἄν-

c) *Luc.* 10. 27.
d) *Math* 22. 37. 39.
e) *Serm. de Bapt. Chriſti f. m.* 434.
f) *Dial. cum Tryph. f.* 321.

ὁ ἄνθρωπος, cui proximus perinde, atq; ipſe ſibi charus eſt, in quæ ſibi ipſi obvenire vult, eadem illi optarit commoda. Nemo certe quidem ſibi ipſi male vult, proinde proximo precabitur & præſtabit, quæcunq; ſibi expetet, proximum diligens. Homini autem propinquius nihil eſt, quam iiſdem perpeſſionibus obnoxium & ratione præditum animal homo. Ἀνακεφαλαίωσις ergo, *ſummaria* quædam *comprehenſio* Decalogi, & πλήρωμα τοῦ νόμου, *plenitudo*, ſummaria ſcil. *legis*
g) Rom.13. 9. ſq. moralis, *Paulo* g) monente, cum ſit Charitas, Juris naturalis quoque eandem quandam anacephalæoſin, & quoad rem ipſum J. N. eſſe relinquitur; ita ut quæ *ex ſola lege charitatis debentur, etiam jure naturæ deberi dicantur*, explicante *Hülſemanno*. h)

h) *Corrept. frat.* §. 5. n. 30. §. 7. n. 31. §. 13. n. 220.

§. 5. Ratio vero, quare lex naturæ lex Charitatis ſit, & dici queat, hæc eſt, quia ipſe naturalis cognationis affectus, & ſocialis iſta propenſio, qua ſe invicem mutua benevolentia mortales complectuntur, ſibique bene cupiunt, ad ea quæ jure naturali præcepta ſunt inclinat, ita ut officia legis naturalis, ſi recte ſe habent, ex inſito hoc amore proficiſci, nihilque pro vere ſociali haberi debeat, niſi ex affectu hoc ſociali, amore proximi ſcil. profectum fuerit. Eximie *Seneca*, a) *natura*, inquit, *nos cognatos edidit, cum ex iiſdem & in eadem gigneret. Hæc nobis amorem indidit mutuum, & ſociales fecit.* Ex noſtris vero *Lactantius* b) ita loquitur: *Dedit DEUS præter cætera*

a) *Epiſt.* 95.

b) *l.* 6. *c.* 10. *add. c.* 11.

cætera homini hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat, & præſtet auxilia. Item: *Conſanguinei ſumus, & ideo maximum ſcelus putandum eſt, odiſſe hominem, vel nocentem.* Unde mox ſic infert: *Ergo pro belluis immanibus ſunt habendi, qui hominibus nocent, qui contra jus humanitatis, & fas omne ſpoliant, cruciant, occidunt, exterminant.* Satis hæc docent, quî officia juris naturalis officia charitatis ſint, atque dici debeant.

§. 6. Coincidit hæc charitas præterea cum Juſtitia univerſali: Debetur enim proximo. Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾷν ἀλλήλους, *nemini quicquam debeatis, niſi hoc ut invicem diligatis,* *Paulus* a) monet. Legale hoc debitum eſt. Ο῾ δ᾽ νόμιμος δίκαιος πάντα τὰ νόμιμά ἐστί πως δίκαια, *qui vero leges ſervat juſtus; quæ legitima quodammodo juſta ſunt,* juſtitia ſcil. univerſali, ſecundum *Ariſtotelem.* b) Unde *Thomas,* c) *juſtitia,* inquit, univerſalis ſcil. *eſt circa operationes, quæ ſunt ad alium, ſub ratione debiti legalis.* Dubium vero nullum eſt, quin Charitas ita proximum reſpiciat, & ſit ad alterum, ſub tali ratione: cum unicuique ſuum æque tribuat æqualiter, atque juſtitia; & proin eodem adæquatoque nitatur fundamento, & ratione quo juſtitia. Licet juſtitiæ vocabulum debiti rationem in his præſtandis officiis; Charitatis vox autem propenſionem animi benignam,

ex

a) *Rom.* 13. 8.

b) 5. *Ethic. c.* 1.

c) 2. 2. *q.* 23. *art.* 3. *ad prim.*

Digitized by Google

ex qua proficiſci debent, magis exprimat. Oppoſitam injuſtitiam *Xenophon* d) vocat *ἀνομίαν*; ſignificans; juſtum eſſe id, quod eſt legi conſentaneum. Quam late itaque lex naturæ, quæ juſta præcipit, & cum lege charitatis coincidit, patet, tam late patet juſtitia univerſalis, jus univerſale. Summam vero omnium legum, & ſic univerſalis juſtitiæ, quoque eſſe Charitatem, rurſus *Paulus* e) docet: Ὁ πᾶς νόμος ἐν ἑνὶ λόγῳ πληροῦται, ἐν τῷ, ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σου ὡς ἑαυτόν, *tota lex in uno verbo completur, nempe hoc: Diliges proximum tuum ut teipſum.* Juſtitiæ lex: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris,* lex etiam eſt charitatis. Præterea uti, *Ariſtotele* f) ulterius notante, juſtitia hæc οὐ μέρος ἀρετῆς, ἀλλὰ ὅλη ἀρετή ἐστιν, *non virtutis pars eſt, ſed univerſa virtus*; συναγωγὴ τῆς ἀρετῆς συμπασῶν, ἐν ᾗ δὴ πᾶσαι ἔνεισι συλλήβδην, *univerſarum virtutum collectio, in qua cuncta comprehenſim inſunt,* hinc dicta *Iamblicho* apud *Stobæum*, g) ita nec pars eſt charitatis, ſed ipſa charitas, quæ ab ipſa virtute in genere ſumta quoad rem non differt. *Nihil eſt* enim, *Heideggero* h) etiam obſervatum, *virtus aliud, quam charitas.* Unde apud *Platonem* i) dicitur, τὸ εὖ, καὶ δικαίως, ταυτὸν εἶ(ναι). *bene & honeſte & juſte vivere idem eſſe.* Omnium virtutum actus in generali hac ratione conveniunt, quod ſint actus charitatis, non finaliter tantum, quod contra *Thomam*, k) & qui eum ſequuntur no-

d) *l. 4. Memorab.*

e) *Gal. 5. 14.*

f) *l. c.*

g) *Serm. 9. f. 104.*

h) *Diſſert. ſelect. tom. 1. diſſ. 14. §. 7.*

i) *Criton. f. 372.*

k) *l. c. ad tert.*

notamus, ſed etiam formaliter. Sunt enim per naturam ſuam actus ſociales, & in omnibus aliqua ratio charitatis datur, cum qua inſeparabiliter conjuncta eſt laudata modo juris regula: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* *Grotium* eundem, incaute Scholaſticos ſequendo, cum illis erraſſe paſſim errorem, in opere de J. Belli & Pacis, jam monuimus. *Sciendum eſt,* inquit, l) *latius patere charitatis, quam juris regulas.* Atqui hæc eſt, *Chriſto* m) doctore, ſumma, & regula charitatis: Πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, οὕτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε αὐτοῖς, *omnia quæcunque volueritis ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis*; quæ eſt ipſius juſtitiæ præceptum: imo utriuſque, & charitatis, &, quæ *Hieronymi* n) verba ſunt, *totius juſtitiæ breviarium.* Explicans hoc eruditiſſimus Doctor, *infinita namque ſunt,* inquit, *ſpecies parteſque juſtitiæ: quas non modo ſtilo perſequi, ſed cogitatione etiam capere difficillimum eſt: Quas omnes una ac brevi ſententia comprehendit &c. Ad omnem igitur actum, ad omne verbum, ad omne etiam cogitatum, hæc ſententia retractetur: quæ tibi quaſi ſpeculum quoddam paratum, & ad manum ſemper poſitum, qualitatem tuæ voluntatis oſtendat, ac etiam vel de injuſto opere redarguat, vel de juſto lætificet.* Summa legis ergo, cujus breviarium eſt charitas, cum ſit ipſa ſumma totius juſtitiæ quoque, latius illius quam hujus patere regulas, non recte

l) *L. B. P. II. L.* 13. 4.

m) *Math.* 7. 12.

n) *T. I. Opp. ad Celant. f. m.* 50.

 aſſe-

aſſeritur. Juſtitiæ particulari, tanquam parti, Charitas tanquam totum contra diſtinguitur, atq; ſic Charitate aliquid vetari dici poteſt, quod juſtitia, particulari ſcil. non ſit prohibitum.

§. 7. Idem etiam de *Charitate Chriſtiana*, quam ſcriptura ſacra, quæ principium Chriſtiani eſt officij, omnibus hominibus exhibere jubet, verum eſt. Ad Chriſtianos ſcripſit *Paulus*, a) ἐργαζώμεθα, inquiens, τὸ ἀγαθὸν πρὸς πάντας, *operemur bonum erga omnes.* Decalogus, cujus ſumma eſt charitas Chriſtianis præſtanda, repetitio non ſolum eſt juris naturalis, ſed & à Chriſto b) proponitur, tanquam breviarium Charitatis, & totius juſtitiæ. Nec quia Chriſtiana dicitur hæc charitas, reſtringitur, & communis erga cunctos eſſe deſinit: Proximus quippe Chriſtiano diligendus, qui talis natura, ideo ſcil. *quia homo eſt, & idem quod nos ſumus*, ut *Lactantius* c) explicat, & neceſſitate: *Omnes homines æque diligendi*, ait B. *Auguſtinus*: d) Sed ad ſingulare hujus virtutis principium, & peculiare gratiæ auxilium in ejus exercitio, quo ſoli regeniti & Chriſtiani gaudent, majorem denique perfectionem reſpicitur, quam habet præ illo ſociali charitatis affectu, quam ex naturæ viribus ſibi invicem præſtant, qui Chriſtianiſmo non ſunt initiati. Hoc ſenſu *Tertullianus*, e) *amicos diligere omnium eſſe* dicit; *inimicos autem ſolorum Chriſtianorum.* Paulo ante

a) *Gal.* 6. 10.
b) *Matth.* 7. 12.
c) *l.* 6. *c.* 11.
d) *l.* 1. *de doctr. Chriſt. c.* 28.
e) *ad Scapul. c.* 1.

ante ſic ſcripſerat: *Ita enim diſciplina jubemur diligere inimicos quoque, & orare pro eis, qui nos proſequuntur: ut hæc ſit perfecta & propria bonitas noſtra, non communis.* Pertinet huc eximius *Gregorij Nyſſeni* f) libellus: Ὁποῖον χρὴ εἶναι τὸν χριστιανόν, *qualem deceat eſſe Chriſtianum.*

f) *t.* 3. *Opp.*

§. 8. Charitas hæc Chriſtiana, quæ debetur, exhibeturque à Chriſtiano fidei conſanguineo tantum, vocatur *Fraterna.* In ſcripturis ſacris a) φιλαδελφία dicitur, quod proximum ceu fratrem complectitur, tanquam ex DEO ſecum natum, b) explicante *Muſæo.* c) Prior his & intenſior dilectionis gradus debetur, præ extraneis, frequentior exhibitio officiorum, quæ ad plura etiam, atque Chriſtianis ſolis propria ſe extendit, quæ aliis, quia non habent eandem nobiſcum fidem, nec eandem ſpem vocationis, nec idem baptiſma, præſtare nec poſſumus, nec debemus. Debemus hæretico charitatem quidem communem; adverſus eandem vero non peccavit Johannes, Apoſtolus, in eodem balneo cum Cerintho lavandi gratia morari detrectans, quando, *fugiamus,* inquit apud *Euſebium,* d) *ne balneum corruat, in quo Cerinthus veritatis inimicus lavat:* quem tamen Chriſtiana charitate ardentiſſime flagraſſe conſtat. Polycarpus etiam Marcioni Pontico dicenti: Ἐπιγινώσκεις ἡμᾶς, *agnoſciſne nos,* reſpondit, eodem

a) *Rom.* 12. 10. 1. *Theſſ.* 4. 9. 2. *Pet.* 1. 7.
b) *Iohann.* 1. 12. *ſq.* 1. *Ioh.* 3. 1. 1. *Ioh.* 5. 1.
c) *diſp.* 2. *de Eccleſ.* §. 109. *ſqq.*
d) *Hiſt. Eccleſ. l.* 4. *c.* 14.

c) *ibid.* dem ſcriptore c) memorante, *agnoſco primogenitum Satanæ.*

§. 9. Deinde, quemadmodum non eodem modo ea, quæ juris naturalis eſſe feruntur, ita dicuntur, monentibus ita fratribus *Grotiis*, *Hugone*, a) & *Guilielmo*; b) ita pari ratione inter *Charitatem præcipientem*, *concedentem*, & *ſuadentem*, diſtinguere licet, cum eadem ſit illorum conſequentia, quæ idem ſignificant. Præcipit enim, prohibetque charitas eadem, quæ jure naturali præcipiuntur, vetanturque, cum pari obligatione, qua J. N. mortales ad obſequium ligat. Et cum naturæ jus etiam facultatem conferat aliquid juſte habendi, vel agendi, v. c. ſe defendendi adverſus periculum; vel non repugnando aliquid permittat, eo modo, quem *Hugo Grotius* c) *reductivum*, alij *negativum* appellarunt, quemadmodum & juſta appellantur, non ſolum quæ ex juſtitia debentur, ſed etiam ea, quæ non ſunt contra juſtitiam: Ita pari ratione Charitas nonnunquam aliquid non quidem præcipit, ejus tamen agendi facultatem poſitive largitur, protegendi v. c. infirmiorem adverſus imminentem vim injuſtam potentioris; vel non obſtat, quo minus aliquid fiat, quo minus v. c. bello juſto novo armorum genere, quod crudele non eſt, hoſtis oppugnetur; vel de ſuis bonis ultima edita voluntate quis diſponat; aut læſus injuriam remittat, nullam urgens vel admittens ſatis-

a) *l. B. P. l. I. 10.*
b) *de Princip. I. N. c. 2.*
c) *l. c.*

fa-

Digitized by Google

factionem, exemplo M. Catonis apud *Senecam*; d) qui, *cum in balneo quidam eum imprudens percuſſit, poſtea ſatisfacienti, non memini, inquit, percuſſum me.* Hac poſteriori ratione etiam opera charitatis, non præcipientis quidem, ſed non repugnantis, dici poſſunt actus, qui cum ſint indebiti, ex prævalente charitate communem liberalitatis, miſericordiæ, benignitatis, & manſuetudinis modum, ſine vitio tamen, excedunt. Talis fuit humanitas Alexandri erga gregarium militem apud *Curtium*, e) quem rigore frigoris *torpentem, quanquam ipſe tunc maxime admoto igne refoveret artus, demptis armis in ſua ſede, unde exiluerat, conſidere, & requieſcere juſſit.* Non minus multa ſunt, quæ jus naturale ſuadet, non ideo tantum, quia ſunt honeſta, ſed etiam quia oppoſitis ſuis meliora, & pro certo rerum ſtatu ad ſecuritatem, pacem, atq; tranquillitatem, præ aliis facere creduntur; eodem modo charitatis aliquid eſſe dicitur, quod melius ſit ſuo oppoſito, & quod charitas fieri potius, quam omitti ſuadeat. Hoc ſenſu charitatis eſt, omitti uſum armorum veneno infectorum in bellis Chriſtianorum: Cum non ad internecionem, ſed ad victoriam conſequendam, bella gerere debeant.

d) 2. *de Ira c.* 32.

e) *l.* 8. *c.* 4.

§. 10. Triplex hinc naſcitur *jus Charitatis*, & ex Charitate agendi: Ex *præcepto* nimirum, ex *conceſſione*, & *permiſſione*, atque

Digitized by Google

ex charitatis *ſuaſione.* Jus agendi quod ex Charitatis *præcepto* oritur, pertinet ad obſequij gloriam, quod J. naturali præceptivo debemus. Quod ſuas vero origines Charitatis conceſſioni poſitivæ, & permiſſioni negativæ refert acceptas, ratione *conceſſionis* eſt facultas quædam moralis ad agendum, vigore charitatis alteri debitæ, citra tamen agendi obligationem, perſonæ competens; & ad habendum aliquid, poſtulandumque, ob charitatem ab altero debitam. Dico citra agendi obligationem. Licet enim v. c. teneatur invaſor alterius admittere defenſionem iniqueab eo oppreſſorum, contra vim injuſtam; *dedit* enim *DEVS*, ut loquitur *Lactantius*, a) *homini præter cætera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat, & præſtet auxilia*; defenſio tamen iſta conceſſa potius, quam præcepta eſt, & proinde licita, citra tamen obligationem agendi. Redderetur enim ejus, qui opera charitatis exercet, conditio diſpar, & longe deterior conditione ejus, qui auxilio indiget, ſi, cum aliquid eſt charitati congruum, ſtatim à charitate præceptum foret. Quapropter cum charitas, cæteris paribus, primo omnium rationem ejus habet, à quo charitatis officia expectantur, non ea illi legali imperat obligatione, quorum exhibitione proximum jure & comodo ſibi quis anteponeret. *Nam ſibi ut quiſq; malit, quod ad*

a) *l. 6. c. 10.*

ad uſum vitæ pertineat, quam alteri acquirere, conceſſum eſt, non repugnante natura, ait *Cicero*. b) Unde in talibus facultatem agendi potius, cum libertate quadam, concedit charitas, in quibus ſemper præſtandis iniquior exhibentis, quam accipientis redditur conditio. Quod vero ex nuda facti *permiſſione* jus charitatis oritur, fundatur in nuda non repugnantia charitatis, cum, quod illi non adverſatur, ex naturali agendi libertate agere liceat; & ibi ex proprio arbitio agendi jus detur, ubi neque phyſicum, neque morale obſtat impedimentum. Quod charitate denique *ſuadente* jus habemus agendi, oritur ex majori cum illa propinquitate & convenientia, quam factum aliquod habet præ ſuo oppoſito, contrario nimirum, & omiſſione; prout præſens ſtatus rerum, aliarumque circumſtantiarum conditio, ſocialem inter mortales affectum, indeque ortum συμπαθείας ſenſum, benevolam item, benignamque animi propenſionem erga proximum prævalere ſuaſerit. Bene ex noſtra, h. e. Chriſtiana diſciplina B. *Baſilius*, c) τῆς ἀγάπης, inquit, ἐξαίρετα δύο ταῦτα· τὸ λυπεῖσθαι μὲν καὶ ἀγωνιᾶν ἐφ' οἷς βλάπτεται ὁ ἀγαπώμενος· χαίρειν δὲ, καὶ ἀγωνίζεσθαι ὑπὲρ τῆς ὠφελείας αὐτοῦ, *charitatis præcipua ſunt duo hæc, dolere, & angi in iis rebus, ex quibus læditur is, adverſus quem charitas habetur: ſimiliterque ipſius utilitate lætari, & pro ea laborare.*

b) 3. *Offic.* c. 5.

c) *t. 2. Opp. Epitom. Regg. q.* 175. *f.* 683.

§. 11. Amant vero charitatis officia, atque jura, certum quendam ordinem, ſecundum quem exerceantur, idque tam ratione perſonarum, quibus charitas exhibetur, quam ratione bonorum, quæ aliis procurare ſtudeamus. Initium hujus ordinis eſt propria cujuſque perſona, cæteris tamen paribus. Incipit enim charitas à ſeipſa, ſic ut in eodem bonorum genere quis priorem & potiorem ſui, quam proximi poſſit habere rationem. Unde B. *Auguſtinus*, a) *quatuor*, inquit, *ſunt diligenda: Vnum quod ſupra nos eſt, DEVS: alterum quod nos ſumus: tertium quod juxta nos eſt, ſcil. proximus: quartum quod infra nos eſt, ſcil. corpus proprium.* Proximum nimirum, *quantum ad ſalutem animæ, magis debemus*, ut *Thomas* b) loquitur, *diligere, quam proprium corpus*; quod & divinus charitatis doctor, S. *Iohannes* c) monuit. Defenſionem itaque vitæ ex charitatis conceſſione, etiam cum cæde aggreſſoris, licet inſtituere, ſi quis ab inſultatore injuſto in extremum ſalutis diſcrimen eſt conjectus. Utitur enim in tali defenſione invaſus jure ſuo. Et cum, ceu recte *Dicaſtillo* d) monet, injuſtus aggreſſor *ex mera, & libera culpa ſua alium aggreditur, ſic ut ſuum animæ periculum poſſit impedire, non aggrediendo alterum*, ad ſibi parcendum, ejus, quem injuſte & ſumma malitia opprimit, charitatem non obligabit, cum vitæ ſuæ homo non habet hanc poteſtatem, ut petulanter alienum

a) *l.* 1. *de doct. Chriſt. c.* 23.

b) 2. 2. *q.* 26. *art.* 5. *Reſp.*

c) 1. *Ep.* 3. 16.

d) *de L. & I. l.* 2. *tract.* 1. *diſp.* 10. *dub.* 3. *n.* 39. *f.* 293.

num ſcelus, in ea deſtruenda, ſe exercere ſinat. Quod uti de charitate, quam exteris, & à fide noſtra alienis debemus, dubio caret, ita non minus dubium eſt, quin charitas fraterna, propter fratris animæ periculum plus juris, majoremque tali caſu concedat patientiam; quanquam nec tum liceat vitam temere profundere. Habet enim & hæc charitas ſuos terminos. Vitæ quippe cuſtodiam non ſolum inſtinctus naturæ, omnibus animantibus communis, e) commendat, ſed & lex charitatis imperat, & ceu naturæ jus præcipit, ne DEI injuſſu, qui vitæ noſtræ Dominus eſt, ex hac vita demigrantes, ejus nos ſubducamus arbitrio. Idem monuerunt Gentiles, ex quibus *Plato* f) expectandum præcepit, *ἕως ἂν ὁ Θεὸς αὐτὸς ἀπολύσῃ ἡμᾶς, quoad ipſe DEVS nos ſolvat.*

e) *Cicer. 1. off. 4.*

f) *Phædon. f. m. 377.*

§. 12. Cæterum cum hoc jus charitatis, quo homo ſe ſuamque vitam amat, non ſit contra jus ſuperioris, DEI nimirum, cujus dilectioni dilectionis ſui ipſius jura cedunt, recte fecerunt Martyres, qui, uti *Conſtitutiones Apoſtolicæ* a) loquuntur, *pro verbo veritatis, διὰ τοῦ οἰκείου αἵματος, proprio ſanguine effuſo decertarunt.* Et cum idem non ſit contra jus Magiſtratus commiſſa ſcelera puniendi, præcipere poteſt reo, qui ſupplicio capitali eſt afficiendus, *paſſive* ut mortem admittat, & ea proin agat, quæ ad paſſionem mortis admittendam ſunt neceſſaria, veſtes nimirum

a) *l. 5. c. 9.*

ut exuat, rogum conſcendat, vel ſcalam patibuli, expanſiſq; membris rotæ ſe dextre applicet &c. Hoc juri charitatis adverſari affirmamus, ſi judex reo præcipit, ut mortem quam meritus eſt, ipſe procuret *active*, uti apud Japonenſes hodie, autore *Montano*, b) reus ſibi ventrem ſcindere jubetur. Ut cum reum puniat, non neceſſe eſt, ut affectum, & amorem hominis naturalem erga ſeipſum, impugnatum directe, & deſtructum eat, & vim non neceſſariam ipſi naturæ inferat; cum, monente Dn. D. *Stryckio*, c) *judici facultas non ſit exercendi in corpus alterius arbitrium irreſtrictum, cum non profluat illa ex jure dominij, ſed ſola delicti proportione.*

b) *Iapon. f. 83. ſq.*

c) *de Iure hominis in ſeipſ. c. 3. n. 34.*

§. 13. In *ordine* quem charitas amat, amantis propriam perſonam ſequitur PROXIMUS. *Debes* enim *proximum diligere, ὡς, ſicut teipſum.* Etſi vero omnis homo proximus ſit, cui ex juſtitia amor debetur; unde & *Oecumenio* a) ὁ ποιῶν δικαιοσύνην dicitur ἀγαπᾷν τοὺς ἀδελφοὺς, ὁ δὲ μὴ ποιῶν δικαιοσύνην, τῷ μὴ ποιεῖν αὐτὴν μισῶν τοὺς ἀδελφοὺς, *is qui juſtitiam facit diligere fratres; qui vero non facit juſtitiam, eo quod eam non facit odiſſe fratres*; quod & quoad cæteros homines verum eſt: Attamen cum proximi hujus non eadem ſit ratio, ſed alter altero propior, illum vult charitas obſervari ordinem, non quem voluntaria benevolentia, ſed quem indoles vitæ ſocialis fert, & conſtituit. Sic enim *Cicerone* b) do-

a) *in 1. Ioh. 3. p. m. 272.*

b) *1 Offic. 16.*

docente, *optime ſocietas hominum, conjunctioq; ſervabitur, ſi ut quiſq; erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Omnium itaque hominum ab unius ſanguine deſcendentium arcta uti datur ſocietas, ita omnium mutuus hinc naſcitur amor, atque univerſalis iſta omnium mortalium charitas, ut homo hominem ideo, quia homo eſt, ſincere diligere debeat. Obligatio univerſalis hujus charitatis, omnibus hominibus debitæ, quoad habitum ſemper durat, quoad certum ſpeciem actus licet interdum ſuſpendatur, vel actibus aliis debitis cedat, prout nimirum ſpecialis aliqua obligatio univerſali iſti ſupervenians prævalet: ſecundum regulam B. *Auguſtini* c) ſupra adductam: *Omnes homines æque diligendi, ſed cum omnibus prodeſſe non poſſis, his potiſſimum conſulendum eſt, qui pro locorum, & temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus conſtrictius tibi, quaſi quadam ſorte junguntur.* Ex Gentilibus *Cicero* d) gradus ſocietatis humanæ in hunc finem, ceu rationem ordinis in exhibendis charitatis officiis, exponit, *Vt enim*, inquit, *ab infinita illa* hominum ſocietate *diſcedatur, propior eſt ejuſdem* gentis, nationis, linguæ. *Interius etiam eſt, ejuſdem eſſe* civitatis. *Arctior eſt vero colligatio ſocietatis* propinquorum, *primo in ipſo conjugio: proxime in* liberis, *deinde in una* domo. *Sequuntur* fratrum conjunctiones, *poſt* conſobrinorum, ſobrinorum ſequuntur

c) *l.* 1. *de doct. Chriſt. c.* 28.

d) 1. *Offic.* 17.

affi-

affinitates, *ex quibus etiam plures propinqui.* Addit *bonorum virorum, familiaritate conjunctorum, ſocietates*, eximie commendatas, *communitates* item *ex beneficiis ultro citroq; datis acceptiſq;*: Illam vero quæ *eſt unicuiq; noſtrum cum Republica*, omnibus præfert, ceu cunctis *gratiorem & chariorem.* *Sed ſi contentio quædam & comparatio fiat, quibus plurimum tribuendum ſit officij*, principem locum tribuit *patriæ* & *parentibus*; proximum *liberis, totiq; domo*; deinceps bene *convenientibus propinquis*, & cæteris *amicis.* Monet etiam *in omnibus officiis tribuendis videndum eſſe, quid cuique maxime neceſſe ſit, & quid quiſq; nobiſcum, vel ſine nobis aut poßit conſequi, aut non poßit*, quodque non ſint iidem *neceßitudinum* gradus, qui & *temporum.* Multa etiam quæ hic uſum habere poſſunt, diſſeruit *Simplicius.* e) Ante illorũ tempora *Ariſtoteteles* f) hanc tractans diſciplinam, cum πάντα τὰ τοιαῦτα ἀκριβῶς μὲν διορίσαι οὐ ῥᾴδιον, *omnia* in particulari *ſubtiliter & enucleate definire difficile eſſe* dixit, generales tradit regulas, exemplis declaratas, quæ non parum adferunt lucis, quæſtioni huic de ordine, quo unicuiq; charitatis officia ſunt exhibenda: Καθόλου μὲν τὸ ὀφείλημα ἀποδοτέον, *univerſe quidem ſanciendo, id quod debetur reddendum eſſe*, non & *primo*; addit tamen primo, quando aliquid ὑπερτείνῃ τοῦ καλοῦ, ἢ τοῦ ἀναγκαίου, πρὸς ταῦτ' ἀποκλιτέον, *plus honeſtatis, vel neceßitatis habet, ad illud propendendum.*

e) *Comm. in Enchir. Epict. c.* 37.
f) 9. *Ethic. c.* 2.

Et

Et cum *οὐ ταὐτὰ πᾶσιν ἀποδοτέον, non eadem omnibus tribuenda,* verum *ἕτερα γονεῦσι, καὶ ἀδελφοῖς, καὶ ἑταίροις, καὶ εὐεργέταις, alia atque alia parentibus, & fratribus, & ſodalibus, & bene meritis deberi,* dixiſſet, *ſecundo ἑκάστοις τὰ οἰκεῖα, καὶ τὰ ἁρμόττοντα ἀπονεμητέον, ſua cuique & accommodata eſſe tribuenda.* Tertio addit, *καὶ συγγενέσι δὲ, καὶ φυλέταις, καὶ πολίταις, καὶ τοῖς λοιποῖς, ἅπασιν ἀεὶ πειρατέον τὸ οἰκεῖον ἀπονέμειν, καὶ συγκρίνειν τὰ ἑκάστοις ὑπάρχοντα κατ' οἰκειότητα καὶ ἀρετὴν ἢ χρῆσιν, ut cognatis, tribulibus, civibus, ceteriſque omnibus ſuum cuique jus, ſuumque honorem tribuamus, dandam operam eſſe, conferendo inter ſe, & perpendendo, quæ cuique inſunt ratione neceſſitudinis, & virtutis, vel uſus.* Obſervandum tamen, quod *Theophraſtus,* Ariſtotelis diſcipulus, ceu huc quoque pertinens, caute monuit apud *A. Gellium:* g) *Has omnes officiorum exiſtimationes alia nonnunquam momenta extrinſecus atque alias quaſi appendices perſonarum & cauſarum & temporum, & circumſtantia ipſius neceſſitates, quas includere in præcepta difficile eſt, moderari & regere, & quaſi gubernare, & nunc ratas efficere, nunc irritas.* Hæc Philoſophus Peripateticus modeſtiſſimus, & doctiſſimus, *Gellij* judicio; quæ Chriſtianorum diſciplinæ, & Theologiæ morali, non contrariantur.

g) *Noct. Att. l. 1. c. 3.*

§. 14. Sequimur hanc veterum ſapientiam, & ejus veſtigia, notamuſque, *ordinem* iſtum, quem exhibitio officiorum charitatis

ritatis amat, & jus ex charitate agendi, ſpectari vel *inter propriam cujuſq; perſonam atq; proximum*, quando ſcil. amor ſui cedit amori, quem alteri debemus; vel *in proximo ipſo diligendo. Prius* enim quod attinet, contingit ut amor ſui ſic cedat amori alterius, ut ſuam vitam quis alterius ſaluti præferendi jus non habeat, ſi v. c. patriæ ſalus ita requirit, vel ſi à principe ſuo, vel parente, quis invaditur, vel quando citra animæ propriæ exitium proximi animæ periculum avertitur. Patriæ vero, & ſalutem plurium quod attinet, commune etiam aliis, & ex legitimi officij ratione debitum eſt periculum, non vicarium, ad quod ſubeundum quis teneatur. Vicaria enim vice pro alio mori homine, qui non eſt vitæ ſuæ dominus, vitæque ſuæ ponendæ jus non habet, non licet. Anomala ergo illorum eſt charitas, *Bozio* a) relata, qui aliorum ſupplicia pro eorundem maleficio expiando ſibi popoſcerunt: quo loco etiam haberemus amicitiam Damonis & Pythiæ, apud *Valer. Maxim.* b) niſi alteri de ſinceritate alterius ſatis conſtitiſſet. Aſt qua ratione pro patria vita poni debeat, ita docet apud *Dionyſ. Halicarnaſſ.* c) C. Horatius: *Captis*, inquiens, *armis una cum illis, qui patriam ſalvam cupiunt, bona ſpe factisq; freti ad certamen ibimus &c. Quod ſi quis DEVS forte nobis obſiſtat, & Reipublicæ ſaluti adverſetur, haud tamen pro ea pietate, & animi alacritate, quæ in ne-*

a) *l. 6. de ſign. Eccleſ. c. 1.*

b) *l. 3. c. 7. Exter. 1.*

c) *l. 10. Antiq.*

Digitized by Google

nobis eſt peribit: ſed mortem omnium honeſtiſſimam pro patria eligemus. Obligat ad hoc cives cum ſummum imperium, tum fides hoc nomine civitati data ex jure, quo mutuæ defenſionis gratia cum aliis paciſci licet, quod etiam primis civitatis pactis continetur. Diſputans autem *Vaſquius* d) contra *Dominicum Sotum, licere ſe defendere etiam cum nece aggreſſoris, licet is ſit Princeps, vel dux,* fallitur. Amor enim ſui uti ordinatus eſt, ita debito quoque Principi juri conformis, ut à ſubdito ſcil. ſanctus, & inviolabilis habeatur. Nicolai Sturij factum ſupra ex *Loccenio* e) laudavimus. Ex ejuſdem pietatis ſenſu apud *Famianum Stradam,* f) Taurellus comes in Alexandrum Farneſium Parmenſem, Principis ſui filium, cum eum forte agnoverat, ferrum humi abjectum ſtringere ulterius noluit, ferro licet provocatus, reverenter veniam orans. Non minus improbamus *Covarruviæ* g) diſciplinam, permittentis *filio patrem percutere, ſeipſum defendendo, quia percuſſor,* ut ait, *non eſt, qui ſe defendendo percuſſerit alium.* Utique ſi legitime ſe defendendo id fecerit. At, quod rectius ſentit *Iuſtinus,* h) *in parricidio nulla ſatis juſta cauſa ad ſceleris patrocinia prætexi poteſt.* Nam, quod & B. *Dorſcheus* i) monet, *reſpicit pater filium, non communi relatione humanitatis, ſed etiam relatione ſuperioritatis: Vnde juxta communem legem tantum charitas his ordinari non poteſt.*

d) *Controv. illuſtr. l. 1. c. 18. n. 8.*

e) *Hiſtor. Suec. l. 7. p. 372.*

f) *de Bell. Belg. Dec. I. l. 9. p. 463.*

g) *l. 1. de teſt. c. Raynut. c. 16. n. 12. f. 64.*

h) *l. 16. c. 11. n. 4.*

i) *Theol. Moral. n. 284. p. 100.*

Hæc

Hæc ſuperioritas juris, poteſtatis & imperij, impune ſe parentibus opponendi, ad interfectionem uſque, facultatem in liberis omnem excludit; cum liberorum pietatis debitum, nulla patriæ poteſtatis ſolutio tollat.

§. 15. Prolixioris inſtituti eſt explicare, quomodo *pro fratribus animam debeamus ponere*: Debemus tamen ex Apoſtoli a) præcepto, ſcilicet, ut D. *Hunnius* b) id explicat, *ſi rerum uſus id poſtulet.* Explicatius B. *Hülſemannus*, c) *obligatio*, inquit, *omnium Chriſtianorum, imo omnium hominum, uſq; ad vitæ periculum pertingit, ſi proximus verſetur in præſenti & extremo periculo animæ. Ratio ſumitur ab æquali intenſione dilectionis proximo debitæ, cum gradu dilectionis, qua meipſum diligo. Concurrente autem periculo animæ meæ cum periculo corporis mei, teneor ſubire periculum corporis, ad avertendum periculum animæ meæ: igitur ex eadem regula teneor ſubire periculum corporis ad avertendum periculum animæ proximi, quia teneor proximum diligere ſicut meipſum: Et concurrente neceſſitate liberandi animam alteris cum neceſſitate liberandi corpus meum, teneor conſervationem boni incomparabiliter majoris, etſi alieni, præferre conſervationi boni minoris, etſi proprij.* Ita periclitatus eſt Johannes ipſe, memorante *Euſebio*, d) cum juvenis cujuſdam ex conſortio latronum, ad quos tranſierat ex contubernio Epiſcopi illius, cui eundem commendaverat, revocandi

a) 1. *Ioh.* 3.

b) *Com. h. l.*

c) *de corrept. Frat.* §. 6. *n.* 42. *p.* 30.

d) *H. E. l.* 3. *c.* 20.

cau-

cauſa, magno cum periculo ſceleratorum horum ſpeluncam adiiſſet. Periclitandum nimirum ita eſt in caſu incerto, ac evitabili, ſi vel maxime eventus ſpei non reſpondeat, & animam poni contingat. Unde etiam, ut B. *Dannhavver.* e) loquitur, *cum ſpes eſt, poſſe te, ſalva tua vita, proximum ex vorticibus aquarum liberrare, libera. Nam ſi laudandus David, qui oviculam ex Leonis faucibus eripuit, quidni qui hominem?* Ita dubium non eſt, quin animæ curator ægrotos, etiam lue peſtifera, vel aliter contagioſa laborantes, officij cauſa vocatus, adire teneatur. A quo charitatis præcepto, etiam ſi de humana charitate loquimur, multum aberrat iſte Solduriorum, ſive Devotorum mos, olim, & hodie adhuc apud Barbaros, frequentatus, quo cum dominis & Patronis ſuis eoſdem ferebant caſus, iiſdem morientibus unâ fati diem occupando comorientes. De Gallis priſcis ita refert *Iulius Cæſar.* f) Et cum, quæ Solduriorum apud hos fuit conditio, expoſuiſſet, addit, *neque adhuc hominum memoria repertum eſſe quenquam, qui eo interfecto, cujus ſe amicitiæ devoviſſet, mori recuſaret.* De Hiſpanis idem tradit *Plutarchus*: g) Conſtatque de aliis etiam populis. Nec hodie hic furor deſiit, ceu de Afris teſtatur *Dapperus*; h) de Sinenſibus *Martinus Martinius*: i) Quos *ſummum fidelitatis decus eſſe credere* ait, *cum Imperatore ſuo mori, ne alteri inimico ſubeſſe cogantur, vel ab illo*

e) *Coll. Decal. p.* 575.

f) 3. *de B. G. c.* 22.

g) *t. I. Opp. Sertor. f.* 575.

h) *Deſcript. Afr.*

i) *de Bell. Tartar. p.* 48.

k) *Part. III. Itin. c. 1. p. 2. ſq.*

l) 3. *Inſtit. c. 18.*

m) Rom. 7. 2.

occidantur; de Japoniis *Tavernier*. k) Pertinet huc illa uxorum conſuetudo, quæ, ut ſummum erga maritum amorem etiam poſt fata teſtarentur, cum defuncto mori voluerunt; quem paſſim apud gentes olim viguiſſe, & adhuc vigere morem, notum eſt. Exſuperantiæ amoris vitioſæ, rectius ſtoliditatis ſervilis, hæc ſunt exempla, quæ *Lactantius* l) damnat, *ſicut*, inquiens, *in hanc vitam non noſtra ſponte venimus, ita rurſus ex hoc domicilio corporis, quod tuendum nobis aſſignatum à DEO eſt, ejuſdem juſſu recedendum eſt, qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habitaturos, donec jubeat emitti.* Per fidem, cæteraque charitatis vincula, obligamur alteri ad mortem uſque, illo defuncto liberi ſumus ab iſta obligatione ſpeciali, quam certa perſonarum & rerum conditio viventibus impoſuit. *Viventi viro*, ait Apoſtolus, m) *mulier alligata eſt per legem.* Ἐὰν δὲ ἀποθάνῃ ὁ ἀνὴρ, κατήργηται ἀπὸ τοῦ νόμου τοῦ ἀνδρὸς, *quod ſi mortuus vir fuerit, liberata eſt à lege viri.* Amicorum bona ſunt communia, quæ ſcil. communia eſſe poſſunt, quo rerum genere vita non eſt.

a) *Comm. l. 15.*

§. 16. Nobilioris fidei, & ἑαυτοφιλίας, cedentis ſaluti Principis, exemplum dedit Ribiſchius, pro Mauritio Saxoniæ Duce, quem confoſſo à Turcis, in quos in Hungaria voluntarie militans inciderat, equo *in terra jacentem, toto corpore ſuperincumbens protexit, tantiſper*, *Sleidano* a) ſcriptore, *barbaros demo-*

ratus

ratus atq; ſuſtinens, donec equites ſupervenientes Principem eriperent. Vitam Domino quidem ſervavit, *ipſe vero multis acceptis vulneribus in caſtra relatus, non multo poſt interiit.* Nimirum pro Principe, cujus caſus tot civium animas, imo nonnunquam ipſam rempublicam in caſum trahere poteſt, ſummum ſubire periculum mortis ſubditus tenetur, ex obligatione erga patriam, & vigore pacti, quo primo civitas coaluit. Hoc enim, licet non primo, & per ſe, profuſio vitæ civis ſpectetur; ſic enim naturali ſui ipſius amori, quem natura ſemper præcipit, plane contrarium pactum mortali inire nunquam licet; ſpondetur tamen, præter intentionem iſtam primam ſi ſecutura ſit vitæ jactura, illam non tantum momenti habituram, ut civem ab officio mutui auxilij, quo integra ſervatur ſocietas, ſit revocatura: Ita ut hic locum habeat illud *Senecæ*: b) *Ad cœtum geniti ſumus: Salva autem eſſe ſocietas, niſi amore & cuſtodia partium,* inter quas dignitate, & neceſſitate, princeps eminet, *non poteſt.* Mutua hæc eſſe debet, ut in *lapidum fornicatione*, quo ſimili alibi c) idem utitur. Unde, ut idem d) rurſus loquitur, *ſuam incolumitatem* populi *amant, cum pro uno homine denas legiones in aciem deducunt, cum in prima fronte procurrunt, & adverſa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur. Ille enim eſt vinculum, per quod reſpublica cohæret: ille ſpiritus vitalis, quem*

b) *2. de Ira c. 31.*
c) *Epiſt. 95.*
d) *de Clement. l. 1. c. 4.*

Tt 2 *tot*

tot millia trahunt. &c. *Ideo*, mox infert, *principes regesque*, & *quocunq; alio nomine ſunt tutores ſtatus publici, non eſt mirum amari ultra privatas etiam neceſsitudines.*

§. 17. In æquali autem neceſſitate, & vitæ periculo inter pares, prius eſt jus, & potior conditio ejus, à quo charitas incipit. Unde, ſi vel maxime, quod *Raynaudus* a) contendit à majore medicorum recentiorum parte aſſeri, deſperato partu naturali, *ad matris & fœtus vitam retinendam, utilis, atq; adeo licita ſit viventis matris diſſectio*, quia naturalis exitus negatur; nego tamen matrem ex charitate teneri ad ſectionem iſtam ſubeundã, quam omnino renuere poteſt: Non quidem quod *ſectio talis ſit directa matris occiſio*, uti *Diana* b) loquitur; ſupponimus enim, ſalva matre ejuſmodi fieri poſſe ſectionem; ſed quod in caſu eventus plane incerti, vitæ retinendæ gratia, nemo tenetur ſubire cruciatus plane atrociſſimos, & uſurpare medium plane extraordinarium, quod ob atrocitatem ſuam juſtum incutit horrorem, unde nonniſi acutiſſimos dolores, & certius mortem, quam finem ſperatum, ſibi quis promiſerit. Conſentit *Bannez*, c) nec improbat ipſe *Raynaudus*, d) *Eſcobar*, e) alij. Debemus proximum diligere *ut* nos, non magis quam nos.

§. 18. *Poſterius* vero quod concernit, *ordinem* nimirum in *proximo amando*: Plures, cæteris paribus, eſſe præferendos pauci-

a) *de ortu infant. contra natur. per ſect. Caſ.* c. 3.

b) *Reſol. Moral. P. II. tr. 1. miſcell. reſol.* 44.

c) *in Thom. t. IV. q. 65. art. 1. concl.* f. 205.

d) *l. c. c. 5. §. 4. ſqq.*

e) *Theol. Moral. tr. 5. Ex. 5. c. 6. q.* 142.

Digitized by Google

cioribus, ſi omnibus ſimul prodeſſe non poſſis, ita ut id quod pluribus, non quod paucioribus conducit, ſpectetur; in ritibus v. c. in Eccleſia ordinandis, a) in legibus in civitate ferendis, dubium non eſt. Dico cæteris paribus, h. e. niſi aliunde id impediatur; prohibente v. g. majori propinquitate pauciorum, uti *Paulus* b) *domeſticos fidei præferri cupit exteris*; vel niſi pauciores jam aliunde jus quæſitum habent. Singulos vero inter ſe conferendo, quo cuique ſuum ex charitate debitum præſtetur, vel etiam quæ ex charitatis conceſſione exhiberi poſſunt, rite & decenter conferantur, primam rationem habendam eſſe dicimus *propinquitatis*, alteram *neceſſitatis*, tum *cæterorum*, quæ alicui præ aliis, ad habendum aliquid ab alio, jus aliquod parere poſſunt. Hoc facto, bonorum inter ſe, quibus unus præ altero indiget; malorum item, in quibus huic præ illo auxilium ferendum, collatio inſtituenda, illique charitatis opus præſtandum, qui rationum momentis reliquos vincit. Propinquitas variat, ejuſque complures dantur gradus; mavultque eadem non tam naturaliter, quam moraliter æſtimari; quemadmodum nec amor, cujus jam inveſtigamus jura, naturaliter, & prout ad prima naturæ, ſi ita loqui licet, & inſtinctum naturæ refertur, ſed moraliter prout à recta, renata etiam ratione dirigitur, ſpectatur. Hoc modo proxima eſt

a) *Hülſem. Man. Aug. Confeſſ. diſp. XIII. n. 5. p. 553.*

b) *Gal. 6. 10.*

Digitized by Google

cuique, in comparatione reliquorum, patria & reſpublica, agnoſcente *Cicerone*; c) *Cum omnia*, inquit, *ratione animoq; luſtraveris, omnium ſocietatum nulla eſt gratior, nulla carior, quam ea, quæ cum republica eſt unicuiq; noſtrum. Cari ſunt parentes, cari liberi, propinqui, familiares: Sed omnes omnium caritates Patria una complexa eſt.* Unde *principes*, rurſus ait, *ſunt Patria & Parentes, quorum beneficiis maxime obligati ſumus.* In tantum vero patriæ Charitas, quæ plurium ſalutem, bonum publicum, ſacrorum etiam incolumitatem complectitur, præferenda eſt parentibus, qui & ipſi patriæ hanc pietatem debent, ut illam ſuis charitatibus præponant; ut *Patriæ potius ſubveniendum eſſe, quam parenti, in pari periculo & neceßitate*, cenſeat *Covarruvias*; d) ex noſtris etiam B. *Dorſcheus* e) non impugnet aſſerentes, *filium contra parentem ad defendendam patriam, & Rempublicam, poſſe manus attollere violentas, quia hic publicum bonum privato ſuperius eſt.* Docet idem *Cicero*: f) *Quid*, inquit, *ſi tyrannidem occupare, ſi patriam prodere conabitur pater, ſilebitne filius? Imo vero obſecrabit patrem, ne id faciat; ſi nihil proficiet, accuſabit: minabitur etiam? Ad extremum ſi ad perniciem patriæ res ſpectabit, patriæ ſalutem anteponet patris.* Refert etiam ex *Zaſio Arniſæus*, g) duos Nobiles de Falckenſtein id facientes, à parricidio prætextu publicæ utilitatis fuiſſe excuſatos: Conaturq; *Clapmarius* h) hoc

c) 1. *Offic.* 17.
d) *c. I. de teſtam. c. Raynut.* 16. 13. *f.* 64.
e) *Theol. Mor. Prac. IV.* §. 284.
f) 3. *Offic. c.* 23. *add. l.* 35. *Dig. de relig. & ſumt. fun.*
g) *Relect. Polit. P. I. c.* 4. *ſect.* 5. *n.* 32.
h) *Arc. Re-ſp.* *l.* 4. *c.* 20.

Digitized by Google

hoc nomine excuſare matricidium Neronis; ſed nobis non perſuadet: Tantum abeſt ut nefariæ exauctorationes Ludovici Pij, & Henrici IV. Imp. à filiis factæ, & ab *Annalibus Bertinianis*, i) & *Mutio* k) deſcriptæ, colorem boni ordinis, quo ſalutis patriæ præ parentibus potior habenda ratio, admittant. Eadem quæ patriæ, Principis eſt conditio, quem, ſi contentio quædam & comparatio fiat, ob paritatem rationis parentibus in pari neceſſitate præferendum eſſe hinc ſequitur.

i) *ad ann.* 830. *ſqq.*
k) *Germ. Chron. l.* 16. *f.* 142. *ſqq.*

§. 19. Arctior quidem, non tamen dignior, imo arctiſſima eſt colligatio, & propinquitas inter conjuges, quæ in charitatis debito & benevolentia, patriam tantum alteri præfert compari, anteponens eundem in ſummo parique neceſſitatis puncto parentibus: *Deſeret enim homo patrem, & matrem, & agglutinabitur uxori, & erunt duo in carne una*; a) atque liberis. Horum quippe, & parentum vitam, conjux morte conjugis rediмens, cum hunc illis præferendo ſervare potuiſſet, non ſolum *valenter ſtabilitam fidem*, ex *Valerij Maximi* b) elogio, de non deſerendo, laxat, ſed & quantum in ſe eſt ſeparat, quæ ſeparare non debet. c) Minus ſolvi poteſt vinculum, quo colligantur inter ſe parentes, quam vinculum, quod inter parentes & liberos intercedit. Ardentis quidem, & concitati, non vero ordinati affectus fuit, (ſuperſtitio per ſe patet) quod *Plutarcho* d) ſcriptore,

a) *Gen.* 2. 24. *Matth.* 19. 5.
b) *l.* 4. *c.* 6. *init.*
c) *Math.* 19. 6.
d) *t.* 1. *Gracch. f.* 824.

Tiberius Gracchus, Corneliam uxorem magis quam ſe amans, ex anguibus mare ac fœmina apprehenſis, *draconem marem ſuſtulerit dimiſſa fœmina*, mori præoptans pro uxore, deceptus ab aruſpice fingente, ὡς ὁ μὲν ἄῤῥην τῷ Τιβερίῳ φέροι θάνατον ἀναιρεθεὶς, ἡ δὲ θήλεια τῇ Κορνηλίᾳ, *ſi necatus mas eſſet, funeſtum Tiberio eſſe*: *Cornelia, ſi fœmina*: Ita enim de ſua vita diſponere nulli licet, niſi ejus ſit dominus. Tertius vero, ad quem iſta cognatio non pertinet, neceſſitatem aliaſque reſpicit circumſtantias, nec hoc tenetur ordine, ſed conſulit ei, quem in majori conſtitutum videt neceſſitate.

§. 20. Sanguinis conjunctio inter parentes & liberos, prima & ſumma quidem eſt, excipitque eandem, quæ eſt inter conjuges; cæteris tamen amoribus, quam Patriæ & civitati debet, præfert charitatem: Quia
a) l. 5. c. 6. quæ *Valerij Maximi* a) eſt Philoſophia, *everſa domo intemptatus rei ſtatus manere poteſt*: *urbis ruina, penates omnium trahat ſecum neceſſe eſt*. Liberi hinc non ſolum debitam patriæ pietatem prætulerunt pietati in parentes, ſed & boni parentes in amando initium fecerunt à republica, & bono publico. Brutus, Conſul Romanus, de filiis proditoribus supplici-
b) l. 2. um exegit apud *Livium*, b) exercens *publicæ pœnæ miniſterium, cum eum fortuna exactorem*
c) Pauſan. c. 5. 3. *ſupplicij dediſſet*. Dicitur etiam, *Cornelio Nepote* c) autore, *eo tempore*, quo Pauſaniam Spar-

Spartani ſupplicio affecerunt, ob ſocietatem cum Perſarum Rege initam, ad patriam opprimendam, *matrem rei vixiſſe, eamque jam magno natu, poſtquam de ſcelere filij comperit, in primis ad filium in æde Minervæ claudendum, lapidem ad introitum ædis attuliſſe.* Comparando autem parentes ex ſe natos cum ſuis genitoribus, à quibus prognati ſunt, illis, niſi, quod ſemper ſubintelligendum, aliunde accedens imparitas præponderans prohibeat hunc ordinem, præferunt liberos; Quia præter ſanguinis propinquitatem, quæ hic ordinem facere non poteſt, etiam quoad liberos in poteſtate & domo ſui patris conſtitutos, datur vinculum ſocietatis patriæ adhuc durantis, ex qua tales parentes, qui ſuos adhuc habent genitores ſuperſtites, exiverun. Homo, uti relicto patre & matre adhæret uxori, ita quoque liberos ex ea ſuſceptos, quod in illis ſuum, & conjugis ſanguinem dari novit, arctiſſime complectitur. Hinc uti uxoris, ita & liberorum amorem præfert illi, quem parentibus ſuis adhuc & perpetuo, certo licet ordine, præſtare tenetur, ceu jam relictis ſuo modo. Subſcribit *Ariſtoteles*: d) Μᾶλλον, inquit, συνῳκείωται, τὸ ἀφ᾽ οὗ τῷ γεννηθέντι, ἢ τὸ γινόμενον τῷ ποιηθέντι, *majore neceſſitudine conjunctum eſt ei, quod generatum eſt, id à quo generatum eſt, quam id quod natum eſt ei, quod generavit.* Unde concludit: Γονεῖς μὲν οὖν τέκνα φιλοῦσιν ὡς ἑαυτοὺς·

d) 8. *Ethic.* c. 12.

τὰ γὰρ ἐξ αὐτῶν, οἷον ἕτεροι αὐτοὶ τῷ κεχωρίσθαι· Τέκνα δὲ γονεῖς, ὡς ἀπ' αὐτῶν πεφυκότα, ergo parentes quidem liberos ut ſeipſos diligunt, (nam qui ex eis nati ſunt, eo ipſo quod ſeparati ſunt, tanquam alteri ipſi ſunt) liberi autem parentes, ut qui ex illis nati ſunt. Unde quod plura dentur exempla patrum, qui pro filiis, quam filiorum, qui pro parentibus mori voluerunt, e) cum etiam filius apud Gandavenſes, *Bodino* f) memorante, *Patris carnifex* eſſe, *ejuſq. jugulum haurire*, volente ita judice, non detrectarit, deprecante impium hoc munus adverſus natum patre, cui id ſorte prius obtigerat; factum hinc conſtat, ut judex ad verum reum ſceleris commiſſi cognoſcendum, quando certum erat à patre, vel filio, id fuiſſe perpetratum, utrumque extremo ſupplicio affici juberet, quo is qui deliquit, pater imprimis, urgente στοργῆς affectu, delictum à ſe commiſſum confiteretur, ad natum innocentem à morte liberandum, cum ſibi certo moriendum eſſe ſciret genitor. In perſecutionibus etiam male tractatos coram parentibus infantes, & cæteros liberos, conſtat, quo parentes ad ſuam ejurandam religionem adigerentur. Exterorum vero amori cum in pari periculo, & neceſſitate, præferatur amor liberorum, etiam hoc nomine peccavit Lothus. g) Quis *enim dubitet eſſe grande peccatum, ſi pater filias ſuas proſtituat fornicationibus impiorum*, merito dicimus cum B. *Auguſtino*;

e) *Quintil. declam. XI.*

f) *de Rep. l. 5. c. 8. f. 561. al. 574.*

g) *Gen. 19. 7.*

ſtino. h) Pro hoſpitibus enim, ne Sodomitæ nefariæ libidinis impetu in illos irruerent, filias obtulit. Et licet hæ propiori ſanguinis conjunctione ipſum attigerint, ceu patrem, quam peregrini, & exteri, ſi vel maxime ſumma ſic urſiſſet neceſſitas, ut alterum eſſet faciendum, peregrinorũ tamen potius incolumitati, quam filiarum famæ & pudori, conſulere maluit; notatus hoc nomine etiam à *Gerhardo.* i) Quoad cæteros denique *Conſanguineos* res parum difficultatis habet, quos patriæ, liberis, parentibus, in ordine charitatis poſtponendos, propiores remotioribus in pari neceſſitatis caſu præferendos, majori autem afflictos præ illis, quos minor urget anguſtia, juvandos eſſe, dubium non eſt.

§. 21. Naturalem propinquitatem excipit moralis, inter herum & ſervum primo, ſive locationis conductionis contractu talis ſit, ſive jure captivitatis, vel emtionis. Τὸ δίκαιον, καὶ τὴν ἰσότητα, *jus & æquabilitatem* his exhiberi *Paulus* a) præcipit; quem *Ariſtoteles,* b) *qua homo eſt*, pro *amico*; *Seneca* c) pro *homine contubernali, imo humili amico, imo conſervo* haberi vult, omiſſa omni *ſuperbia, crudelitate, & contumelia.* Peculiare vero cum inter dominum atque ſervum vinculum intercedat, ex ratione conſociationis, per quam ad res, & ea quæ heri ſunt, pertinet; etiam cum liberis μέρος αὐτοῦ, *pars ejus*, licet non eodem modo, ab *Ariſtotele* d) eſſe dicitur.

h) *l. 11. Opp. Cont. Mendac. ad Conſent. c. 9.*

i) *Comm. in 2. Ep. Petr. c. 2. p. 232.*

a) *Coloſſ.* 4. 1.

b) 8. *Ethic.* 11.

c) *Epiſt.* 41.

d) 5. *Ethic. c.* 6.

Amat

Amat ergo Dominus ſervos ſuos etiam jure ἑαυτοφιλίας, qua quis ut ſe, ita etiam ſua ſalva eſſe cupit, præ aliis ſive hominibus, ſive rebus; ſequantur licet parentes, conjugem, liberos tuos; quin & cæteros conſanguineos. Servum ipſum vero quod attinet, inæquali exiſtente parentum ejus, fratrum, conſanguineorum, atque heri neceſſitate, huic præ illis ſuccurret, cum ex fine ſocietatis herilis, in qua ſocietate parentum domeſtica relicta vivit; tum quod parentes, fratres, cæterique conſanguinei, cum filium, fratrem, conſanguineum ſuum, ſua relicta ſocietate, vivere cum hero conſentirent, in acceſſoria quoque conſenſerint. Infert hinc *Sylv.* e) *ſervum contrahentem teneri magis conjugi, quam domino, ſi voluntate ejus contraxit*; ignorante autem domino ſi contraxit, hunc etiam teneri ad non impediendum ſervum, *ſi ſine ſuo præjudicio hoc fieri poteſt.* Quod tamen ita crude concedendum non eſt, cum omnia ſint ſub imperio patrisfamilias, & ejus, ſi non expreſſa, præſumta certe voluntate fieri debeant. Ita majore parentum data neceſſitate, ſervum non impediet herus, quo minus officia pietatis iiſdem præſtet, quos injuſte læderet, privando eo, quod tacite ſibi reſervarunt. Ne dicam æquitatis id eſſe, cum, quod Galgacus etiam apud *Tacitum* f) ſenſit, *liberos cuique*, & ſic etiam ſervo, *ac propinquos ſuos, natura cariſſimos eſſe voluerit.*

e) *Summ. P. II. Verb. Serv. n. 7. f.* 342.

f) *Agric.* 31. 1.

§. 22.

§. 22. Datur etiam propinquitas moralis inter eos, qui ſunt ejuſdem civitatis cives, quod ſint ejuſdem corporis moralis membra, quorum hinc præ exteris, etiam fœderatis, habenda ratio. Membrorum quippe mala, atque pericula, ſua mala atque pericula eſſe ducit civitas, corpus noſtrum, imo hominem ipſum imitata, de quo eleganter B. *Auguſtinus*: a) *Attendite, in populo quando ſtatur, & eſt aliqua coarctatio, ſi alter alterum calcet, lingua dicit: Calcas me. Num ipſa calcata eſt? Quid ergo eſt quod ſonat: Calcas me. Si & ille reſpondeat: Libera es ô lingua, more tuo vocem habes: Ego ſi calcavi pedem calcavi. Sed calcas me, charitas dicit: Calcas me, compaſſio unitatis, & vinculum ſocietatis dicit.* Pertinet huc proverbium: *Induſium propius adjacet tunicâ.* Hinc fœderato debita auxilia non mittuntur, ſi domeſtica illa retinet neceſſitas, revocatque. b) Hinc bello exiſtente inter diverſas civitates, pacata ſuis civibus non patitur interdici omni commercio cum belligerantium parte altera.

a) *l. 50. hom. hom. 15.*

b) *Alberic. Gentil. I. B. l. 3. c. 14. p. 599. ſq. Puſendorf. de I. N. & G. 8. 9. 5.*

§. 23. Arctior quoque conjunctio, & hinc nata propinquitas, naſcitur ex fœdere, pacto, atque promiſſo inter eos, inter quos hoc vinculi genus intercedit, ita ut ex pacto tali, promiſſove, huic præ illo debeantur auxilia, beneficia; hujuſque ſit habenda ratio, cum omnibus non poſſis ſuccurrere, ordinem inter plures faciente, propinquitate fœderis:

Sc,

Sc. ut illum, cui ex fœdere obligamur, præferamus iſti, cum quo nihil ejuſmodi propinquitatis nobis intercedit. Tempore etiam prior fœderatus, ceu jure quoque prior, fœdere poſteriori cum aliis inito, jure antiquiorem ſocium, ne quid contra illum cum aliis contrahens facere teneatur, excipit. Ita Carthaginienſes formula fœderis, cum Philippo Macedone contra Romanos initi, apud

a) *l. 7. c. 2.* *Polybium*, a) Ἐσόμεθα, inquiunt, δὲ καὶ ἡμεῖς πολέμιοι τοῖς πολέμισι πρὸς βασιλέα Φίλιππον, χώεις βασιλέων, καὶ πολέων, καὶ ἐθνῶν, πρὸς οὓς ἡμῖν εἰσὶν ὅρκοι καὶ φιλίαι, *erimus & ipſi hoſtes hoſtium regis Philippi, Regibus exceptis, civitatibuſq;, & gentibus, quibuſcum fœdus nobis eſt atq; amicitia.* Similiter ſuos antiquiores fœderatos Philippus jam exceperat. Complura antiquior & recentior hiſtoria exhibet exempla. Pertinet huc Conſulis Romani reſponſum, apud *Grotium*, b) qui hunc etiam deduxit ordinem inter fœderatos, ſi plures bellum gerant, utri fœderatorum potius auxilium ab eo ferendum, qui utrique eſt fœdere junctus: *Amicitias ita inſtitui par eſt, ne qua vetuſtior amicitia, ac ſocietas violetur.* David ſane, antiquiſſimæ inter Labanem, Syrum & Jacobum initæ ſocietatis memor, non in Syros perrexiſſet, niſi prior Meſopotamiæ rex c) jam fœdus iſtud violaſſet: licet nec Euphratem tranſierit, *injurias propulſans* tantum, notante B. *Calovio.* d)

b) *l. B.* [*P. 2.* 15. 13.

c) *Iud. 3. 7.*

d) *Comm. in Geneſ.* 31. v. 44.

§. 24.

Digitized by Google

§. 24. Ordinem etiam in charitatis officiis facit *tempus*, ſic ut ejus, cui certo tantum tempore ſuccurrere licet, prius habeatur ratio præ illo, cui quovis id præſtari commode poteſt. Etiam ſi qui fœdere duobus præſentiam promiſit, *cum individua hac eſt, ratio poſtulat, ut is præferatur, cujus fœdus eſt antiquius*, cenſente *Grotio*. a) Sic qui inter pares quoad cætera, *loco* eſt propior, jure præ illis, qui ſunt remotiores, expectat charitatis beneficia. Non enim neceſſe eſt, ut diu expectes, vel alibi, & in locis remotioribus quæras, quibus benefacias, ſi præſentes ſint, quibus hoc officij genus debes. Habet hic locum illud Poëtæ: b) *Tempora diſpenſant uſus*; atque *Plinij*: c) *Ipſa loca in quibus eſſe una ſolemus, acrius me tui commonent.* Applices etiam ad afflictum, propiori loco exiſtentem, ejuſdem *Plinij* d) verba: *Quo propius acceſſeris ad ſpem fruendi, hoc impatientius careas.* Dictum B. *Auguſtini* huc pertinens ſupra produximus. Pertinet huc, quod *Chriſtus* e) Judæ murmuranti, ob factum Mariæ pedes Chriſti ungentis, & venditi unguenti pretium pauperibus aſſignanti, reſpondit: Τοὺς πτωχοὺς πάντοτε ἔχετε μεθ' ἑαυτῶν, ἐμὲ δὲ οὐ πάντοτε ἔχετε, *pauperes ſemper habetis vobiſcum, me vero non ſemper habetis.*

a) *l. B. P. II.* 15. 13.
b) *Pedon. Albinov. eleg. de Obit. Mæcen.*
c) 6. *Epiſt.* 1.
d) *l. c.*
e) *Iohan.* 12. 4. *ſqq.*

§. 25. *Religionis* non minus habere decet rationem, ſi bono ſervato ordine indigenti ſuccurrendum. Etſi enim ex religionis

his odio ipſius proximi odium proficiſci non debeat, ſingulare tamen vinculum, quo fidei ejuſdem conſanguinei connectuntur, hos ſibi invicem propiores reddit, quam cæteros, quos religionis diſſidium ſeparavit; non aliis quam comunibus humani generis vinculis conjunctos, *diſſipantes* de cætero *unitatem Chriſti diſcordiis furialibus*, uti loquitur B. *Auguſti-*

a) *Epiſt.* 162. *nus.* a) Erga omnes equidem beneficia exercenda, μάλιστα δὲ πρὸς τοὺς οἰκείους τῆς πίστεως; *maxime vero erga domeſticos fidei*, monente

b) *Gal.* 6. 10. *Paulo*, b) gentium doctore. Hujus diſcipli-

c) *Com. ad l. c.* nam ſecutus *Hieronymus*, c) *quod ſi*, inquit, *in cunctos indifferenter frena liberalitatis laxantur; quanto magis in domeſticos fidei, & in Chriſtianos*, qui *eundem habent patrem, ejuſdem magiſtri appellatione cenſentur*. Etſi enim Evangelium Politiam non abolet, ordinem tamen, quo charitas à ſe, & ſuis incipiat, facit.

§. 26. Idem de *bonitate cauſæ* habendum. Facit hæc inter cætera pares ordinem, non utilitas major, quæ non ſit cum honeſtate conjuncta; bene licet interim moneat

a) *pro Megapol. f.* 83. *Demoſthenes*: a) Δεῖ δὲ σκοπεῖν μὲν ἀεὶ καὶ πράττειν τὰ δίκαια· συμπαρατηρεῖν δὲ, ὅπως ἅμα καὶ συμφέροντα ἔσται ταῦτα, *ſemper quidem ſpectari & agi debent ea, quæ juſta ſunt: ſimulq; danda eſt opera, ut eadem etiam expediant.* Infert

b) *l. B. I. II.* 15. 13. hinc *Grotius*, b) *qui fœderatorum juſtam habet belli cauſam, præferendum, ſi cum extraneo res ſit.*

Digitized by Google

ſit. Etiam ſi cum alio fœderato. Turpia enim, & injuſta, non ſolum quovis fœdere naturaliter cenſentur excepta, ſed & honeſto & juſto cedunt. *Nihil eſt liberale,* inquit *Cicero,* c) *quod non idem ſit juſtum.* c) 1. *Offic.* 14.

§. 27. Similiter etiam *virtutis* intuitu, alterum alteri in benefaciendo præferre licet. Refert hanc non ſolum *Ariſtoteles* a) inter rationes & fundamenta ordinis, ſed & *Cicero,* b) ſolicite monet, *ut in beneficentia delectus ſit dignitatis, in quo & mores ejus erunt ſpectandi, in quem beneficium conferetur, & animus erga nos, & communitas, ac ſocietas vitæ, & ad noſtras utilitates officia ante collata: quæ ut concurrant omnia, optabile eſt: ſi minus, plures cauſæ, majoreſque, ponderis plus hab.bunt.* Nimirum ſecundum Ciceron. & hujus ordinis ratio, quæ à virtute petitur, ſic intelligi debet, niſi aliunde plus honeſtatis vel neceſſitatis habeat, dare alij, quam illi. *Origenes* c) ex ratione virtutis etiam in diligendis inimicis notavit ordinem: *Puto ergo, quod in his ſit ordo charitatis: verbi gratia, eſt aliquis mihi inimicus, in aliis tamen bene agens, pudicus, ſobrius, mandata plurima DEI ex parte cuſtodiens, in aliquibus tamen errans ut homo. Eſt alius, qui inimicus quidem ſit, & ipſe nobis, tamen ſit ſuæ vitæ atq; animæ inimicus, paratus ad ſcelera, præceps ad flagitia, nihil ſancti, nihil religioſi ducens, non tibi vide-*

a) 9. *Ethic.* c. 2.
b) *l. c.*
c) *Homil.* 3. *in Cantic.*

videtur etiam inter ipſos inimicos quadam diverſitas hab:nda charitatis?

§. 28. *Meritum* quid hic poſſit, quo cum de nobis, tum de aliis, aliquis bene meruit, diſquirens *Ariſtoteles,* a) etiam de nobis meritum, minus tamen probum, poſtponendum eſſe cenſet viro bono, & meliori. Ἐνίοτε γὰρ, inquit, οὐδ' ἔστιν ἴσον τὸ τὴν ἑτέρου προϋπαρχὴν ἀμείψασθαι· ἐπειδὴν ὁ μὲν, σπουδαῖον εἰδὼς, εὖ ποιήσῃ· τῷ δὲ, ἡ ἀνταπόδοσις γίνεται, ὃν οἴεται μοχθηρὸν εἶναι, *interdum enim ne aquum quidem eſt, ei, qui alteri prior dederit beneficium, gratiam alterum referre, ubi videlicet ille ſciens hunc eſſe virum bonum, beneficium in eum contulerit; illi autem gratiam referens hic alter, hominem improbum ornaturus eſſe videatur.* Ordinarie alias, niſi propter majorem neceſſitatem vel honeſtatem avocemur, beneficium reddendum bene de nobis merito, cum Cicerone b) monente, *nullum officium gratia referenda magis neceſſarium ſit:* Sed habet, ut dictum, & hoc ſuam limitationem, *Euſtratio* c) explicatam his verbis: *Exempli gratia,* Pole*marchus ab hoſtibus fuit captus, redemitq; eum Antiſthenes ſuo are: cumq; nondum ille id perſolviſſet, accidit ut ab iiſdem hoſtibus & Antiſthenes, &* Polemar*chi pater captus fuerit. Vtrum igitur* Polemar*chus, ſi utroſq; nequit, redimere debet? patremne ſuum, an Antiſthenem, à quo ipſe fuit antea ab hoſtibus liberatus? patrem procul dubio: quippe cum ſibi ipſi quoq; antepo*nere

a) 9. *Ethic.* 2.

b) *l.* 1. *de Offic. c.* 15.

c) *in moral. Ariſt. l.* 9. *Comment.*

nere patrem debet, nedum ei qui ipſum redemit, aut cuipiam alteri, ſodali, vel amico. Cauſæ enim ut ſimus & vivamus, quia pater eſt, honor ſupra omnes exhibendus eſt, poſtpoſitiſq; omnibus gratia reddendæ. Similiter ſi amicus in periculo vitæ verſatur ob pecuniam, ei ſubveniendum magis eſt, quam bene merito, qui in nullo periculo conſtitutus eſt. Conſentit rurſus *Cicero.* d)

d) *l. 1.*

§. 29. Nimirum & *neceſſitatis* in ordine officiorum charitatis, & beneficentiæ, habenda eſt ratio, prout nimirum illa vel major vel minor, & prout ratione bonorum æternorum, vel temporalium, quæ & ipſa variant, exiſtit. Quæ officij hic ſit ratio, eximie ex noſtris B. *Baſilius* a) explicat: *Neceſſariorum diſtributio perite, & apte, juxta uniuscujuſq; neceſſitates fieri debet.* Ex Gentilibus autem *Cicero,* b) *in collocando,* inquit, *beneficio, ſi cætera paria ſint, hoc maxime officij eſt, ut quiſq; maxime opis indigeat, ita ei potiſſimum opitulari.* Cum majori conflictatur neceſſitate, qui periclitatur ratione animæ æternum perituræ, quam qui neceſſitate mere temporali tantum premitur; cui proin etiam præ illo ſuccurrendum. Jactura boni inferioris ordinis, & minoris, licet redimere conſervationem boni ordinis ſuperioris. Permiſſa etiam à charitate cenſentur, quæ vera, & extrema, non imaginaria imperat neceſſitas, alias non probanda, v. c. ut in ſumma frumen-

a) *Homil. 4. ad Pſal. 14.*

b) *1. Offic. 15.*

menti penuria, ejus venditio, & exportatio ad alios, qui pari premuntur neceſſitate, prohibeatur, *Grotio* c) etiam obſervatum. Ita quando famis tempore egenorum peregrinorum tanta multitudo urbe aliqua continetur, ut copia deficiente, ſalva eſſe non poſſit, niſi partem quandam hoſpitum, quos ſuſtinere nequit, emittat; licere cenſemus tali caſu, ſi alı non poſſint, illis ut emigrent imperare. *Grotius* d) quidem negat, *in tali neceſſitate expelli poſſe ſemel admiſſos peregrinos, commune malum communiter tolerandum eſſe* exiſtimans. De peregrinis vero, ſine diſcrimine ſpectatis, id non probamus. Alij enim opera ſua profuerunt, alij tantum indigentia compulſi, ut noſtra liberalitate & beneficentia ſe ſuſtentarent, venerunt. Pro illis Grotij diſciplinam militare arbitramur, præprimis ſi vocati acceſſerunt: His vero dato caſu urbem exonerari poſſe, non dubitamus. Ordinata enim Charitas incipit à ſe ipſa in pari neceſſitate; nec jubet me cum aliis perire, quibus meo interitu non conſulitur. Debeo quidem pari intenſionis gradu alium diligere, ſed ut à me incipiam; tantum abeſt, ut alium plus diligam, quam meipſum. Pauperes alere onus commune eſt, & quilibet Magiſtratus ſuorum ſubditorum curam hoc nomine habere tenetur. Aliis ergo hoc onus, afflicto præprimis tempore, imponi non poteſt: Qui potius egenos prius beneficio aliquo

c) *l. B. P.* 2. 2. 19.

d) *l. c.*

quo

quo affectos, ad alios licite dimittent, ut & ibi ſtipem quærant. Sapienter hinc Carolus M. Capitular. II. ann. 805. e) apud *Baluzium*, f) & *Lindenbrogium*, g) *famis inopia* urgente ſtatuit, *ut ſuis quiſq; adjuvet prout poteſt, & ſuam annonam non nimis care vendat. Et ne foris imperium ſuum vendatur aliquid alimoniæ.* Nec diſſentit *Covarruvias.* h) Sic ſi duobus, altero in neceſſitate ſpirituali, altero vero in corporali conſtituto, præſentia tua, vel alio modo, ſimul auxilio eſſe non poſſis, ſubvenies neceſſitati proximi ſpirituali. Quemadmodum & ille, qui periclitatur quoad vitam ſuam corporalem, jure præ illo expectat opem, qui periclitatur tantum quoad bona alia temporalia. Non negligendi denique ſunt in hoc ordine indigentiæ & neceſſitatis gradus, monente *Reginaldo*, i) quam *triplicem poſſe eſſe* docet; *extremam, gravem & communem*, ita ut cæteris paribus hæc illi cedat, uti & ſupra Ciceronem loquentem audivimus.

e) *n.* 4.
f) *Capitul. Regg. Franc t. I. f.* 423. *edit. Baluz.*
g) *Cod. LL. Antiq. Capitul. ad leg. Salic. f.* 354. *n.* 3.
h) *tom. II. Var. Reſol. l.* 3. *c.* 14. *n.* 6. *f.* 247.
i) *Prax. For. Pœn. l.* 4. *c.* 20. *ſect.* 2. *n.* 250.

§. 30. Ordinate prætcrea jura Charitatis exercentur, ſi habita ratione, ut dictum, graduum neceſſitatis, quam indigens patitur, officia præſtantur actibus convenientibus; hoc eſt, pro ratione & ordine graduum neceſſitatis præſtitis. Ita locando, vel mutuando rem ſuam, ſubvenire licet, non neceſſario donando, ſi v. c. is qui indiget extreme in uno loco, bonis abundat in alio; vel humana fa-

Digitized by Google

cultate in præſenti deſtitutus, ſpem habet non dubiam tantum bonorum conſequendi, ut accepta reſtituere poſſit: Dandum etiam licet tali ſit, ut nil inde ſperetur. Donandum vero illi, qui & bonis, & facultate, atque ſpe, talia acquirendi penitus caret. a)

§. 31. Nimirum non ordinem tantum perſonarum, ſed & rerum, charitas in agendo amat, & ſecundum illum jus agendi largitur, ceu ex ſupra dictis ſæpius patuit. Probat Charitas hunc agendi ordinem ratione perſonæ, *Grotio* a) etiam obſervatum, ut, *ubi par malum imminet, non vetemur nobis potius, quam aliis conſulere.* Ex quo ſequitur, quod & ex charitatis permiſſu, *vitam propriam, ejuſque tuitionem, aliorum vitæ præponere liceat*, monitum & *Zieglero*. b) Etſi vero vitam ſuam, etiam cum cæde petulantis invaſoris, defendere conceſſum ſit, cum cæteris paribus charitas à ſeipſa incipiat, ceu norma & ratio proximum diligendi; non tamen cenſendum, ſi *cui periculum imminet accipiendæ alapæ, aut mali ſimilis*, charitatem largiri *jus id arcendi cum cæde inimici*; *Grotio* c) licet aliter videatur, *Filiucio* d) item, *Leſſio*, e) *Eſcobari*, f) atque aliis, ad quos provocant. Repellere enim tantum talem, non vero occidere permiſſum eſt. Nec ſui etiam officij eſſe cenſet charitas, læſionem, quæ illata capitis non meretur pœnam, & reparari poteſt, arcere cum lædentis periculo æterni ſupplicij, & jactura

a) *Reginald. l. c. n. 150. ſq. f. 145. Sylv. Sum. v. Eleemoſ. n. 3. Antonin. Sum. P. II. tit. l. c. 24. §. 3. ſqq.*

a) *I. B. P. l. 3. 3.*

b) *Not. in Grot. l. c. 1. 3. 3.*

c) *I. B. P. II. 1. 10.*

d) *Moral. qq. tom. 2. tr. 29. c. 3. n. 50.*

e) *de I. & I. l. 2. c. 9. d. 12. n. 77.*

f) *Theol. Moral. tr. 1. Exam. 7. c. 3. §. 3. n. 46.*

Digitized by Google

ctura vitæ ipſius. Læſionem hujus tantum ſeculi, circa bonum aliquod fortunæ, quod revera non auſertur, in proximo charitas, cujus eſt *non irritari*, οὐ παροξύνεται, ſed *omnia ſuſtinere*, πάντα ὑπομένειν, g) non ſic æſtimare permittit, ut, quem ſincere amare debemus, optime ei, ac nobis ipſis cupiendo, illi inferamus malum infinitum, æternum, ſummum, ob culpam, quam ſalva noſtra dignitate, quam lædere intendit, bene eidem condonare potuimus, atque poſſumus, etiamſi Nobilis ſis, h) Nec novam legem, ſed legem Charitatis, cujus eadem ſemper fuit ratio, urſit Chriſtus, i) jubens ut alapam potius accipepere malimus, quam ut cor ad nocendum proximo habeamus. Minus juris datur *ad eadem accepta alapa, ſi qui eam impegit fugiat, ad honorem ut ajunt recuperandum*; ne quidem *ſpeculative* diſquirendo, ceu opinantur *Leßius*, k) *Tamburinus*, l) non diſſentiente *Reginaldo*. m) Nam id non defenſionem, ſed potius ultionem privatam ſpirat, & alia ratione, judicis auxilio, quod vix continue ceſſabit, recuperari poteſt, ſi illata injuria de dignitate aliquid deliberaverit. Tantum abeſt ut in praxi ficta hæc Charitatis conceſſio tuta ſit, ceu opinatur *Henriquez* apud *Eſcobarem*; n) juſta cenſura notante diſciplinam hanc, manſuetudini & Charitati Chriſtianæ contrariam, etiam Facultate Theologica Lovanienſi, o) d. 4. Maij, 1657. & *ceu ſcandaloſam, & in praxi*

g) 1. *Cor*, 13. ℣. 7.

h) *contra Leſſ. l. c.*

i) *Matth.* 5.

k) *de I. & I. l.* 2. *c.* 9. *dub.* 12. *n.* 80.

l) *Explic. Decal. l.* 6. *c.* 1. ℣. 3. *n.* 3; *f.* 236.

m) *Prax. P. p. l.* 21. *c.* 5. *n.* 63. *f.* 639.

n) *l. c. n.* 47.

o) *art.* 4.

per-

perniciosam damnante *Innocentio* XI. Pontif. *An. M. DC. LXXXIX. Fer. I. d. 2. Martij.* p) Minus adhuc charitatis habet propoſitio *Amici*, q) aſſerentis, *Clericos & religioſos poſſe honorem ex virtute & ſapientia natum cum moderamine inculpatæ tutelæ, etiam cum morte invaſoris defendere: quin interdum lege ſaltem charitatis videri ad illum defendendum teneri, ſi ex violatione propriæ famæ integra religio infametur.* Elati quippe animi ab omni patientia Chriſtiana remotam impotentiam, & privatæ inde natæ vindictæ furorem, hæc ſpirat aſſertio. Aliter docet exemplum Magiſtri Charitatis, qui λοιδορέμενος οὐκ ἀντελοιδόρει, *cum maledictis inceſſeretur, non regeſſit maledicta,* r) tantum abfuit, ut cædem ſuorum hoſtium ſpiraret. Rectius *Iohannes Huſſus*: s) *Charitativa correctio non eſt contumelia,* multo minus cædes, *ſed ex odio procedens, præſertim ſi ſit in propriam vindictam.*

p) *Propoſ.* 30.

q) *Tom.* 5. *diſſ.* 36. *n.* 118. *in Theol. Moral. P. III. p.* 280. *n.* 7.

r) 1. *Petr.* 2. 23.

s) *h. l.*

§. 32. Intuitu ordinis hujus, qui dignitatis & præſtantiæ ratione inter res ipſas intercedit, eaſque inæquales facit, jus iſtius rerum defenſionis, quæ ad cædem uſque ejus, qui res noſtras impetit, progrediatur, charitas non ſemper largitur. Adi *Syracidem*: a) *Perde,* inquit, *argentum propter amici & fratris temporale commodum.* Si itaque propter fratris commodum temporale, ad avertendum majus incommodum, caſu deficientis commodi exoriturum, damnum aliquod

a) *c.* 29. 13.

Digitized by Google

quod temporale & fortunarum mearum pati debeo; multo magis debeo tolerare minus malum rei familiaris, quam ut ſemper, & ob cujuſvis rei damnum, etiam injuſte acceptum, ad cædem proximi deſcendere velim. Conſentit B. *Hülſemannus*. b) Tum *obſtare Charitatem per modum præcepti*, *Grotius* c) ait, *ſi res ſit, quæ minimum valeat, & proin contemni mereatur.* Aſt *Puſendorfius*, d) *ſi ratio*, inquit, *ſuadet, rem quæ minimum valeat, eaq; propter contemni mereatur, non ita acriter eſſe defendendam, id non fieri in gratiam furis aut raptoris; ſed ne ipſe propter exiguam rem multum moleſtiæ ſuſcipiam, aut humili nimis animo, avaruſq; videar*: Quæ ratio non niſi ſuaſoria eſt, ad omittendum id quod jure aliàs liceat; recte vero in caſu poſito à *Grotio* ſalva charitate non licere exiſtimatur. *Charitati* autem *Puſendorfius* e) *adverſus hoſtilia profeſſum*, qualis eſt raptor rei meæ, etiamſi reparabilis ſit, *hactenus duntaxat locum eſſe arbitratur, quatenus probabilis ſpes allucet, eo modo iſtum ad pœnitentiam injuriarum, & componendam pacem moveri poſſe.* Verum has origines charitas hoſtibus debita non agnoſcit, impulſivum licet exercitij ejuſdem ſpes talis eſſe poſſit. Sed manet inter hoſtes, qui conſanguinei ejuſdem fidei ſunt, certe manere debet, adhuc vinculum Charitatis, quæ ex fide naſcitur; inter omnes autem homines, exorto bello, vinculum Charitatis univerſalis, quam

b) *de Corrept. Frat. p.31. §.42.*
c) *l. B. P. l. 2. c. 1. n. 11.*
d) *l. N.G.2. §. 16.*
e) *l. c.*

cum ipſo jure naturali coincidere ſupra diximus; impediatur licet utriuſque exercitium, in quantum id neceſſitas finis belli, qui eſt victoria, & quæ hanc ſequi debet, Pax, requirit. Suo itaque loco relicto, quod civitates ſuper hoc ſtatuerunt: In ſtatu naturali, vel etiam in ſtatu civili, ſi lex, uti apud Athenienſes, memorante *Demoſthene*, f) talis fuit, per vim aliquid auferentem impune defenſionis gratia occidere permittit, nego id ſalva charitate fieri, cum rei amiſſæ recuperandæ alia ratio ſuppetit. Recte quippe B. *Auguſtinus*: g) *Quomodo apud divinam providentiam à peccato liberi ſunt, qui his rebus, quas contemni oportet, humana cæde polluti ſunt?* Nec tamen ita nude etiam probaverim ſententiam *Leſſii*, h) *Eſcobarii*, i) *Bonacinæ*, k) *Tamburini*, l) & aliorum, ſtatuentium, *licere occidere volentem mea bona alicujus momenti; magni momenti*, ait *Leſſius*; *injuſte occupare, ſi ea aliter defendere nequeam.* Etiam *contra charitatem* eſſe negat *Bonacina*, m) *occidere furem ſurripientem res meas, quas non poſſum judicio recuperare, niſi cum magnis moleſtiis.* Non enim ſic à quantitate materiæ, ſive parva ea ſit, ſive magna, vel à moleſtia, & difficultate rem raptam recuperandi, quid hic charitas concedat, derivandum videtur, ſed potius à neceſſitate indigentiæ, & inde dependentis incolumitatis, ita ut cenſendum ſit, eadem à charitate concedi pro defenſione re-

f) *in Ariſtocrat. f.* 436.

g) *l. de lib. arb. c.* 1.

h) *de I. & I. l.* 2. *c.* 9. *dub.* 11. *n.* 66. *ſqq.*

i) *Theol. Moral. tr.* 1. *Ex.* 7. *c.* 3. *n.* 42.

k) *Theol. Mor. t.* 2. *f.* 672. *n.* 1. *ſq.*

l) *Explic. Decal. l.* 6. *c.* 1. *§.* 2. *n.* 1.

m) *l. c.*

Digitized by Google

rerum, ſine quibus incolumes eſſe neſcimus, quæ eadem concedit pro ipſa incolumitate; cum qua pari paſſu judicio charitatis ambulare neceſſitatem commoditatis, non credendum. *Omnibus animantibus,* inquit *Ambroſius,* n) *innaſcitur primum ſalutem tueri; Cavere quæ noceant, expetere quæ proſint, ut paſtum, ut latibula, quibus ſe à periculis, imbribus, ſole, defendant, quod eſt prudentiæ.* Morali ſane æſtimatione idem eſt, ſive directe quis vitam meam impetat, ſive indirecte res meas impetendo, ſine quibus vivere non poſſum. *Tutela,* ait *Seneca,* o) *certiſſima ex proximo eſt, ſibi quiſq; commiſſus eſt.* Præterea, uti charitas ſocietatis civilis ſecuritati, & ut certa & tuta ſit cuique rerum ſuarum poſſeſſio, & cuſtodia, plurimum favet, & pro fine eandem habet; ita non ſolum probat, ſummæ poteſtatis & judiciorum autoritate fures raptoreſque ſupplicio capitali affici, ſi à ſcelere aliter deterreri ſe non patiuntur; verum etiam ceſſante judicis copia, continue inprimis, vel eodem jubente, aut lege permittente, concedit rerum, maxime neceſſariarum, talem defenſionem, quæ vi illatæ repellendæ reſpondeat; licet, raptoris conatu violento ulterius procedente, ſi aliter quiete, & rerum, ſine quibus vivere non poſſum, ſecuritate mihi gaudere non datur, ab illius ſuperveniente cæde eadem quæratur; modo id non fiat, vel ex avaritia, vel odio, vel affectu nocen-

n) 1. *Offic.* c. 27.

o) *Epiſt.* 121.

cendi, vel ſtudio vindictæ, vel alia perverſa libidine, atq; furore exacerbationis. Minus difficultatis res habet caſu, quo ob raptoris violentiam ſimul etiam vita mea periclitatur. Quæ juſtitiæ ſunt conſentanea, quando aſpera, extremo neceſſitatis caſu etiam Charitas tandem, licet invita, permittit, ceu ultimum & adæquatum remedium: Juſta quippe, non cæca eſt. Ne dicam de Charitate alteri proximo, domeſticis ſcil. quibus
p) 1. *Tim.* 5. 8. 2. *Cor.* 12. 14. providendum, p) debita; & quod Charitatis non ſit, uni indulgendo pluribus nocere, atque *ſua patientia irritare improbitatem adverſariorum, ut ſumant inde licentiam pejora perpetrandi, & plures lædendi; vel exemplo alios ad ſimilem petulantiam incitare*, ut loquitur B.
q) *L Loc. P. II. de Vind. f. m.* 139. *Chemnitius.* q) Aliter tamen habendum, ſi raptorem major ad rapiendum agit neceſſitas, quam me ad retinendum: Concedendum enim tunc ad uſum id, quo ego commode carere poſſum; cum *inter homines ſit natura conjuncta ſocietas*, monente Antipatro apud
r) 3. *Offic.* 12. *Ciceron.* r)

§. 33. Reciproce etiam ſe charitas ha-
a) *Matth.* 7. 12. bet, *Chriſto* explicante: a) *Omnia quæcunque volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis*; ita ut ſit æqualitas, quæ non vult, ut aliis ita benefaciamus, ut illis ſit ἄνεσις, *relaxatio*. ὑμῖν δὲ θλίψις, *nobis vero afflictio*; ἀλλ' ἐξ ἰσότητος, *ſed ut ex æquabilitate*; & ὅπως γένηται ἰσότης, *ut fiat æquabilitas*, monente

Pau-

Paulo. b) Sequitur hinc charitatem jus largiri ad recipiendum, poſtulandum etiam, *cenſus annuos* ab illis, qui pecunia noſtra negotiantur, lucrantur, & commoda ſua parant, in compenſationem lucri ceſſantis, & præſtiti officij non neceſſarij; cum & nos illius uſu res noſtras augere potuerimus. Utriuſque contrahentis rationem habet Charitas. Non hoc eſt *ex calamitatibus pauperis ſibi ipſi reditus excogitare, & opulentiam colligere*, quod merito *Baſilius* c) ὑπερβολὴν ἀπανθρωπίας, *exceſſum inhumanitatis habere* dixit. Nec aſſertio hæc *Lombardorum* & *Trapezitarum* cauſam agit, quæ ſuperioribus temporibus in Belgio magnas lites peperit, impugnantibus Theologis Batavis uſuram mordacem & gravem, cum pauperibus non exercendam, ceu patet ex Reſponſo *Facult. Theol. Lugdunenſ.* ad Preſbyterium Amersfurtan. d) Aliud etiam apud veteres fuit *uſura*, aliud *cenſus*. Ipſe Carolus M. etſi *omnibus omnino interdictum eſſe* voluerit, e) *ad uſuram aliquid dare*; poſtea tamen, urgente neceſſitate belli, conſenſit, f) *ut ſub precario & cenſu aliqua pars Eccleſialis pecuniæ, aliquanto tempore retineretur, ea conditione, ut annis ſingulis de unaquaq; caſata ſolidus, i. e. duodecim denarij ad Eccleſiam vel monaſterium reddantur; ne Eccleſiæ vel monaſteria penuriam & paupertatem patiantur.* In Synodo juſſione Apoſtolica à Bonifacio & Francorum Epiſcopis, ſub Karlomanno Duce,

b) 2. *Cor.* 8. 13. *ſq.*

c) *Homil.* 4. *ad Pſal.* 14.

d) *Thyſ. tr. de Vſur & Fœn. per Theol. Vltrajectin. edit.* p. 52.

e) *Capitul. l.* 1. *c.* 5. *t. l. Capp. Regg. Franc. edit. Baluz.*

f) *Capitul. l.* 6. *c.* 425.

g) *Capp. l.* 5. *cap.* 5. ce, ita dicitur ſtatutum. g) Quanquam vero *Eccleſialis pecunia* non de *pecunia numerata* præciſe intelligi debeat, ſed *de bonis Eccleſiaſticis*; cenſente *Marca* apud *Baluzium*; h) id tamen quod ex bonis iſtis Eccleſiaſticis accipiebatur ad uſus belli neceſſarios, pecunia fuit.

h) *Not. ad libb. Capp. f.* 1201. *ſq.*

§. 34. In *pœnis* an, & qua ratione, jus charitatis locum habeat, quæritur. *Grotius* a) *omnem pœnam, præcipue graviorem, aliquid habere* ait, *quod per ſe ſpectatum non quidem juſtitiæ, ſed charitati repugnet*, ita *ut facile patiatur ratio ea abſtineri, niſi major ac juſtior charitas quaſi irrefragabiliter obſtet*. Verum cum punire, & pœnarum inflictio, ſi fines illarum genuinos ſpectemus, b) ſit actus charitatis, certumque etiam charitatis exercendæ modum juſtitia notet; ἀγαθὰ πάσχουσιν ὑπὸ τοῦ δικαίου οἱ ἐπανορθούμενοι, *ſi qui corriguntur, illis à juſto bene ſit*, ait *Clemens Alexandrinus*; c) Juſtitiæ ſane repugnabit æque, quod repugnat charitati; cum genuinus charitatis actus, qualis eſt pœna, juſtitiæ reſpondens, non poſſit non eſſe charitati conveniens. *In injuriis vindicandis*, inquit *Seneca*, d) *hæc tria lex ſecuta eſt, quæ Princeps quoque ſequi debet: aut ut eum quem punit emendet; aut ut pœna ejus cæteros meliores reddat; aut ut ſublatis malis ſecuriores cæteri vivant.* Charitas operatur diverſimode ex affectu benevolentiſſimo in hominis commodum: Unde diverſarum

a) *I. B. P. II.* 20. 22.

b) *Prov.* 10. 17. c. 12. 1. ſ

c) *Pædagog. l.* 1. *c.* 8. *f.* 116.

d) *I. de Clemen. c.* 22.

rum virtutum oriuntur nomina, quarum ſingulæ ſunt ipſa charitas inadæquate, & ſub certo officiorum genere, & agendi modo concepta, & expreſſa; licet in aliis magis, v. c. in liberalitate, manſuetudine, in aliis minus, v. c. in pœnis, appareat. Injuſtum proin, quicquid à charitate abit; cum juſtitia, ut dictum, ſit ipſa charitas, quatenus unicuique ſuum, etiam vindicando, tribuit. Nam & tunc verum eſt illud *Auguſtini*: c) *Cogunt ſæpe diverſas invenire medicinas, variorum experimenta morborum.* Charitati hoc in puniendo inprimis curæ eſt.

c) *Epiſt. L.*

§. 35. Charitatis etiam eſt *correptio* ob malos mores facta. Obligat enim divina lex, ſcripta etiam, homines rationis compotes, ut ſervatis prudentiæ, juſtitiæ, æquitatis, & charitatis regulis, proximum errantem, ejus emendandi gratia, corripiant. *Corripiendo corripies proximum tuum*, præcipit Jehova. a) Corrigunt Principes & Magiſtratus ſubditos; judices delinquentes; parentes liberos; magiſtri diſcipulos; patresfamilias ſuos domeſticos: Corrigit at & par parem, privatus privatum; & ſic etiam gens gentem. Illi ad corrigendi officium obligantur non ſolum ex lege charitatis, monente *Baſilio*, b) ſed &, monente B. *Hülſemanno*, c) *etiam ex lege juſtitiæ*, rectoriæ ſcil. *ad quam exercendam in ſuos ſpecialiter ſunt vocati.* Hi vero correctionem iſtam præſtant *ex ſola lege*, uti B. Vir tur-

a) *Levit.* 19. 17. *Matth.* 18. 15.

b) *Reg. Mor. L. II. c.* 2.

c) *de Corrept. frat. S.* 7. *n.* 51. *p.* 33.

rurſus loquitur, *charitatis*, quæ & ipſa tamen juſtitia eſt, univerſalis ſcil. *ſub fine & intentione emendandi fratrem*, & *lucrandi* eundem, d) juxta illud *Auguſtini* : e) *Ideo debemus amando corripere, non nocendi aviditate, ſed ſtudio corrigendi.* Debetur ſic etiam jure naturæ inſito, quo teneor à proximo declinare ea, quæ ipſi nocitura videntur, & à via aberrantem reducere, ſicuti hoc officium charitatis ab aliis expecto, atque poſtulo. Præſtatur etiam, & præſtari debet ex affectu, quem proximo debeo, æquali intenſione dilectionis, cum gradu quo meipſum diligo, & ſic ex charitate; quæ ibi, ubi peculiaris vocationis ratio ita poſtulat, etiam per officia iſtius vocationis, illa animando, ſe exerit. Correptionis hinc officium illorum eſſe dixit *Iſocrates*, f) qui ſunt εὐνοϊκῶς πρός τινας ἔχοντες, *in alios animo bene affecti.* Eleganter hoc ex noſtris *Clemens Alexandrinus* g) his declarat verbis: Ἔλεγχος καὶ ἐπίπληξις, ὥσπερ οὖν καὶ τοὔνομα αἰνίττεται, οὗται πληγαὶ ψυχῆς εἰσι, σωφρονίζουσαι τὰς ἁμαρτίας, καὶ θάνατον ἀπείργουσαι· Εἰς δὲ τὴν σωφροσύνην ἄγουσι, τοὺς εἰς ἀκολασίαν ὑποφερομένους, *reprehenſio & increpatio, ſicut vel ipſum græcum nomen ſignificat, ſunt ipſi ictus animi, qui peccata caſtigant, & mortem prohibent : ad moderationem autem & temperantiam deducunt eos, qui feruntur ad intemperantiam.* Præclare hanc doctrinam explicant *Hülſemannus*, h) & *Dannhavverus*. i)

Se-

d) *Math.* 18. 18. *Gal.* 6. 1.
e) *Serm. XVI. de Verb. Dom.*
f) *Buſir. ſub init. p. m.* 476.
g) *Pædagog. l.* 1. *c.* 9. *f.* 124.
h) *de Corrept. Frat.*
i) *Theol. Conſcient. tom. I. pag.* 1103. 1109. 1111. *ſqq.*

Sequitur hinc, licere Europæis Barbaras nationes, apud quas ſacrificia humana, carnium humanarum eſus, & alia immania graſſantur, hoc nomine corripere, atque ne talia committere pergant, urgere. Quid enim immanius, quam *cruore humano idolorum labia illinire?* ceu de Barbaris novi, qui ſic vocatur, orbis refert *Petrus Martyr ab Angleria.* k) *Execrabile* certe *humano generi facinus* fuit, ut cum *Lactantio* l) hanc beſtiarum ſuperantem feritatem exprimamus, quando, ut ſcripſit *Iohann. de Summaraga,* m) *incolæ urbis Mexcicanæ Diis ſuis annuatim ultra viginti millia puerorum, puellarumq; corda ſacrificarunt.* Ex charitate cum erga errantes, tum erga cæſos innoxios, à cæteris gentibus furor hic corripiendus eſt..

k) *de inſul. invent. p. 337. in reb. Ocean.*

l) *1. de falſ. relig. c. 21.*

m) *Epiſt. ad ſui ord. congreg. ann. 1572. Nov. orb. inſul. f. 666.*

§. 36. Charitatis præterea, & æquitatis, debitum eſt illud *temperamentum juris belli,* a) quo mitigatur iſte armorum rigidus uſus, juſtitia externa tantum, & facti licentia impune munitus; cum nec in bello vere juſtum & licitum ſit, quod Charitas prohibet, quæ neglecta pudore delinquentes ſuffundit. Et quod de mancipio dixit *Seneca,* b) etiam ad hoſtes applicare licet: *Cogitandum* ſcilicet, *non quantum impune pati poſſint, ſed quantum tibi permittat æqui boniq; natura,* h. e. Charitatis univerſalis, *quæ parcere etiam captivis, & pretio paratis jubet,* *Cogitate,* inquiunt Platæenſes, de urbis ſuæ excidio queſti, ad Athenien-

a) *Num. 21. 15. ſqq. 2. Paral. 28. 8. ſqq. 15. ſqq. 2. Reg. 6. 23.*

b) *1. de Clem. c. 18.*

nienſes apud *Iſocratem*, c) εἰ δίκαιόν ἐςιν, ὑπὲρ τηλικέτων ἐγκλημάτων ἕτως ἀνόμως, καὶ δεινὰς ποιεῖσθαι τὰς τιμωρίας, *an æquum ſit, ob tanta ſcilicet crimina, tam iniquas & acerbas exigere pœnas.* Interficere in bello juſto hoſtem Charitas non prohibet, hoſtium res perdere, terraſque illorum vaſtare permittit, bello etiam capta retineri non improbat, d) quando ita finis belli jubet, ejuſque neceſſitas, & juſtitia commutativa non repugnat. Ab hac quæ abeunt regula, jus belli quidem, externum nimirum, defendit, ſed uti juſtitia, ita & charitate, quæ inter hoſtes non penitus ceſſat, invitâ. Eximie *Cicero*: e) *Suſcipienda quidem bella ſunt ob eam cauſam, ut ſine injuria in pace vivatur. Parta autem victoria, conſervandi ſunt ij, qui non crudeles in bello, nec immanes fuerunt.* Non enim vinculorum humani generis, inter quæ refertur Charitas, & omnium humanorum jurium penitus fieri bello diſſolutionem cenſeri debet, quod uſus belli non niſi ſubſidiarius ſit, cum nimirum quies gentium non niſi armis obtineri poſſit. Quare illa tantum Charitatis, atque naturæ jura hoſti denegari juſte poſſunt, quorum exercitium non niſi ſtatu pacato dari poteſt, quæque bello fortiter ad victoriam, & pacem conſequendam gerendo obſtant. Unde ſicut hoſti non omnia jura naturalia ſalva poſſunt relinqui, qui alioqui nec cædendus foret, ita nec omnia jura Charitatis. Ne dicam

c) *Plataic. p. m.* 638.

d) *Luther. T. III. Altenburg f.* 664. *Dieteric. de præd. militar.*

e) l. 1. *Offic.* 11.

eam, mutato rerum ſtatu actus & opera Charitatis fieri, quæ tali non dato, pro talibus non habentur, præclare id docente B. noſtro *Luthero.* f) Unde *Grotius*, g) *præceptis* inquit, *de diligendis & adjuvandis ſingulis ita impleri, niſi major ac juſtior dilectio impediat.* Eximie *Ambroſius,* h) *fortitudo,* inquit, *quæ vel in bello tuetur patriam a barbaris, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena eſt juſtitia,* & ſic etiam Charitate. Laudandum itaque eſt *Grotii* i) inſtitutum, id quod gentium jure externo, etiam contra Charitatis & Juſtitiæ internæ regulas impune licet, ab eo quod æquitate naturali, & interna juſtitia honeſtum eſt, diligenter diſtinguentis; cum *Albericus Gentilis,* k) quid in læſione hoſtis liceat, non ita diſtincte docuerit.

f) *tom. III. Altenb. f.* 664.

g) *l. B. P. 1.* 2. 8.

h) *1 de Offic. c.* 27.

i) *l. B. P. 3. c 4. c. 10 ſqq.*

k) *de l. B.*

§. 37. Quanquam vero omnis actio Juſtitiæ univerſalis, & jure naturali præcepta, ſit actio quoque Charitatis, cum ad juſtitiam univerſalem nil referri, & lege naturali præceptum dici poſſit, niſi ex affectu ſociali profectum in proximi tendat utilitatem, ita ut, ceu ſupra jam notatum, Charitatis notio præter Juſtitiæ & juris univerſalis officia, etiam affectum, ex quo proficiſci debent, exprimat: Non penitus tamen improbari debet, ſi cum B. *Bæclero* a) noſtro quis inter *legem Charitatis*, & *conſilium* diſtinguere velit. Quanquam enim iſtud conſilium non ad majorem agentis perfectionem facere quid poſſit, quam

a) *Comm. Grot. P. II. l. 2. c. 1. n. 8. p.* 11.

lex ipſa Charitatis poſtulat, cum qui legi ſatisfacit, ſatis perfectus ſit; nil tamen impedit, quo minus ardentior in proximum affectus, quo *melius & expeditius finem conſequatur*, uti loquitur de conſiliis *Thomas*, b) atque nihil omittat inexpertum, tale quid commendet, quod certa ex cauſa utile videri queat. Sic ex heroicæ Charitatis conſilio, atque motu, S. Johannes, ſcriptore *Euſebio*, c) juvenem quendam, de quo ſupra etiam aliquid diximus, Epiſcopi cujuſdam, cui eundem commendaverat, nimia indulgentia corruptum, è latronum, quorum Dux factus fuerat, ſatellitio revocaturus, accepto equo properavit ad illorum latebras. *A latronum vero excubitoribus captus; neq; fugiens, neq; detrectans, ſed clamans, ducite me, inquit, ad Principem veſtrum*: Et ad eum perductus, *non receſſit, priuſquam eundem Eccleſiæ reſtituiſſet.* Non ex debito legali Charitatis præciſe hoc feciſſe D. Johannem, inde concludi poſſe videtur, cum quod ad latebras latronum ordinarie nemo evocetur; tum quia, ut B. *Dorſcheus* d) loquitur, *proximum tenemur diligere, ſicut noſmet ipſos, noſmet ipſos autem nunquam ita ordinate diligere poſſumus, ut proximo vitæ periculum*, quale S. Johannes adiit, *velle debeamus, quo noſtris difficultatibus ſpiritualibus vincibilibus*, quales erant juvenis principis latronum, in quas ſponte ſe conjecerat, *ſubreniatur.*

b) 1.2.q.108. art. 4. reſp.

c) H. E. l. 3. c. 20.

d) Theol. Mor. Prac. tert. §. 248.

Digitized by Google

niatur. Charitas eſt præcepta, non item omnis modus ex Charitate agendi.

§. 38. Habet tamen & hoc jus ex conſilio Charitatis agendi ſuos terminos: Nimirum τὸ SICUT: Quod ultra, ἀνώμαλον· Diliges proximum *ſicut* teipſum, non plus, quam teipſum. Ordinata Charitas ſubminiſtrat conſilium etiam ordinatum, nec tollit ἑαυτοφιλίαν. Charitas ordinata, in eodem gradu diligendorum, incipit à ſeipſa. *Ordinarie* etiam, notante *Dorſcheo,* a) *in eodem genere bonorum nobis non impoſitum eſt, ut nobis proximum præponamus, quanquam propter majus bonum proximi, minus bonum noſtrum poſtponere debeamus. Pari dilectionis conditione nobiſcum eſſe debet proximus, tam quoad corporalia, quam quoad ſpiritualia.* Exceſſus ergo amoris erat, cum Pylades ſe Oreſten eſſe clamaret, ut pro illo necaretur. Non tollit etiam hoc conſilium Charitatis ordinem in vita ſociali neceſſarium, vel proprij muneris functionem; ex potiori cauſa neceſſariam, vel rationem honeſti. Unde non probandum factum Paulini Nolani, apud *Roſvveydum,* b) *ex Gregor. Dial. 3. c. 1.* ſemetipſum, officio Epiſcopali deſerto, certe neglecto, captivum Vandalici regis in Africa genero tradendo, filium viduæ cujuſdam redimentis. Tandem abeſt ut laudetur factum Pambi, Monachi Alexandrini, in lupanaria ingreſſi, ſub prætextu habendæ

a) *l. c. §. 242.*

b) *Vit. Paulin.*

Digitized by Google

conſuetudinis inhoneſtæ, quo impudicos converteret. Dantur aliæ converſionis occaſiones.

Articulus III.

De

JURE PATIENTIÆ.

§. 1.

Quid juſtum ſit, & liceat, & ad quid obligemur ex lege *Patientiæ* inquiſituri, non improbamus, licet inſufficientem, etiam Chriſtiani, Gentilis *Ciceronis* a) diſciplinam, cui Patientia dicitur *honeſtatis, aut utilitatis cauſa, rerum arduarum ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio*; v. c. ſi quis pro Chriſto, & vera religione exilium, imo mortem pati potius velit, quam ejurata doctrina Evangelij, & abnegato perfide Chriſti nomine vivere. Unde B. *Auguſtinus* b), Patientiam eſſe ait, *qua mala æquo animo toleramus, ne animo iniquo bona deſeramus, per quæ ad meliora perveniamus.* Conſervat quippe, ne ratio triſtitiæ ſuccumbat, & doloribus cedentes, rebus etiam adverſis fracti, officio noſtro indigna committamus, & in majora mala incidamus. Legendi *Thomas.* c) & qui eum ſequitur, *Vincentius Beluacenſis*, d) Unde rurſus *Auguſtinus*, e) hoc nomine & Aquinati laudatus, *patientes* proprie tales *malle*, ait, *mala* non

a) *l.2. de in Gent. n.* 37.

b) *t. IV. opp. de patient. c.* 2.

c) 2.2 *q.* 136. *art.* 1.

d) *Spec. Moral. l.* 1 *P.* 3. *d.* 86.

e) *l. c.*

Digitized by Google

non committendo ferre, quam non ferendo committere.

§. 2. *Hugo Grotius* ſecundum Chriſtianorum diſciplinam jura Patientiæ explicaturus, quæ cum ob doctrinæ ſanctitatem, tum ob exempli ſublimitatem in Chriſto, a) eximi: *Cypriano* b) prædicatam, omnium maxime illuſtris eſt; cum *Chriſtum majoris patientiæ Magiſtrum* in N. T. conſtituens, c) eundem, cum *toties crucem nos ſubire jubeat, exactiorem patientiam requirere* aſſerit, d) ſanioris Chriſtianæ diſciplinæ formulas, & ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων non ſervat. Nil novi enim, quod prius in lege recte intellecta non continebatur, à nobis Chriſtus exegit; qui nec præceptum de non occidendo completius tradidiſſe cenſeri debet, ceu in rem præſentem eunti patet; e) ſed qui legis implendæ gratia potius venit, & à Phariſæorum corruptionibus eandem vindicavit.

a) *1. Petr. 2. 21. Ioh 13. 15. c 15. 12. ſq.*
b) *Serm 3. de bon. pat. f. m.* 199.
c) *l. B. P. I.* 2. 8
d) *l. B. P. l.* 4. 7.
e) *Stegmani Photinian. diſp.* 19. *q.* 31 *p.* 214. *ſqq. Calov. Bibl. Illuſtr. t. I. ad l. Iud. c.* 16. *f.* 727.

§. 3. Res illæ arduæ ac difficiles, in quarum perpeſſione Patientia conſiſtit, ſunt omnis generis mala, quæ animum, corpus, vitam, & fortunas, honorem & famam petunt, & deſtructum nonnunquam eunt: Injuriæ v. c. tam reales, quam verbales, violenta ſtupra, exilium, rapinæ, incendia, cædes &c. Mala quæ religionem, ejuſdemque libertatem, & jura concernunt; & ſimilia. *Late patet patientiæ virtus*, inquit *Cyprianus*, a) *& ubertas ejus, ac largitas, de unius quidem nominis fonte* pro-

a) *Serm. III. de bon. patient. f. m.* 204.

proficiſcitur, ſed & exundantibus venis per multa gloriarum itinera diffunditur, nec proficere aliquid in actibus noſtris poteſt ad conſummandam laudem, niſi inde conſummationis accipiat firmitatem. Rurſus paulo poſt addit: *Patientia facit humiles in proſperis, in adverſis fortes, contra injurias & contumelias mites, docet delinquentibus cito ignoſcere, ſi ipſe delinquas diu, & multum rogare: tentationes expugnat, perſecutiones tolerat, paſſiones & martyria conſummat.* Triſtia hæc mala appellantur, & juſtis accidunt; differuntque ab illis, quæ turpia mala dicuntur, & ceu merita malæ cauſæ tolerantur, v. c. pœnæ capitales, mulctæ, & quæcunque ob delicta à Magiſtratu infliguntur. Etſi enim in his perferendis Patientiæ etiam detur locus, & ad pœnas tolerandas per leges obligetur reus, ut juſtitiæ ſatisfiat; non uſque adeo tamen illuſtre hoc Patientiæ opus eſt, quam quod in aliis malis, triſtibus ſc. perferendis, illuceſcere, atque ſuam vim exercere debet. Ποῖον γὰρ κλέος εἰ ἁμαρτάνοντες καὶ κολαφιζόμενοι ὑπομενεῖτε; *quæ enim eſt gloria, ſi cum peccantes alapis cædimini, ſuffertis?* jure quærit *Petrus.* b) Sane *Quintilianus* c) impatientiam potius, quam Patientiam in nocentibus damnatis videtur probare. *Hoc,* inquit, *ab affectibus veſtris omnium mortalium nomine peto, ne cui nocenti pœna præſtetur arbitrium. Levat omnes cruciatus, omnem dolorem, præparata mentem compoſuiſſe patientia.*

b) 1. *Epiſt.* 2. 20.
c) *Declamat. XI.*

Falli-

Fallitur quiſquis humana tormenta ſola nominum atrocitate metitur, nulla pœna eſt, niſi invito. Non habemus ullum niſi ab impatientia dolorem, & ut aliquid crudele, ſævum ſit, metus facit. Et rurſus: *Tunc eſt pœna, cum periturus trepidat, hæret, cum reſtringit ſupremo vincula conatu.* Invidendum tamen pœnas ſuſtinenti non eſt, ſi Patientia dolorem ſibi mitigare quærit. *Qui fruitur pœna ferus eſt,* bene canit *Claudianus,* d) *legumq́; videtur vindictam præſtare ſibi, cum viſcera felle canduerint.*

d) *de Conſulat. Manl. Theodor.*

§. 4. Illuſtrior eſt Patientia, uti dictum, quæ præter meritum illatas injurias, atque mala, cum quibus conflictatur, æquo animo tolerat. Hujus alia ſunt jura *activa,* alia *paſſiva.* De his prius. Notant autem hæc, cum quid juſte, hoc eſt ſine peccato, & quouſque mala quæ eveniunt patiens, qui illis affligitur, tolerare poſſit; tum quatenus ad ea ſubeunda, & toleranda, teneatur & obligetur. Non enim exiſtimandum eſt, jure naturæ, atque Charitatis debito, quæ *omnia ſufferre, omnia ſuſtinere* dicitur, a) nos ſimpliciter obligari ad perferendam cujuſvis malitioſi petulantiam, atque petulantes inſultus, qui, ut nocendi pruritui ſatisfaciat, vim aliis petulanter inferre non ceſſat. Satis quidem conſtat, aſſeruiſſe *Ambroſium,* b) *Chriſtianum, etiamſi in latronem armatum incidat, ferientem referire non poſſe, ne, dum ſalutem defendit, pietatem contaminet.* Ipſe etiam Chriſtus, c)

a) 1. *Cor.* 13. 7.

b) 3. *Offic.* 3.

c) *Matth.* 5. 39.

ἐγὼ δὲ λέγω, inquit, ὑμῖν, μὴ ἀντιστῆναι τῷ πονηρῷ, *ego vero dico vobis, ne reſiſtatis malo*; *ita ut etiam impingenti alapam in dexteram maxillam, & alteram obverti* juſſerit. Verum aliud eſt defenſio ſui, injuriæ etiam, atque illorum quæ nocitura videntur, juſta declinatio; aliud ultio privata. Hanc ignorat Patientia; ad illam vero omittendam, ſi rite inſtitui poteſt, non obligat; quæ injuriam, & malum in continenti, vel antequam infertur, vel interim dum infertur, propulſare permittit; hoc quippe eſt ſe defendere; non vero ultionem exigere. d) Non major enim eſt in obligatione Patientia, quam Charitas requirit, cujus eſt omnia ſufferre, omnia tolerare. Incipit vero hæc à ſeipſa, & jubet proximum amare ut nos ipſos, non præ nobis ipſis. Hinc ex naturæ etiam rationalis inſtinctu φίλος αὑτῷ πᾶς ἄνθρωπος φύσει, *amicus ſibi quiſque natura eſt*, ſecundum *Platonem*, e) ſuique curam atque conſervationem omittere neſcit. Οὐδεὶς γάρ ποτε τὴν ἑαυτοῦ σάρκα ἐμίσησεν, ἀλλ᾽ ἐκτρέφει καὶ θάλπει αὐτήν, *nemo enim unquam carnem ſuam odio habuit, ſed nutrit & fovet eam*, Doctore *Paulo*. f) Ordinata eſt Patientia, & animatur Charitate, g) quæ & ipſa ordinata eſt. Superiorem etiam, judicis, atque aliorum opem implorare eadem permittit contra petulantiam violentam, & injuſtam; modo animus ex dolore, & impatientia acceptæ injuriæ non exacerbatus, nec pro-

d) *Chemnit. LL. t. 2. defend. f. 123.*

e) *5. de Leg. f. 605.*

f) *Epheſ. 5. 29.*

g) *Cyprian. de bon. pat. f. 202.*

proximo nocere, malumque arceſſere cogitet, nec vindictæ cupiditate flagret. Non ſolum enim Magiſtratus eſt Θεοῦ διάκονός σοι εἰς τὸ ἀγαθὸν, *DEI miniſter tibi in bonum*, ut *Paulus* h) loquitur; ἔκδικος vero, εἰς ὀργὴν τῷ τὸ κακὸν πράσσοντι, *ultor ad iram ei, qui quod malum eſt fecerit*; ſed & *homo in adjutorium mutuum generatus eſt*, ex *Seneca* i) ſententia. In mei bonum ergo, hoc eſt, ut me contra vim injuſtam defendat, eo, quod à DEO in hunc finem ordinatus eſt, uti licet; ejus etiam opem implorare, cujus, ut me contra vim injuſtam vindicet, officium eſt ex divina inſtitutione. Patet hinc, quid B. *Auguſtino* k) reſponderi debeat, quando, *ne quiſquam*, inquit, *hoc ita excuſaret, ut diceret, juſtum ſe habere negotium; ſed iniquitatem ſe pati, quam vellet à ſe judicum ſententia removeri, continuo talibus cogitationibus vel excuſationibus occurrit Paulus, & ait: Quare non magis iniquitatem patimini.* Omnino patienda eſt iniquitas, omiſſa ſcil. privata vindicta, ſi publicæ copia haberi non poteſt. *Scio*, inquit *Cyprianus*, l) *plurimos vel pondere injuriarum ingentium, vel dolore de iis, qui adverſus ſe graſſantur & ſæviunt, vindicare velociter cupere: Hos patienter vult expectare ultionis diem, nec ad vindictam doloris noſtri querula feſtinatione properare.* Τὸ μὴ ἀντιστῆναι, *ne reſiſtatis* Chriſti, oppoſitum eſt, eximie explicante B. *Chemnitio*, m) corruptelis Phariſæorum de vindicta,

h) *Rom.* 13. 4.

i) *de Ira l.* 1. *c.* 5.

k) *Enchirid. c.* 78.

l) *l. c. f.* 204.

m) *l. c. de Vind. f.* 125.

cta, contendentium, *privatum hominem recte facere, ſi lege talionis aut ſeipſum vindicet, aut etiam ſi privata cupiditate vindictæ, contra dilectionem proximi, quærat à Magiſtratu ultionem, non peccare.* Ne dicam, nec ipſum Chriſtum imminentem hoſtium ſævitiam, vel illatas injurias reales, colaphos, cæca excepiſſe

n) *Ioh.* 8. 59. tali Patientia, ſed vel fuga, n) vel defenſione

o) *Ioh.* 18. 23. verbali, o) cum aliter non liceret, ſibi contra vim injuſtam conſuluiſſe; Paulo, Apoſtolo, Magiſtratus civilis, gentilis etiam, judicium

p) *Act.* 25. 10. & opem implorante p) contra judicium inimicorum. Nec aliter denique admittit ſocialitas humani generis. Nam ſocialiter vivere nequirent mortales, ſublata omni ſecuritate, & tranquillitate; omnique injuſtitia impune invaleſcente, melioribus à pejoribus oppreſſis, nullum quod ſocialiter contineret homines vinculum ſufficeret. Ἰχθύσι μὲν καὶ θηρσὶ καὶ οἰωνοῖς πετεηνοῖς, ἔσθειν ἀλλήλους, ἐπεὶ οὐ δίκη ἐστὶν ἐπ᾽ αὐτοῖς, *piſcibus quidem, & feris, & avibus volucribus, ſe mutuo ut devorent, quandoquidem juſtitia carent,* permiſſum eſt, ut ca-

q) *Oper. & dier.* v. 277. nit *Heſiodus*; q) ſed inter homines id non habet locum. Sanciens itaque natura, ut ſecure vivamus, atque rerum noſtrarum poſſeſſione tuta & quieta gaudeamus, hoc ipſo probat tutelam & defenſionem, qua turbatores hujus tranquillitatis arceantur; *præcipue qui-*

r) *Com. P. II. in Hug. Grot.* p. 17. *dem,* ut loquitur B. *Bœclerus,* r) *ex præſcripto ordinis ſocialis, ſummæq; poteſtatis auctoritate,* ſed

ſed ubi judicis *nulla copia, proprio cujuſq; domini auſpicio & viribus.* Suo interim tempore & loco verum eſt illud: *Feras, non culpes, quod mutare non potes*; legitimis ſcil. & convenientibus mediis, & bonis artibus. *Si enim Chriſtianus,* eleganter rurſus monet *Cyprianus,* s) *à furore & contentione carnali, tanquam de maris turbinibus exceſſit, & tranquillus ac levis in portu Chriſti jam eſſe cœpit, nec iram aut diſcordiam debet intra pectus admittere, cui nec malum pro malo reddere licet,* (hoc enim eſt vindicare, non defendere,) *nec odiſſe.*

s) *de bono patient. f.* 201.

§. 5. Hic vero quæritur, annon pacto quis ad talem Patientiam ſe obligare poſſit, ut omnia, quæcunque etiam ſibi imminenti inferentur, etiam mala, firmitatem animi noſtri communiter ſuperantia, ſuſtineat, nec mortem vel vulnera inferenti reſiſtat. Negat *Hobbius,* quenquam *ſuis pactis quibuſcunq; obligari,* ne mortem aut vulnera, vel aliud damnum corporis inferenti reſiſtat. Rationes ejus examinat *Puſendorfius*; b) notatque in quem finem ſic diſputet idem. Nobis videtur, pactum hoc ita crude & ſimpliciter initum, contrariari amori ſui ipſius naturali, c) & cuſtodiæ ſui ipſius jure naturali, & divino, ordinarie præceptæ. In ſui etiam deſtructionem cum aliis conſpirare non licet. Unde *Pythagoras,* d) πρῆσσε, inquit, δ᾽ τοῦθ᾽, ἅ σε μὴ βλάψῃ, *ea facito quæ tibi non nocent*; quem ejuſ-

a) *de Civ. c.* 2. *§.* 18.

b) *Elem. Jurisp. Univ. l.* 1. *def.* 12. *§.* 3; *add. l. N. G.* 3. 7. 5.

c) *Eph.* 5. 29.

d) *Aur. Carm. v.* 39.

c) *Com. l. c. p. 202.*

f) *B. G. l. 3. c. 22.*

ejuſmodi verbis ſæpius uſum eſſe **Hierocles** c) notavit, ut cum dixit: Ἀλλὰ τάδ᾽ ἐκτελέειν, ἅ σε μὴ μετέπειτ᾽ ἀνιήσει, *ſed illa perficias. quæ tibi poſtea non excitent moleſtias.* Item: Μηδεὶς μήτε λόγῳ σε παρείπῃ, μήτε τι ἔργῳ πρῆξαι, μηδ᾽ εἰπεῖν ὅ, τι τοι μὴ βέλτερόν ἐστι, *nil tibi vel verbo quiſquam male ſuaſerit, aut re, ut facias dicaſve, nocens quo tu tibi fias.* Licite ad nil ſe obligare licet, niſi quod habetur in poteſtate, quod de vita & corpore, ejuſque membris aſſerere non licet: diverſa ratio eſt rerum cæterarum, in quibus nobis plus juris, quod remittamus. Ex ſuperſtitione ergo, non genuino Patientiæ fonte oritur, quod de Japoniorum fœminis gravidis referunt; quæ accepta pecunia ſponte ſe offerre dicuntur, ut à templum aliquod, vel arcem, aut pontem extructuris fundamento ſubſternantur, quo Dij novo ædificio propitij reddantur. Deſperationis etiam potius, quam ſanæ rationis conſilium fuit Galliæ antiquæ Solduriorum, quorum hæc, autore *Iulio Cæſare*, f) *erat conditio, ut omnibus in vita commodis una cum his quidem fruerentur, quorum ſe amicitiæ dediderant: Si quid iis per vim accideret, aut eundem caſum una ferrent, aut ſibi mortem conſciſcerent; nec mori recuſarent.* Obtinet hodie hic exceſſus adhuc apud Barbaros, ceu Africæ, Indiæ item, tam Orientalis, quam Occidentalis, rerum ſcriptores memorant.

§. 6.

§. 6. Cæterum obligationem ad patiendum quod attinet, exoritur illa cum ex legis divinæ, naturalis item, atque Charitatis præceptis, tum ex Chriſti exemplo ad imitationem propoſito, tum ex ſocialitate humani generis. Docet verbum DEI, veram *Patientiam*, prout Chriſtiana noſtra diſciplina, & Theologia moralis de illa agit, eſſe *fructum Spiritus S.* a) Eandem quoq. præcipit, b) cum quod ex ſapienti, & benigno DEI conſilio calamitates nobis immittantur, tum quod ob corrupti ſeculi mores, & mundi odium, non poſſint non manere pios, qui non ſunt de mundo, variæ tribulationes, & anguſtiæ, quas Chriſtus etiam prædixit; c) quæ tamen DEUM diligentibus in bonum cooperabuntur. d) Unde *Theodoretus*: e) ὑπομονῆς δὲ πρὸ τῶν ἄλλων ἁπάντων δεόμεθα, ἵνα τὸν προκείμενον ἀγῶνα νικήσωμεν, *patientia præ aliis omnibus opus habemus, ut propoſiti certaminis victoriam reportemus.* Juris naturalis præterea eſt, ut pro bono publico, & ſalute Patriæ, omniumque, quorum licite defenſionem in nos ſuſcipimus, vitam profundamus. Debemus enim hanc, tali rerum ſtatu, ex officio, & ſic ex ratione Juſtitiæ. Τελευτῶν δὲ, inquit *Plato*, f) καὶ πόλεως ἐὰν ἀνάστατον ἀνάγκη φαίνηται γίγνεσθαι, πρὶν ἐθέλειν δούλειον ὑπομείνασα ζυγὸν ἄρχεσθαι ὑπὸ χειρόνων, ἢ λείπειν φυγῇ τὴν πόλιν, *pro patria ſi neceſſe eſt, mori* homo *paratus ſit, antequam velit aut everſam videre civitatem, jugoq. ſervitu-*

a) *Gal.* 5.
b) *Rom.* 15. 4. *Ebr.* 10. 36. *c.* 12. 1.
c) *Ioh.* 16. 2. *ſqq.*
d) *Rom.* 8.
e) *Comm. in Ebr.* 12.
f) *de LL. l.* 6. *f.* 621.

iu ſubjectam à pejoribus gubernari, aut fugâ
g) *l.* 5. *c.* 18. *ipſam deſerere.* Ex noſtris v. *Lactantius* g) ita loquitur: *Quid ergo juſtus faciet, ſi nactus fuerit aut in equo ſaucium, aut in tabula naufragum? Non invitus confiteor, morietur potius, quam occidet. Quid enim melius, quid carius eſſe homini debet, quam innocentia?* Vicaria quidem vice pro altero mori non licet, cum ejuſmodi libera de vita ſua diſpoſitio nulli mortalium competat: Ut meo tamen unius bono velim poſthaberi bonum plurium, Charitas non permittit: Niſi plurium vitâ unius
h) 2. *Sam.* 18. 3. potior ſit. h) Ex cauſa enim ſuperiori, & univerſaliori ceſſat jus inferioris; ſufferendaque cenſet Charitas, quæ hoc nomine inevitabiliter eveniunt moleſta. Exemplum Chri-
i) *Ioh.* 15. 12. 13. 1. *Ioh.* 3. 16. ſti, i) ut *diligamus nos invicem, ſicut ille dilexit nos*, docet, pro proximo etiam teneri nos ad ſubeunda, & patienda etiam varia incommoda, mortem quoque, licet non prodige; quando nimirum ratio diligendi ex Charitate ſuperior, potior, & univerſalior in proximo, quam in patiente datur. *Quod-*
k) *l. c. f.* 200. *ſi in Chriſto ſumus*, B. ait *Cyprianus* k) rurſus, *ſi ipſum induimus, ſi ipſe eſt ſalutis noſtræ via, qui Chriſtum veſtigiis ſalutaribus ſequimur, per Chriſti exempla gradiamur, ſicut Iohannes Apoſtolus inſtruit dicens: Qui dicit ſe in Chriſto manere, debet quomodo ille ambulavit, & ipſe ambulare.* Paſſus mortem Chriſtus eſt ex cauſa univerſaliori, pro bono nimirum uni-
verſi

Digitized by Google

verſi generis humani, k) ad aſſerendam DEO gloriam miſericordiæ & juſtitiæ, præſtita pro nobis ſatisfactione. Recte itaque fit, ſi pro ſalute animæ proximi, mala in corpore ſuſtinemus, etiam propria vita extremo expoſita diſcrimini, & rationabili. Facimus enim hoc ob rationem τῦ diligibilis, ex Charitate potiorem in proximo, quam in nobis patientibus, de quo eleganter etiam *Thomas* l) diſputat. Ita ratio boni publici ſuperior oſtendit, propter ejus neceſſitatem veram, nobis, in bonis noſtris temporalibus, aliquod incommodum eſſe ſuſtinendum. Unde etiam ſequitur, in communitatis neceſſitate ultima, etiam mere temporali, decere mortales pro ejus ſalute vitam exponere. m) Laudantur hinc Sebulun & Naphthali, quod cæteris tribubus quieſcentibus, cum Baracko in ſumma reipublicæ neceſſitate, contra Siſſeram in prælium pro patria, & ejus libertate profecti fuerint. n) Ita nimirum & ſocialitas humani generis requirit, ut pauci, imo & unus moriantur, niſi unitatem perire malimus. Leproſus, nullius alias culpæ reus, exilium quaſi quoddam pati cogitur, ne tota civitas inficiatur. Et ſicut omnes juris ſui tranquille fruendi cauſa coierunt, ita & omnes extrema hoc nomine pati, ferente ita ſorte immutabili, ſi ſalvam ſocietatem velint, obligantur. Vere *Seneca*: o) *Ad cœtum geniti ſumus; ſalva autem eſſe ſocietas niſi amore & cuſtodia partium non poteſt.*

k) *Ioh.* 11. 50. 1. *Cor.* 5. 15.

l) 2. 2. *q.* 26. *art.* 5. *reſp.*

m) *Dorſch. Theol. Mor. tert. prac.* §. 253.

n) *Iud.* 5. 18.

o) *de Ira* 6. 31.

Digitized by Google

Quapropter uti vitæ ſocialis cuſtodia divino imperio homini eſt injuncta, ita quoque pro illa vitæ ponendæ facultatem, urgente vera neceſſitate, à DEO accepit. Hinc ὡς ἀνδρὶ ἀποθνήσκειν καλὸν ὑπέρ τε ἀρετῆς, ὑπέρ τε ἐλευθερίας, ὑπέρ τε ἑαυτοῦ, ὡς αὕτως καὶ γυναικί· οὐ γὰρ τῆς τῶν ἀρρένων φύσεως τοῦτο ἴδιον, ἀλλὰ τῆς τῶν ἀγαθῶν, *ut Viro pulchrum & honeſtum, & pro virtute, & pro libertate, & pro ſeipſo mori, ita etiam mulieri. Non eſt enim hoc proprium maſculorum naturæ, ſed bonorum*, monente *Cle-*
p) *l.4. Stromat. f 500.* *mente Alexandrino*. p)

§. 7. Cauſa propior, qua data ad patiendum obligamur, eſt *jus ſuperioris*, & primo quidem DEI. Præſtat mori, quam cedere coactioni, quæ nos ad blaſphemandum divinum nomen, & peccandum contra DEUM, ad veram etiam religionem abnegandam, adigere laborat. Ita Polycarpus apud
a) *H.E. l. 4. c. 15.* *Euſebium*, a) Proconſule Romano Smyrnæ inſtante, *per Cæſaris fortunam juraret, & Chriſto conviciaretur*, & *beſtias, ferrum, flammamque*, ni id eſſet facturus, *minitante, infer*, reſpondit, *quicquid lubet*. De Martyribus etiam *Am-*
b) *l. 22.* *mianus Marcellinus* b) verba faciens, ſcribit, *quod deviare à religione compulſi, pertulerint cruciabiles pœnas, ad uſq; glorioſam mortem intemerata fide progreſſi*. DEI & Chriſti cauſam prodere non licet. Præcipit hic, ut ſimus
c) *Apocal. 2. 10.* *fideles uſq; ad mortem*; c) nec *ſe abnegemus coram hominibus*, ni velimus, *ut & ipſe nos coram*

patre

Digitized by Google

patre ſuo cœleſti abneget. d) Non ergo cum d) *Math.* 10.
Gnoſticis, & Valentinianis cenſendum, φο- 33.
νέα, ut refert *Clemens Alexandrinus*, c) εἶ) αὐ- c) 4. *Strom.*
τὸν ἑαυτοῦ, καὶ αὐθέντην τὸν διὰ θανάτου ὁμολο- *f.* 481.
γήσαντα, *eum eſſe ſui occiſorem, & ſibi mortem*
conſciſcere, qui per mortem fuerit confeſſus. Dein
cum jura civitatis, & imperantium, etiam ſint
jura ſuperioris, ad quorum cuſtodiam cives, &
ſubditi, ex fine conſociationis civilis obligan-
tur; non ſolum ex juſſu & lege ejus, qui jus im-
perij habet, valide obligantur ad varia patien-
da incom̃oda, tam belli, quam pacis tempore,
ad civitatis defenſionem, & ejus jura aſſerenda;
modo non Davidis, Uriæ mortem quærentis,
exemplo f) id de induſtria agatur, ut cives f) 2. *Sam.*
pereant, quos repugnare nõ decet, quo minus 11. 15.
periculo mortis exponantur, ſed ſtationem
periculoſam occupare, etſi caſu ita ferente
pro ea moriendum ſit: Verum etiam tene-
tur ſponte ſua patriæ & Principis ſalutem, ceu
bonum ſuperius, & univerſalius, ſuæ vitæ præ-
ferre. Hoc tamen aſſerto non probamus fa-
ctum *Zopyri*, apud *Herodotum*, g) domi ſe ver- g) *libr.* 3. *c.*
beribus lacerari toto corpore jubentis; na- 154.
ſum, aures, & labia ſibi præcidi imperantis,
quo Babyloniam Dario, Perſarum Regi, pro-
deret, hoſtibus voluntaria mutilatione dece-
ptis: Aut Sexti Tarquinij, *virgis à patre in*
foro cadi volentis, explicante *Dionyſ. Halicar-* h) *Antiq.*
naſſ. h) quo *ſimulanti transfugam apud hoſtes* *Rom. l.* 4.
hinc fides eſſet, ut loquitur *Florus.* i) Repu- i) *l.* 1. *c.* 7.

gnat hoc quippe legi naturali de non ut occidendo, ita nec vulnerando, mutilando ſeipſo. Cuſtos, non Dominus, ſuorum membrorum homo eſt. Nec reſpectus boni publici factum hoc legitimum reddit; cum ex προαιρέσει erronea iſta mutilatio ad hunc finem ordinata fuerit, nec medium ex ſe aptum ſit, ad iſtum finem obtinendum. Nec cum bono & jure ſuperioris jus & bonum Zopyri, integritas ſcil. corporis, ita ambulavit, ut iſto caſu hæc neceſſario illi cedere debuerit; cum illud nec ſic neceſſarium, nec ejus conſecutio ita deſperata fuerit, ut tale mediũ foret neceſſarium: *Florus* certe Tarquinium patrem ob factũ hoc, *cruentum in ſuos* appellare non dubitavit.

§. 8. *Codri* factum, quo Athenienſes bello vincerent, ſumpta famulari veſte ad perſonam occultandam, caſtris hoſtium ſe immiſcentis, & quo interficeretur, rixas cientis, non Græcis tantum, atque Romanis, ſed & Chriſtianis ſcriptoribus laudatum, tanti nobis non æſtimatur. *Immiſtus* enim *caſtris hoſtium, de induſtria, imprudenter, rixam ciens interemptus* dicitur *Vellejo Paterculo.* a) Non alio ergo animo ad hoſtes deſcendit, quam ut mortem quærendo, ab illis interficeretur, quos etiam *in cædem ſuam compuliſſe* dicitur *Valerio Maximo.* b) Sed vir fortis non hoc animo ita ſimpliciter in pugnam proficiſcitur, ut vulnera accipiat, aut interficiatur. Ὁ μὲν θάνατος καὶ τὰ τραύματα, λυπηρὰ τῷ ἀνδρείῳ

a) *Hiſt. l. 1. c. 2.*

b) *l. 5. c. 6.*

καὶ

καὶ ἄκοντι ἔσται, *mores & vulnera forti viro ſunt illa quidem moleſta futura, & nolenti atq; invito accident*, ſecundum *Ariſtotelem*, c) ita ut impatienter ſuam ferat mortem. Nec ab αὐτοφονίᾳ indirecta liberat factum neceſſitas publicæ ſalutis, quæ ex Oraculi monito Regem hoſtili manu occidere poſtulabat. Æque facile enim in pugna hoc contingere potuiſſet: Ne de ſuperſtitione, ex qua omnia facta ſunt, quid dicam. Plus laudis mereretur factum Leonidæ, *Herodoto*, d) & *Diodoro Siculo* e) explicatum, qui idem quod Codrus Oraculi reſponſum, *aut regi, aut urbi cadendum*, acceperat; niſi ſuperſtitio id contaminaret. Fortiſſime enim cum ſuis pugnavit, qui *ad poſtremum non victi, ſed vincendo defatigati, inter ingentes hoſtium ſtratorum catervas occiderunt omnes*, narrante ex *Trogo Pompejo Iuſtino*, f) mortui pro ſtatione, ad quam tutandam venerant. Eadem laude excidit illa *Valerio Maximo* g) tantopere prædicata fratrum Philænorum, juvenum Carthaginienſium, Patientia pro patria, qui ut terminos patriæ in longius injuſte promotos aſſererent, ibi ſe vivos terra obrui maluerunt. Jus nimirum ſuperioris, & univerſalius, patriæ nimirum, cui jus vivendi horum juvenum cederet, iſto caſu non dabatur, cum punica fraude & perfidia, quæ jus non parit, egerant. Minime interim cum his factis comparandum Simſonis obitus heroicus; h) quem Epiſtola ad

c) 3. *Ethic. c. 9.*

d) *l. 7. 219.*

e) *l. 11.*

f) 2. 11. 18.

g) *l. 5. c. 6. Ext. 4.*

h) *Iudic. c. 16. 30.*

 Ebræos,

Digitized by Google

i) *c.* 11. 32. Ebræos i) Catalogo Sanctorum inſeruit. Divino quippe impulſu, atque auxilio, vires & robur ad columnas ſubruendas ſubminiſtrante, & ſic Domino vitæ ipſius ſupremo volente, & probante, cladem Philiſtinis inferre voluit, & intulit, ædibus licet ſimul opprimeretur, quarum lapſus cum magna hoſtium ſtrage conjunctus fuit, quamq; tantum, non ſui ipſius necem, intendebat; vocationi ſuæ imortuus, & divino mandato interno obſecutus. Unde *Auguſtinus*, k) *non ipſe*, inquit, *occidit, qui miniſterium debet jubenti, ſicut adminiculum gladius eſt utenti.* Addi meretur ex recentioribus B. D. *Seb. Schmidius.* l)

k) *t. V. opp. l. de Civit. Dei c.* 21.
l) *Comm. in Iudic. l. c.*

§. 9. Jus etiam ſuperioris, Magiſtratus nimirum, eſt vindicta. Meipſum ergo privato auſu vindicando cum Magiſtratus jura involem, quod peccato non caret, melius eſt injuriam pati, quam privata inſtituta vindicta aliena involare jura, atque injuſte agendo peccare. Cum ergo Chriſto docente, a) à vindictæ ſtudio & affectu tantum abeſſe debemus, ut potius malimus novam ferre injuriam, quam illatam vindicare, relinquitur, nos obligari ad patientiam injuriæ, quam convenienti defenſione declinare non licet. b) *Summus impatientiæ ſtimulus* dicitur *Tertulliano* c) *ultionis libido, negotium curans aut gloriæ aut malitiæ.*

a) *Matth.* 5.
b) *Dunte Caſ. Conſc. q.* 21. *ſ.* 1. *q.* 30. *p.* 1035.
c) *de Patient. ſ. m.* 13.

§. 10. Contigiſſe legitur, ut imperantes ſæpe fuerint injurij in ſubditos. Varia vero

vero id cum contingat ratione, diverſimode quoque de Patientia ſubditorum caſu dato habendum. Vel enim injuria iſta ſubditis infertur ratione religionis, uti Ethnici Imperatores atrociſſimis ſævierunt perſecutionibus in Chriſtianos, nulla neque ſexus, neque ætatis habita ratione; vel ratione vitæ; vel ratione bonorum; vel ratione libertatis, aliorumque jurium. Si vis infertur conſcientiæ, ſi Eccleſiæ ſuis orbantur doctoribus, ſi partim blanditiis, partim minis, partim vi & tormentis religionem ejurare coguntur ſubditi, vi iſta repellenda non ſunt, ſed, ſi fuga ſibi conſulere non licet, quam Chriſtus commendat, patienter ferenda, exemplo veterum Chriſtianorum, de quibus ita *Tertullianus*: a) *Vtiq; ex diſciplina patientiæ divinæ agere nos ſatis manifeſtum eſſe vobis poteſt, cum tanta hominum multitudo, pars pene major civitatis cujuſq;, in ſilentio & modeſtia agimus &c. Abſit ut indigne feramus ea nos pati quæ optamus, aut ultionem à nobis aliquam machinemur, quam à* DEO *expectamus.* Et glorioſus Martyr *Cyprianus*: b) *Læſos* DEI *& Chriſti ſervos ultio divina defendit. Inde eſt quod nemo noſtrum, quando apprehenditur, reluctatur, nec ſe adverſus iujuſtam violentiam veſtram, quamvis nimius & copioſus noſter populus, ulciſcitur. Patientes facit de ſecutura ultione ſecuritas. Innocentes nocentibus cedunt. Inſontes pœnis & cruciatibus acquieſcunt, certi & fidentes, quod in-*

a) *ad Scapul. f.* 551.

b) *tract.* I. *contr. Demetr. f. m.* 147.

ultum non remaneat quodcunque perpetimur &c.
c) *l. B. P. l.* 4. 4. *ſq.* Annuit *Grotius.* c) Et *Gramondus*, d) *una*, inquit, *fuga contra Reges defenſio, ſeu odio, ſeu amore caleat*: Laudatque Mommoranciam, Condæo nuptam, invictæ pudicitiæ adverſus regios amores fœminam, quæ *cum infracta diu reſtitiſſet*, tandem cum marito, *cui ex ſumma autoritate metus intendebatur*, *fuga ſibi conſulerat.* Idem locum habet in aliis Principum injuriis, atrocioribus etiam, & cum extremo patientium, privatorum inprimis, diſcrimine conjunctis; idque ex cauſa univerſaliori, quæ eſt publica tranquillitas, & ſalus omnium; & jure ſuperioris potiori, injuſte licet uſurpato, cui patiendo jus inferioris cedere debet. Habet tali caſu ſubditus injuſte afflictus jus adverſus civitatem, principem, injuſte affligentem: ſed id DEO curæ manet, qui imperandi & parendi ordinem à privata reſiſtendi licentia inviolabilem conſtituit. Unde divinæ voluntatis interpres

d) *Hiſt. Gall. l.* 2. *p.* 142.

e) Rom. 13. 2. *Paulus*: e) Ὁ ἀντιτασσόμενος τῇ ἐξουσίᾳ τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθέστηκεν, *qui reſiſtat poteſtati, divinæ ordinationi reſiſtit.* Præſtat pati duriſſima; & injuſtiſſima, quam privati commodi cauſa, bonum publicum, ordinem humani generis divinitus inſtitutum, turbare. Malum minus tolerandum, ad evitandum malum majus. Unde *Petrus ſubditos* f) *ſervos eſſe debere* monet *dominis*, *non ſolum bonis*, ſed & τοῖς σκολιοῖς, qui variis injuriis ſervos affligunt,

f) 1. *Ep.* 2. 18.

re-

requirens, ut non male *Grotius* g) notat, *ſubjectionem, quæ injuriarum patientiam ſecum ferat.* Hoc quam eximie diſciplina Chriſtiana tradat, *Melito*, Sardenſis paroeciæ olim Epiſcopus, apud *Euſeb.* h) docuit in Apolog. ad Antonin. Imperat. Cum enim de novis edictis per Aſiam contra Chriſtianos promulgatis egiſſet, ſubjicit: *Quod ſi hoc te jubente committitur, ſit recte factum: Iuſtus enim Imperator nihil unquam volet injuſti. Et nos cupide mortis hujus honorem ferimus.* De principe etiam verum, quod de patre liberis dedit præceptum *Epictetus*: i) Πατήρ ἐστιν; ὑπαγορεύεται, ἐπιμελεῖσθαι, παραχωρεῖν ἁπάντων, ἀνέχεσθαι λοιδοροῦντος, παίοντος· ἀλλὰ πατὴρ κακός ἐστι; μή τι οὖν πρὸς ἀγαθὸν πατέρα φύσει ᾠκειώθης; οὔκ, ἀλλὰ πρὸς πατέρα, *pater* (princeps) *eſt? præcipitur, curam ejus agendam, cedendum ei in omnibus: ſi convicietur, ſi verberet, ferendum eſſe. At pater* (princeps) *malus eſt? Nunquit igitur natura* (DEI ordinatione) *cum bono patre* (Principe) *conjunctus es? Non, ſed cum patre.* (principe.) David etſi internecivo odio Saulem ſuæ vitæ imminere noſſet, ex Jonathanis indicio, unctus etiam in Regem eſſet, attamen ab omni vi in eundem abſtinuit, ejuſque furori ceſſit, petens loca devia, ad quærendam ſecuritatem. Hac mente Lyſimachus, illuſtri Macedoniæ loco natus, cum Alexandri juſſu, quod Caliſthenis, libertatis non culpæ pœnas pendentis, miſertus fuerat,

g) *l. B. P. 4. 4. ad. Gerhard. Com. in l. c. p. 313.*

h) *H. E. l. 4. c. 25.*

i) *Enchirid. c. 37.*

ferociſſimo leoni eſſet objectus, feræ victor, *magno animo, regis, veluti parentis contumeliam tulit, omni ex animo facti hujus memoria exturbata*, ſcriptore *Iuſtino*. k) Nicolai Sturij factum laudabile, & comitis Taurelli, ſupra vidimus: Illud ex *Loccenio*; l) hoc ex *Famiano Strada*. m) Eluceſcit quoque hic exuperantia patientiæ Turcarum in ſuſtinenda Principum ſuorum crudelitate, prolixius explicata *Ricaut*. n) quibus perſuaſum ait, *qu'il n'y a point de martyre plus glorieux, que celuy de mourir de la main, & de la main propre, ou le commandement du grand Seigneur, & que ceux, a qui ce bonheur arrive, ſont emportez immediatement en Paradis.* De Kara Muſtapha etiam, Viſirio ſupremo, item autor eſt, o) quod cum aliquando felix plurimis nominibus à ſuis amicis prædicaretur, reſponderit: *Que pour la conſommation de tous ces bonneurs, & pour la juſte recompenſe de ſa fidelité, il luy manquoit encore le ſaint martyre, & le bonheur, de mourir par le commandement du Grand Seigneur.* Dubium licet ſit, annon potius catus hic homo ſancti hujus martyrij vitandi gratia hæc ita, quo cæca ſua obedientia ſuo placeret Principi, jactaverit, quam quod ſerio illud expetierit. Interim bene à *Seneca* p) dictum: *Principes, Regeſque, & quocunq; alio nomine ſunt tutores ſtatus publici, non eſt mirum amari ultra privatas etiam neceßitudines. Nam ſi ſanis hominibus publica privatis potiora ſunt,*

k) *L.* 15. 3. 10.

l) *Hiſt. Suec. l.* 7. *p.* 372.

m) *de bell. Belg. dec. l. l.* 9. *p* 463.

n) *Hiſtoire de l'Empir. Ottom. l.* 1. *c.* 3.

o) *l. c.*

p) *l. de Clement. c.* 4.

ſunt, ſequitur, ut his quoq; carior ſit, in quem ſe reſpublica convertit. Recte etiam & pie Ebræi, qui Davidi q) adhæſerant, ancipiti cum Abſalomo bello, Principem ſecum in prælium deſcendere debere negarunt, *non exibis*, dicentes: *Si namq; fugiendo fugerimus, non apponent ad nos cor: quin ſi moriantur dimidia pars noſtrum, non apponent ad nos cor: quoniam adhuc* (erunt tibi) *ſicut nos decem millia.* Scelerate vero fecit iſte nobilis Macedo Pauſanias, Philippi regis percuſſor, quod cum de ſtupri injuria apud Principem queſtus, variis, ut loquitur *Iuſtinus*, r) *fruſtrationibus non ſine riſu differretur, & honoratum inſuper ducatu adverſarium cerneret, iram in ipſum Philippum verterit, & ultionem quam ab adverſario non poterat, ab iniquo judice exegerit.*

q) 2. *Sam.* 18. 3.

r) *l. 9. c. 6. 1.*

§. II. Improbandum etiam factum Coriolani, quicquid ſit de pietate ejus in matrem, patriam, à qua in exilium ejectus fuerat, oppugnantis; cum non ſolum non omni culpa caruerit, ceu hiſtoria rei geſtæ à *Plutarcho* a) explicata docet, & furore ſuo præcipiti atque ferocia populum, ex vulgi ingenio, & charactere *Salluſtii*, b) *ſeditioſum atq; diſcordioſum, cupidum rerum novarum*, adverſus ſe excitaverit: ſed & ex vindicta injuſta bellum concitarit Patriæ, unde non SCto, quem ſemper benevolum expertus fuerat, ſed ira populi,

a) *C. Mart. Coriol. f.* 222.

b) *Bell. Iugurth.*

puli, quem τῇ φύσει χρώμενος, *ingenium ſecutus ſuum*, vehementer offenderat, pulſus exierat. Quanquam enim alia ratio ſit exulis, in quem, *Grotio* c) docente, *civitati nullum jus*; exilium etiam, quo jus civitatis amittitur, obligationem erga civitatem ſolvat, explicante *Puſendorſio*; d) profugus tamen *patriam in qua natus eſt*, cenſente cum JCtis Anglis *Zouchaeo*, e) *non exuere, nec ſolum natale, aut Principem pro arbitrio ejurare poteſt*; prout ita judicatum in Anglia refert *Camdenus*, f) in cauſa Stori cujuſdam, JCti, & Angli profugi, qui *in Brabantia cum Principe extero conſilia de invadenda patria contulerat, & rationes invadendi monſtraverat*, fruſtra *judicio & Angliæ legibus ſe ſubmittere recuſantis, judiceſq; nullam in ſe poteſtatem habere affirmantis, eo quod non Reginæ Angliæ, ſed regi Hiſpaniæ fuerit ſubditus juratus*: Exulem præterea cum deportato, & relegato, confundere non liceat, & *pœna damnationis* Marci fuerit ἀΐδιος φυγὴ, & ſic perpetuum exilium: *Tantum* tamen, cenſente *Puſendorſio*, g) *eſt in nomine patriæ venerationis, ut quantiſcunq; nos injuriis affecerit, ad concoquendum tamen dolorem noſtrum multum valere debeat cogitaſſe: Patria fuit. Vix ullibi generoſius ira reprimitur. Non compoſiti ſolum, ſed & magni animi eſt, nefas ducere patriæ iraſci, non ſolum quamdiu adhuc patria eſt, ſed etiam quando deſiit. Sum mihi*, inquit *Symmachus*, h) *conſcius teneræ in vos affe-*

c) *l. B. P. II.* §. 25.

d) *Diſſert. Select. de oblig. erga patr.* §. 40. *p.* 79. *ſq.*

e) *de Iur. Fec. P. II.* §. *II. q.* 17.

f) *Eliſab. ad an.* 1571.

g) *l. c.* §. 43. *p.* 85.

h) *l.* 1 *Ep.* 65.

affectionis, & illius deſiderij, quo præ cunctis, vitæ voluptatibus patriam meam diligo. Ne dicam, exules etiam ſub pacto tacito, quando promiſſum expreſſum non accedit, de non vindicando, præſumi ejectos. Melior certe Coriolano fuit Scipio Africanus ſuperior, qui *verecundia* ingratam patriam *pulſavit*, Coriol. *metu* & armis eandem, quam vehementia ſua irritaverat, modum licet irritata exceſſerit, pulſante, apud *Valer. Maximum.* i) Themiſtocles etiam patriæ condonans injurias, cum à Perſarum rege, à quo proditionis abſens domi calumniis oppreſſus damnatus, fuerat receptus, ad res Græciæ ſuſcipiendas moneretur, ὅτι δὶ ὀργὴν τινα παρεξωυθεὶς κατὰ τῶν πολιτῶν, ὅτι ἐπαρθεὶς τιμῇ τοσαύτῃ καὶ δυνάμει πρὸς τὸν πόλεμον, *neq; ira inflammatus in cives ſuos ulla, neq; tantis honoribus & potentia*, quibus apud Perſas gaudebat, *incitatus ad bellum*, ut loquitur *Plutarchus*, k) hauſto veneno fati diem occupare, quam patriam oppugnare maluit.

i) 5. 3. 1.

k) *Themiſtocl. f.* 127.

§. 12. Sed quid, ſi imperans ſævit non in privatum tantum, hunc vel illum, ſed in populum, & inſignem ejus partem? Excipiendo hujuſmodi caſum, reſervant haud raro gentes ſibi *jus non obediendi*, vel etiam *reſiſtendi* certo eventu, a) quod in delatione imperij dici, & formulæ delati regni inſeri ſolet. *In Capitulatione* b) Michaelis, Polon. Regis an. 1669. Rex & Ordines regni inter ſe convenerunt, ut, *ſi quid contra Capitulationis*

a) *Grot. L. B. P. I* 4. 14.

b) *art.* 27.

arti-

articulos commiſſum fuerit, *Poloni & Lithuani non tenerentur ad obedientiam.* In formula juramenti, quod olim Hungariæ rex præſtabat, jurans tenebatur promittere, ſe Andreæ Regis decreta obſervaturum eſſe, quibus hæc verba continebantur: c) *Quod ſi vero Nos, vel aliquis ſucceſſorum noſtrorum, aliquo unquam tempore, huic diſpoſitioni noſtræ contraire voluerit, liberam habeant harum autoritate, ſine nota alicujus infidelitatis, tam Epiſcopi, quam alij Iobagiones, ac nobiles regni, univerſi & ſinguli, præſentes & futuri, poſterique, reſiſtendi & contradicendi nobis, & noſtris ſucceſſoribus in perpetuum facultatem.* Noviſſimis licet Poſonienſibus Comitiis Electoralibus Monarchomachica & ſeditioſa hæc clauſula abrogata, & in formula juramenti, quod *Sereniſſimus Ioſephus*, Archidux Auſtriæ, cum ann. 1687. in Regem Hungariæ inaugureretur, præſtitit, omiſſa fuerit. Verum enimvero, quanquam ejuſmodi modus habendi imperij, ex conventione obſequium detrectare, reſiſtere etiam permittat in illis, quæ ejuſmodi limitata poteſtas vi pacti non attingere debet, quando nimirum vim infert; cum inter imperantes atque cæteros parentes, tali caſu ex pacto nulla ratio imperij & obſequij, ſed potius paritas quædam detur, quæ reſiſtentiam adverſum vim aliena jura involantem, admittat: Cordatiorum tamen nemo negaverit, laudabilius eum, & melius munus boni civis explere, qui

c) *art.* 31. *conf. Ius Tripart. jur. conſuetudinarij inclyt. Regn. Hungar. f.* 43.

Digitized by Google

qui tali caſu tutius, & ſu › characteri, qui eſt ſubditi, convenientius elegerit, hoc eſt non reſiſtere, ſed quidvis potius pati, antequam in imperantes, etiam ſub tali pacto admiſſos, aliquid moliaris. Eximia ſunt quæ huc referre licet ex *Gregorio Nazianzeno*; d) & quæ ex Roman. I. c. docuit ejus vitæ & ſtudiorum ſocius fidiſſimus e) *Baſilius* M. f) Nam & de tali Principe in regno pactionato verum eſt illud Artabani ad Themiſtoclem, apud *Plutarch.* g) quod deceat τιμᾷν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ τὰ πάντα σώζοντος, *venerari regem, & imaginem adorare omnia conſervantis DEI.* Militat hæc Patientiæ commendatio à fortiori in παμβασιλείᾳ, ſeu regno abſoluto, & regno quod eſt in patrimonio Principis, nec populi voluntate delatum, rege degenerante in tyrañum. Niſi ipſum ordinem imperandi & parendi ſolverit, cum Marcello apud *Tacitum* h) cenſendum, *bonos imperatores voto expetendos, qualeſcunque tolerandos eſſe.* Vixerunt Chriſtiani ſub atrociſſimis tyrannis, Caligula, & Nerone, quibus obedie tiam præſtandam, non vim opponendam eſſe docuerant Apoſtoli, *Petrus*, i) & *Paulus*. k) Commendarunt eandem etiam *Tertullianus*, *Auguſtinus*, & alij. *Generale pactum eſt*, inquit *Auguſtinus*. l) *ſocietatis humanæ, obtemperare regibus ſuis.* Licet ſuas etiam hoc habeat exceptiones.

d) *Orat. II. adverſ. Iul.*
e) *Ruffin. H. E. l. 2. c. 9. Sozomen. H. E. l. 6. c. 7.*
f) *Reg. Moral. 79. c. 2.*
g) *t. I. Opp. Themiſt. f.* 125.
h) *Hiſt.* 4. 8.
i) 1. *Petr.* 2. 13. *ſq.*
k) *Rom.* 13. 1.
l) 2. *Confeſſ.*

§. 13.

§. 13. Patet hinc, *neceſſitatem* etiam *boni ordinis* Præcipere Patientiam. Allegare hanc non tantũ licet pro neceſſitate patientiæ, ad tolerandas ſuperiorum, imperantium, injurias, ut modo vidimus; verum etiam ad privatam vindictam, & quæ ad eandem pertinent, duella v. c. omittenda, ne læſi in DEI & Magiſtratus jura involemus. In Theologorum Scholis, ex Chriſtianorum diſciplina, prolixius explicatur ratio divini ordinis, ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ ἡμᾶς εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τοῦ Θεοῦ, *quod per multas afflictiones nos oporteat introire in regnum* DEI. a) Ὑπομονῆς hinc ἔχομεν χρείαν, *patientia nobis opus eſt, ut ubi voluntatem* DEI *peregerimus, reportemus promiſſionem.* b) Præclaræ hinc extant admonitiones, ad Patientiæ debitum perſolvendum, Chriſtianorum Doctorum, *Tertulliani,* c) *Cypriani* d) inprimis, aliquoties jam auditæ. Abuſus vero hujus ordinis fuit in vita ſociali, quando Alexander, apud *Curtium,* e) Dario perſuaſurus deditionem, *quo ſecundus ei, non par haberetur,* nuntiari juſſit, *nec mundum duobus ſolibus poſſe regi, nec duo ſumma regna ſalvo ſtatu terrarum* poſſe habere. Ita qui ſuperiori ſeculo, Mariam Scotam ab Anglis ad patientiam ſupplicij adigi potuiſſe, cenſuerunt, à ratione ordinis in civitate; rectene, an ſecus? non diſquiro; ſententiæ ſuæ petierunt patrocinium, apud *Camdenum,* f) exiſtimantes, *ſubditam eam fuiſſe, licet non originariam, tamen tem-*

a) *Act.* 13. 22.

b) *Ebr.* 10. 36.

c) *de Patient.*

d) *Serm. de bono pat.*

e) 4. 11.

f) *Eliſab. ann.* 1586. *add. de orig. l.* 6. *art.* 2. §. 20.

temporariam, quia duo abſoluti Principes quoad autoritatem regiam, ſimul in uno regno eſſe non poſſunt. Nullam etiam eſſe cognationem propiorem, quam patriam. Item, *qui crimen commiſit, non meruiſſe gaudere ſecuritate promiſſa; & hoſpitij quidem jura ſancta eſſe, at patria ſanctiora.* Addebant, *meliorem futuram conditionem principis in alterius regno peccantis, quam bene regnantis*, niſi ita liceat. Suadet præterea melior etiam ordo, ut à crudeli genitore te interfici patiaris potius, quam ut ſub moderamine inculpatæ tutelæ autorem vitæ tuæ interficias. *Legibus quidem humanis, vel ab omni, vel certe majori ſupplicio liberari, excuſariq; filium*, quem eo neceſſitatis adegit pater, ut reſiſtendo vitam eripere conantem occideret, *cenſuerim*, inquit Enenkelius: g) *Valde tamen vereor, ne talis à DEO, propriįque animi conſcientia, & ſeipſo judice, non plane abſolvatur.*

g) de Privil. Parent. & lib. Priv. II. c. 6. n. 9. p. 160.

§. 14. Exigit Patientiæ exercitium etiam *ratio Charitatis*, ejuſque ordo ſupra traditus. Unde in dilectione proximi, uti animam ejuſdem, & quæ ad ſalutem illius pertinent, non tantum dilectioni corporis proximi, verum etiam corporis abſolute, adeoque etiam noſtri, anteponere debemus; ita recte exinde infert Dorſcheus, a) *extrema neceſſitate ſpirituali proximi unumquemq; teneri, etiam cum vitæ expoſitione, juvare proximum,* ſi ſcil. ut bene limitatio addita habet, *aliter*

a) Theol. Mor. §. 247.

 juva-

juvari proximus non poſsit. 2 *Nullum aliunde ex ſubventione majus incommodum timendum ſit;* & 3. *ſpes certa ſit juvandi proximum;* docente *Iohanne.* b) Dignior eſt & nobilior anima proximi, quam meum corpus; ergo in extremo ejus periculo hoc potius pati, quam illa perire debet, ſi hoc eſt medium neceſſarium unice proximo, ad ſalutem animæ, notante B. *Zieglero.* c) Idem poſtulat juſtior aliorum dilectio: Quos enim præ nobis amare debemus, pro illis etiam pati non iniquum eſt.

b) *1. Ep.* 3.16. *ad. Ioh.* 15. 12.

c) *in Grot. l.* 3.3.

§. 15. Poſtulat etiam, ut pro aliis patiamur, atque moriamur, *officij ratio* nonnunquam. Ita miles ex officij, & diſciplinæ militaris ratione tenetur in loco pugnæ manere, etſi in eo ſibi occumbendum eſſe ſciat: Periculoſam etiam & cuniculis expoſitam occupare ſtationem, pulveris incenſi pyrij impetu licet inde ſe ejectum iri ei appareat. Licet etiam ex ratione, & fine belli, militi periculoſas ſtationes, & alia diſcriminis plena depoſcere loca, & expeditiones militares. Laudatur hinc à Debora, a) *Sebulun, populus, qui devovit animam ſuam ad moriendum,* fiducia in DEUM plenus, imminente Siſſera cum inſtructiſſimo exercitu, & nongentis curribus falcatis. Jonathan etiam b) cum armigero ſuo ad ſtationem Philiſtæorum, maximo cum periculo aſcendit, hoſtes feliciter cædens. Ita refert *Florus,* c) *Calpurnium Flammam, trepidante*

Re-

a) *Iudic.* 5. 18.

b) 1. *Sam.* 14. 4 *ſqq.*

c) *Hiſtor. Rom.* 2. 2.

Romano exercitu circa Camarienſium ſaltum, lecta manu infeſtum & inſeſſum ab hoſtibus tumulum occupaſſe, adeoq; moratum hoſtem dum exercitus omnis evaderet. Simili, ſi recentiora adducenda ſunt, facto, cum *Brachelio* d) ſcriptore, Riva, Præfectus Claſſis Venetorum, Turcarem claſſem in portu Foggiano, haud procul Smirna urbe, ſtantem, in ipſo aditu portus inſtructa acie aggreſſus eſſet, *animadvertens nauta Venetus, navem quandam, quæ magnam vim pulveris nitrati & globorum pyrobolarium vehebat, ignem concepiſſe, contempto mortis periculo, una cum centurione navali Iacobo Santorinio deſiluit in mare, & ardenti navigio per ignem & aquam adnatans, anchorarios funes aſcia intercidit, navigio, illis ſine incommodo renatantibus, vento ac flammis in claſſem Turcarum impulſo.* Etſi in hoc atque ſimili caſu, quo aliquid æque bene per alios, atque per me perfici poteſt, citra imperium Superioris, ad id in me ſuſcipiendum ego præciſe non teneor, ſpecialis licet rerum ſtatus obligationem etiam in me augeat. Alias vitæ ſuæ prodigum eſſe non decet. Hoc ſenſu bene *Auguſtinus*: e) *Nimium præceps eſt, qui tranſire contendit, ubi conſpexerit alium cecidiſſe: & vehementer infrenis eſt, cui non incutitur timor alio pereunte.* Idem habendum in aliis, quæ pro Rep. ſuſcipiuntur, ſi ratio negotij & functionis vitam impendi poſtulat, uti qui in bello contra Siſſeram ſe conjun-

d) *Hiſt. noſtri temp. l. 7. p. 145 ad ann. 1649.*

e) *de ſingular. Cleric.*

xerant Ebræi pro Rep. cum Baraco, ad mo-
f) *Iud.* 5. 18. riendum ſe quoque ſe devoverant. f) Ex hoc
enim, quod civile imperium poteſtatem origi-
g) *Ioh.* 19. 11. ne divinam, Chriſto Doctore, g) in caput ci-
vis habet, ex obligatione obſequij, valide eo
uſque civis vitam obligabit, quouſque obli-
gatio civitati debita, tam expreſſe, quam ta-
cite ex natura negotij, poſtulaverit. Urias, &
cæteri, cum à Joabo, Rabbam Amonitarum
oppugnante, collocarentur in loco pericu-
h) 2. *Sam.* 11. 16. *ſq.* loſo, ubi is ſciebat, quod viri *roboris eſſent*, h)
non reſtiterunt, ſed periculoſa iſta ad tuen-
dum loca occuparunt; ceciderint licet. Ita
quorum ex pacto officium eſt peſtis tempo-
re laborantibus inſervire, non debent ægro-
tos relinquere, ab illis fugere; ſed cum ſpe-
ciale officium ſpeciali quoque ratione auge-
at obligationem, ad ſubeundum contagij per-
iculum, moriendum etiam, ſi caſus ita tule-
i) 2. *de Clem.* 6. rit, *afflictu*, ut *Seneca* i) loquitur, *& fortius la-
borantibus, multo libentius ſubvenient.* Ad
vulnera etiam excipienda, mortemque pro
aliis ſuſtinendam, tenentur potius, quam ut
fuga ſibi conſulant, *iſti ſocij itineris, ea lege
k) 2. *I. B. P.* 1. 8. contracti, ut vim ab aliis arceant*, *Grotio* k) et-
iam monitum. Etſi enim vitam privatis ob-
ligare, privato ex jure in vitam ſuam, non li-
cet, valide tamen hujus faciendi facultatem
nanciſcitur, cum ex conſenſu imperij civilis,
quod ex imperio in caput & vitam civis, ad
talia aliis præſtanda efficaciter obligare poteſt,
talem-

talemque agendi poteſtatem etiam tacite largitur, quo ſubditorum ſecuritati conſulatur, ita ut ex jure à ſummo imperio conceſſo agat; tum ex jure defenſionis plurium unito, quo quilibet ad commune arcendum periculum tenetur. Diſputat de hoc etiam erudite Dn. *Stryckius*. l)

§. 16. Parum ſapienter *Iohannes Bodinus* a) ſuggillat Papinianum, Baſſiano, cum *illi occiſo fratre*, ut *Spartianus* b) refert, *mandaſſet, ut & in ſenatu pro ſe, apud populum facinus dilueret*, reſpondentem: *Non tam facile parricidium excuſari poſſe, quam fieri: Fortiter*, inquit, *ille quidem magis, quam ſapienter.* Verum quæ contra honeſtatem & juſtitiam atrociſſime committuntur, nec facienda, nec dicenda ſunt, propter ſcandalum, etſi moriendum ſit. Ex noſtris B. *Ambroſius*, c) etſi *poteſtates non irritandas* eſſe præceperit: *Proſpiciendum* tamen *etiam* monet, *ne adulantibus aperiamus aurem. Emolliri enim adulatione, non ſolum fortitudinis non eſſe, ſed etiam ignaviæ* ipſi *videtur.* Unde *Bongarſius* d) improbata Bodini diſciplina, *recte*, inquit, *& ordine fecit Papinianus, & viri boni officium functus eſt, qui mori praeoptavit, quam tyranno impia & iniqua imperanti parcere.* Negat vero recte *Iuſtinus*, e) *in parricidio ullam ſatis juſtam cauſam, ad ſceleris patrocinia, prætexi poſſe.* Nam quod *Bodinus* ulterius excipit, *non debuiſſe Papinianum tanto viro, id eſt, ſeipſo Rempubli-*

l) *Iur. hom. in ſeipſ. c. 3. §. 14. p. 56. ſeq.*

a) *de Rep. l. 3. c. 4. f. 294.*

b) *Anton. Caracall. c. 8.*

c) *Offic. l. 1. c. 42.*

d) *Not. ad Iuſtin. 16. 1. 4.*

e) *l. 16. c. 1. n. 4.*

publicam orbare, ſed Principi, vel potius ſuo dolori indulgendo ſibi Rempublicam, ac ſeipſum Reipublicæ ſervare: Locum habet in illis, quæ patienda ſunt ex injuſto Principis mandato, non ſi injuſta, & quæ contra pietatem & honeſtatem ſunt, ſcandaloq; non carent, ab eodem
f) *c. 5. 23.* imperantur ut fiant. *Væ*, inquit *Ieſaias*, f) *juſtum pronunciantibus impium propter munus.*
g) *v. 20.* Paulo ante g) ſic dixerat: *Væ dicentibus de malo bonum eſt, & de bono malum, ponentibus tenebras in lucem, & lucem in tenebras, ponentibus amarum in dulce, & dulce in amarum.* Quod etiam hic dicere licet. Nec male no-
h) *Comm. in l. c. Eſai. f. m. 84.* tavit *Procopius*, h) *χεῖρον*, inquiens, ὃ τοῦτο τὸ καὶ συνηγορεῖν τῷ κακῷ, καὶ λέγειν τὸ καλὸν πονηρὸν, οὐ μόνον γὰρ ποιοῦσι φησὶν αὐτὰ, ἀλλὰ καὶ συνδοκοῦσι τοῖς πράττουσι, *longe deterius facit, qui malo patrocinatus, quod tale eſt, bonum non veretur dicere. Non enim, ait, iſta faciunt tantum, ſed facientibus etiam congratulantur.*

§. 17. Ad patiendum etiam, atque ea, quæ mutare neſcimus, ferenda omnis generis mala, quæque aliter fieri malumus, injurias etiam, atque contumelias, animus obfirmandus, ſi malum aliquod factum eſt inſuperabile, ita ut bonæ deficiant artes, atque media,
a) *I. B. P. l. 4. 15.* quibus corrigatur. Ita *Grotio* a) ſcriptore; *actus imperij, quos invaſor exercet, vim habere poſſunt obligandi, non ex ipſius jure, quod nullum eſt, ſed ex eo, quod omnino probabile ſit, eum qui jus imperandi habet, ſive is eſt populus ipſe, ſive*

ſive Rex, *ſive ſenatus, id malle, interim rata eſſe quæ imperat, quam legibus, judiciis ſublatis ſummam induci confuſionem.* Annuit *Pufendorfius*, b) licere id ſubditis ex præſumta Principis voluntate contendens, quem *malle*, ait, *cives ſuos quocunq; modo ſervari; quam dum ne quidquam fato obluctantur, & à viribus deſtitutum affectum intempeſtive oſtentant, nullo cum fructu perire.* Eadem eximie diſputat *Robertus Sanderſonus*, c) Anglus, memor temporum, quibus ſub Cromwello invaſore Britannis vivendum fuerat. Neceſſitas nimirum inſuperabilis voluntati hanc neceſſitatem patientiæ imponit, ut abripi ſe patiatur, ad conformandum ſe legi, etſi legi obligari nolit, ſed quod ſibi & patriæ id ſe debere cenſeat, jure etiam externo tantum, non interno. d) Quæ nimirum ita tolerantur, *ad vitanda mala pejora, Sylveſtro Prieratie*) *tolerari* dicuntur. Tyrannos hinc invaſores rectius tolerandos, quam tollendos cenſent, ſi tolli nequeunt, niſi cum Reipubl. maxima concuſſione. *Fieri hinc poſſe*, rurſus ait *Grotius*, f) *ut is qui jus habet imperij malit invaſorem in poſſeſſione relinqui, quam periculoſis, & cruentis motibus occaſionem dari, qui plerumq; ſequi ſolent iis violatis, aut interfectis, qui validam habent factionem in populo, aut externos etiam amicos.* Docet *Appianus*; docent alij rerum Romanarum ſcriptores, cædem Cæſaris quam atrocia bella civilia ſecuta fuerint. Cenſuit

b) *Diſſert. Acad. ſe ect. de Interreg. §. 16. p. 292*

c) *Oblig. Conſcient. Prælect. 5. §. 16. ſqq.*

d) *Grot. l. B. P. 3. 7. 6.*

e) *Summ. V. Patient.*

f) *l. c. §. 19.*

etiam T. Quintius Flaminius in oratione ad Græcos, Corinthi congregatos, apud *Livium*, g) l. 34. g) cum Nabis, Lacedæmoniorum tyrannus, *aliter quam ruina graviſsima civitatis opprimi non poſſet, ſatius viſum eſſe, tyrannum debilitatum relinqui, quam intermori vehementioribus, quam quæ pati poſſet, remediis civitatem ſinere, in ipſa vindicta libertatis perituram.* Singulare etiam patientiæ exemplum fuit Ariſtidis, cum Athenienſes id agere cerneret, ut ſe Oſtraciſmo urbe ejicerent. Cum enim, ut

h) c. 2. Opp. Apophth. f. 186. *Plutarchus* h) autor eſt, *homo quidam ruſticus, literarumq; rudis, teſtam ei attuliſſet, petiiſſetque, ut nomen Ariſtidis inſcriberet.* Γινώσκεις γὰρ (ἔφη) τὸν Ἀριστείδην; *noſti vero, inquit, Ariſtidem? Non equidem, reſpondit ruſticus*; ἄχθο-μαι γὰρ, addens, τῇ τοῦ δικαίου προσηγορίᾳ, *ſed moleſtum mihi eſt Iuſti cognomentum. Tum Ariſtides ſilens nomen ſuum teſta inſcripſit, eamq; homini reddidit.* Uſque adeo prudentiæ eſt furori, cui impares ſumus, patienter cedere. Pertinet huc deliberatio: *Libertas, an pax placeat,* apud *Tac.* i) & *Grot.* k)

i) 4. Hiſt 67.
k) l. B. 1. 4. 19. l. 2. 24. 6.

§. 18. Inhoneſtorum honeſta etiam cum detur patientia, quod contingit, ſi plane inviti, & per vim inſuperabilem, mente incorrupta aliquid ob bonam cauſam pati cogimur; non debemus ad talia evitanda turpe quid eligere, vel committere, quo ab ejuſmodi paſſione injurioſa nos liberemus. Atrociſſimæ læſionis ſpecies eſt ſtuprum per vim

illa-

illatum: Sed uti actus libidinis efferatæ, & proin turpiſſimus eſt, reſpectu inferentis, ita vis ejuſmodi illata, ſine conſenſu patientis fœminæ, *cujus animus temperantia ductum & conſilium ſecutus, cupiditati frenum injecit*, uti *Euſebius* a) loquitur, honeſtatem non minuit. Proinde quod ſine peccato pati poteſt, non debet, ne id patiatur, atrox licet injuria ſit, contra *Pauli* doctrinam, b) peccato, *αὐτοχειρία* ſcil. redimere; laudentur licet Sophroniſca, Pelagia virgo, & aliæ fœminæ Chriſtianæ, *quæ ne diſpendium caſtitatis vel in corpore paterentur, idem durum iter conſciſcendæ ſibi mortis ante arripuerunt*, apud *Baronium*; c) cui probandum, *latenter hoc ſpiritum ſanctum juſſiſſe*. Sentit nobiſcum contra *Hieronymum* B. *Auguſtinus*; & merentur legi, quæ de hac re diſputat *Claudius Eſpencæus*. d)

a) *Præp. Evang. l. 6. f.* 247.
b) *Rom.* 3. 8.
c) *Annal. t.* 3. *ad an.* 309. *n.* 11. *ſqq. f.* 37.
d) *Opp. f.* 827.

§. 19. Lucretiæ, vim jam perpeſſæ, *αὐτοχειρία* merito hinc improbatur; cui merito etiam B. *Auguſtinus* a) præfert fœminas, quæ vim paſſæ vivere maluerunt, *ne aliorum ſceleribus adderent ſua*. Stupri enim Patientiam quod admiſerit, territa Tarquinij minis, & metu dedecoris, quod *cum mortua*, occiſa nimirum à ſe, *jugulatum ſervum nudum ſe poſiturum ajebat, ut in ſordido adulterio necata diceretur*, ſcriptore *Livio*; b) etſi aliunde ambiguam diſceptationem habere poſſit, inhoneſta tamen hinc non reddita fuiſſet, cum corpus tantum violatum, animus inſons man-

a) *l.* 1. *de C. D. c.* 19.
b) *l.* 1.

ſerit. Hujus virtus caſtitas eſt, quæ triumphare poteſt, atrociſſimam licet injuriam corpus paſſum fuerit. Nec ob carnis integritatem, per vim à violento oppreſſore ereptam, mentis integritas male poteſt audire, ſi non conſenſerit. Chriſtiana B. *Auguſtini* c) diſciplina de hac re ita judicat: *Propoſito animi permanente, per quod corpus ſanctificari meruit, nec ipſi corpori aufert ſanctitatem violentia libidinis aliena, quam ſervat perſeverantia continentia ſancta.* Non minus egregie B. *Baſilius*, d) *ante omnia*, inquit, *puritas ipſa in mente noſtra conſiſtens prædicanda venit beata, quoniam radix earum, quæ per corpus fiunt, actionum, cogitatio ipſa ſeu conſultatio eſt in corde conquieſcens.*

c) *de bon. Conjug.*

d) *t. I. Opp. Com. in Pſ. I. f.* 121.

§. 20. Sufficiant hæc originibus *jurium* Patientiæ *Paſſivorum* eruendis: Sequuntur jura *Activa*. Competere talia injuſte & inique patientibus, patet, quia minus habent ſuo, h. e. quam ipſis competit, & quia id quod patiuntur pugnat cum jure illorum ſtricto, ſive id ſit ex mera natura, ſive accedente facto humano, ſive ex lege, eximie *Grotio* a) explicatum. Naſcitur hinc jus adverſus eos, quorum vel culpa quis ſuum non habet, ſed minus, atque damnum: Vel à quibus rationabili ex cauſa nobis metuimus, quod documento ſatis manifeſto declaraverint, qua erga nos ſint voluntate; nam qualiſcunque metus hic non ſufficit, monitum & *Grotio*. b)

a) *I. B. P. II.* 17. 2.

b) *I. B. P. II.* 1. 5.

Va-

Valent hæc etiam, ceu jura communia apud Chriſtianos, cum Evangelium politiam non abolet.

§. 21. Hinc, laxiorem licet B. *Ambroſij* a) diſciplinam eſſe non ignoremus; quam & B. *Auguſtini* b) fuiſſe conſtat; hinc, inquam, ne injuſta læſione Patientiæ noſtræ illudatur, non conſultius tantum eſt prævenire, quam præveniri, ſed & injuſte aggreſſurum *præveniendi jus* habemus, ſi cauſa timendi nimirum, ut modo dictum, ſatis probabilis & juſta fuerit. Nihil tamen hic præcipitandum eſſe, prudentiores, & meliores ſemper cenſuerunt, *Grotio* c) explicatum. Unde Poloni, ſcriptore *Paſtorio*, d) cum de tuenda regni ſecuritate deliberarent contra Chmelnicium, Coſacorum Ducem, *imprudentium fore* judicarunt, *fidere diffidenti, & nudum Reipubl. latus exponere cupidini hominis, tantum exercitum in procinctu habentis*: Ablegandos proin ad Chmelnicium, *qui hominem moneant, ne Nobiles Vkraina incolas premendo, tum Principes exteros ad patrocinium ſui ſolicitando, metum, & ſic porro cauſam novi belli præbeat regi & regno.* Notat autem *Albericus Gentilis*, e) *non unam cauſam timendi probabilem eſſe, & generaliter de ea definiri nihil poſſe.* Ex circumſtantiis ergo, aliiſque ſignis moralem certitudinem facientibus, de alterius voluntate mihi nocendi ſtatuendum. Nimirum ſi vel ex manifeſtis indiciis, vel ex prævia denuntiatione, vel aliunde ſatis conſtet,

a) *Off. l.* 3. *c.* 4.
b) *Epiſt. ad Public.* 154.
c) *l. B. P. II.* 1. 5.
d) *Flor. Polon. l.* 6. *p.* 508.
e) *de I. B. l.* 1. *c.* 14. *p.* 101.

ſtet,

ſtet, alterum in inferenda nobis injuria occupari, viribus licet nondum ſatis inſtructus ſit, præveniendo utique ejus hoſtiles erga me conatus diſturbare licebit, prolixius explicante *Pufendorfio*, f) & laudato *Alberico*, g) modo licet ſtatui rerum convenienti. Fatetur hinc *Grotius*, h) *ſi inſultator arma arripit, & quidem ita, ut appareat eum id facere occidendi animo, occupari poſſe facinus.* Ephori etiam Spartanorum apud *Thucydidem*, i) Pauſaniam Spartæ non ſolum, ſed totius Græciæ proditionis conſilia agitantem cum Xerxe, prævenerunt, & comprehendi juſſerunt, cum ex literis partim ejus, partim etiam verbis, in certo latibulo in hunc finem conſtructo, hoc hominis machinamentum cognoviſſent. Aggreſſori enim injuſto ſe opponere licet ex jure, quo permittitur ea declinare, quæ nocent, id quod largitur naturalis ſui ipſius amor, *Apoſtolo* k) commendatus, & probatus. *Iuſtinus* l) Martyr certe, proximi amorem, amori quo quis ſe complectitur, non præfert, ſed poſtponit, ceu amorem regulatum per *ἑαυτοφιλίαν*. *Proximus* enim ſecundum ejus diſciplinam *mihi perinde carus eſſe debet, atque ipſe mihi ſum; ita ut illi præſtem, quæ mihi ipſi expeto.* Ordinarie ergo cuſtodia vitæ meæ antecedit cuſtodiam vitæ alterius: Niſi ex cauſa ſuperiori, & univerſaliori, aliter contingat. Non vero tunc demum aliquis audit aggreſſor, quando actu vim prior intulit; nec ut quis ſeu in ge-

f) *l. N. G.* 2. 5. 6.
g) *l. B.* P. 2. 1. 5.
h) *l. c. p.* 98.
i) *l.* 1. *f. m.* 43.
k) *Eph.* 5. 29
l) *Dialog. cum Tryph. f.* 321.

Digitized by Google

genere morum, ſeu in genere naturæ, aggreſſor dici jure queat, requiritur, ut quibus me petere conſtituit ictus prius excipiam, ſed jure talis habebitur, ſi, cum pacifice mecum vivere tenetur, in eam pugnandi & reſiſtendi neceſſitatem conatibus me ſuis conjecerit, ut ex inevitabili ſalutis meæ ratione, niſi cladem accipere malim, præveniendum mihi ſit, ut patet exemplo furis nocturni; m) cujus percuſſio rata non fuiſſet, niſi divino judicio pro aggreſſore habitus fuiſſet. Hoc enim qui facit, recte *aggreſſionis actum moraliter incipit*, ut loquitur *Bonacina.* n) Cujus non improbamus diſciplinam, quando, *non*, inquit, *eſt licitum prævenire aggreſſorem propria vita, antequam inceperit moraliter aggreſſionis actum: Quod ſi jam moraliter incepit actum, nec eſt alia ſpes evadendi, licite poteſt occidi, quia vim inferre cenſetur*: Etſi definitioni ejus juſto laxiori, quando moraliter incepiſſe quis dici debeat, non ſubſcribamus; nec exemplum, quo ſuam diſciplinam it illuſtratum, penitus probemus, cum addit: *Hinc ſequitur, licitum eſſe uxori occidere maritum, qui paravit pugionem ſub cervicali, aut venenum, ad eam occidendam: Modo non adſit alia ſpes evadendi ex manibus mariti.* Nam ſi ſub cervicali tantum is ferrum occultavit, non ſolum de ejus mente vix certo quid conſtat, ante ſceleris conatum, & an non terroris faciendi gratia tantum id forte fecerit; ſed & ſub talibus circumſtantiis non ap-

m) *Exod.* 22. 1.

n) *t.* 2. *Theol. Mor. f.* 671. *n.* 1. *ſq.*

apparet, qui caſus, qualem Bonacina fingit, detur; cum antequam ſe ad tentandam cædem accingat crudelis conjux, res mulieris nondum eo redierint, ut ipſi cadendum ſit, niſi illum occupet. Non minus laxa eſt *Leſ-*
o) *de I. & I. 2. 9. d 3.* *ſij*, o) & aliorum diſciplina, alia occaſione examinanda. Recte interim *Demoſthenes*, p)
p) *in Philip. III. f. 46. 8.* in Philippi Macedonis, Amyntæ filij, ſub prætextu amicitiæ nocendi, artes invectus, ὁ γὰρ, inquit, οἷς ἂν ἐγὼ ληφθείην, ταῦτα πράττων καὶ κατασκευαζόμενος, οὗτος ἐμοὶ πολεμεῖ, κἂν μὴ πωβάλλῃ μὴ δὲ τοξεύῃ, *qui quibus ego capiar, ea agit aut inſtruit: is bellum mecum gerit, etſi me nondum vel jaculis, vel ſagittis petat.* Et inter Byzantinos ſcriptor non ignobilis *Nice-*
q) *Hiſt. l. 5. f. m. 59.* *phorus Gregoras*, q) φρονίμων ἐστὶν, inquit, πρὶν γενέσθαι τὰ δυσχερῆ προνοεῖσθαι ὅπως μὴ γένηται· κἄν τι δέῃ καινοτομεῖν, ὑπὲρ τοῦ μὴ μείζοσι κινδύνοις περιπεσεῖν, μηδὲ τούτου φείδεσθαι, *prudentiæ eſſe, impendentes præcavere calamitates: & ſi quid ad graviora mala avertenda novandum ſit, non eſſe cunctandum.* Non inviti tamen largimur, majorem hujus præveniendi juris dari licentiam in ſtatu naturali, & inter imperia ſuperiori poteſtati humanæ non obnoxia, quam in ſtatu civili, & inter privatos, illorumque in cauſis, bene monitum, explicatumque *Albe-*
r) *l. B. 1. 14. p. 99.* *rico Gentili*, r) & *Pufendorfio.* s)

s) *I. N. G. 2. 5. 6. ſq.* §. 22. Cæterum imminentem, & certo metuendam vim injuſtam, non ſolum præveniendo avertere & propulſare, ſed & vim illa-

illatam repellere, & contra eam ſe defendere licet. Quæ enim me pati injuſtum eſt, mihi ut nec accidere, nec me affligere debent, ita me adverſus illa tuendo, eadem declinandi, meque, mearumque rerum ſtatum incolumem conſervandi, jus eſt. Sacrorum hinc, vitæ, corporis, famæ etiam, rerumque cæterarum, ſive bonorum, quæ injuſte damno afficiuntur, defenſionem inſtituere licet, perſonæ & rebus convenientem, diſtinctius alibi explicandam. Et quando vi aliorum injuſtæ, atque maleficio alieno depellendo non pares ſumus, ad hunc finem obtinendum licebit aliorum implorare auxilia, & fœdere inito aliunde talia accipere, & cum noſtris viribus unire. Hic enim conſociationis humanæ finis etiam eſt, ut mutua conſervemur ope, & homini hominis conſervatio curæ ſit.

§. 23. *Fugere* etiam licet, atque fuga ſibi adverſus vim injuſtam conſulere, ſi vel ſanctior eſt perſona, quam ut ei reſiſti poſſit, vel vis major, quam ut ei tolerandæ, vel repellendæ pares ſimus. Cataphrygum equidem errore infectus *Tertullianus*, a) cum ad Montaniſtas defeciſſet, *fugiendum eſſe in perſecutione* negavit: *Hoc noſtrum* eſſe contendens, *ſtare ſub DEI arbitrio, quam fugere ſub noſtro, quia nihil fuga proſit, ſi DEVS nolit.* Verum cum ipſe Chriſtus *fugam* ſuaſerit, b) manifeſtum eſt, eum non probaſſe, ut temere ſe periculis fideles objiciant, quando pruden-

a) *de Fuga in perſec. ſ. m. 541. ſq.*

b) *Math. 10. 23.*

denter poſſint illa declinare. Ita Elias propter odium Achabi latebras quæſivit, & propter minas Jezabelis fugit. c) Fugit & *Paulus*: d) Refertque idem de *Polycarpo Euſebius*: e) Conſtatque de Athanaſio non ex hiſtoria Eccleſiaſtica ſolum; ſed & ex doctiſſima ejuſdem *Apologia ad Imper. Conſtantium*: f) Modo officij neceſſitas non aliud requirat. Nam non tuta tantum, ſed & honeſta fuga eſſe debet; univerſaliori autem, & ſuperiori prohibente ratione, *non eſſe honeſtum fugere, etſi tutum ſit*, etiam *Seneca* g) monuit. Optime qui tyrannis vexantur, adverſus eoſdem ſibi fuga conſulunt. Vir fortis inclinata acie, quam reſtituere neſcit, honeſte fugit, ut ad pugnam redeat, ſecundum illud Græcorum: Ἀνὴρ ὁ φεύγων, καὶ πάλιν μαχήσεται, *qui fugit, ad pugnas ille redire poteſt*: Nec ſe cum nullo reipublicæ emolumento interfici, tenetur pati.

c) 1. *Reg.* 17. 3. 5. 9. c. 19. 3.
d) *Act.* 9. 25.
e) *H. Eccleſ.* l. 4. 15.
f) *t.* 1. *opp.*
g) *Suaſor.* ſec.

SECTIO IV.

De

JURE BELLI.

§. 1.

Bellum gerere licere, ex divino jure ſcripto, & coñato, gentiumque conſenſu patet, annuente ſaniorum Chriſtianorum diſciplina. *Gladium*, & proin etiam gladij uſum, ad

ad neceſſariam, civibus & ſubditis debitam, tutelam armatam præſtandam, concedit *Apoſtolus*, a) urgetque ſocialis vitæ neceſſitas, ſuggerente naturali hominum ratione, in eorundem æqualitate fundata: *Licere vim vi repellere.* De bellis injuſtis, & injuſte geſtis, loquitur *Cyprianus* b) ita ſcribens ad *Donatum*: *Cerne tu itinera latronibus clauſa, maria obſeſſa prædonibus, cruento horrore caſtrorum bella ubiq; diviſa. Madet orbis mutuo ſanguine, & homicidium cum admittunt ſinguli crimen eſt, virtus vocatur, cum publice geritur. Impunitatem ſceleribus acquirit non innocentia ratio, ſed ſævitia magnitudo.* Licitum bellum eſſe juſtis ex cauſis, *Athanaſius* c) his cenſuit verbis: Φονεύειν οὐκ ἔξεστιν, ἀλλ' ἐν πολέμοις ἀναιρεῖν τοὺς ἀντιπάλους, καὶ ἔννομον, καὶ ἐπαίνου ἄξιον, *cædem facere non licet; in bello autem hoſtem trucidare, & legitimum, & laude dignum eſt.*

a) *Rom,* 31.4.

b) *l.* 2. *Ep.* 2.

c) *t.* 2. *opp: Epiſt. ad Ammon. fi m.* 37.

§. 2. Non ſine certamine quidem, niſi componitur, bellum peragitur, in eo tamen ut certetur, ipſum bellum non conſiſtit, quod cum *Grotio* a) rectius per *ſtatum* definitur, quam per *actionem* deſcribitur. Nam & hæc certum ſtatum mortalium pro fundamento requirit, ſi non abſque ratione, qualis ſit in genere morum, de illa diſquirere velimus. Certum ergo diffidentium ſtatum, divino & naturæ jure ante omnia probatum, bellum notare neceſſe eſt, ex cujus indole, & qualitate, proveniunt certæ actiones, quæ

a(*l. B. P. l.* 1.

Digitized by Google

pro juſtis & licitis habentur, minime ſic æſtimandæ, niſi naturæ ſtatus, ad quem pertinent, reſponderent. Hic enim cum juſtus ſit,cæteris nimirum paribus, principium etiam eſt juſtitiæ actionum bellicarum, quæ ex ſtatus bellici indole, & finis belli, qui pax eſt, neceſſitate per ſe naſcuntur.

§. 3. Juſtitia enim ſtatus bellici naſcitur ex juſtitia cauſæ atque finis, tam univerſalis, qui eſt victoria & Pax, quam particularis, qui variat; & neceſſitate belli gerendi, aſſerta etiam olim à *Tito Boſtrenſi* a) contra Manichæos. Urgere hæc debent bellum ceu unicum, & adæquatum, ob finem iſtum agendi medium; ita ut deficientibus aliis, medij *ſubſidiarij* tantum rationem habeat. Ex quo ſequitur, quod ſtatus belli non niſi *ſubſidiarius* ſit, non ordinarius, nec naturalis, cum ad ſocialem vitam homo à DEO conditus ſit, quæ bello turbatur, & diſſolvitur, etſi non penitus quoad vinculum legis ſocialis naturalis, quoad actum ſecundum tamen, atque exercitium. *Nabuchodonoſori, Chaldæorum Regi, DEUS in manum dedit Hieroſolymam, ut pugnando contra eandem, illam caperet, accenderet igne, & combureret eam atq; domos, quod ſub ira ejus & excandeſcentia fuerat, inde à die quo ædificata erat, uſq; ad iſtum diem, ut removeret eam à facie ſua, quod nunquam dicto audientes fuerint ad admittendā diſciplinam* b) filij

a) *l. 2. adv. Manich. p. 87. ſqq.*

b) *Ierem. 32. 28. ſeq. 33. c. 11. 8. ſqq.*

Digitized by Google

filij Judæ, medio hoc ceu extremo, & ſubſidiario, in ordinem redigendi.

§. 4. Status belli autem quod etiam ſtatus diſſolutæ ſocietatis humanæ ſit, ſatis docent cum animus belligerantium hoſtilis, tum actiones, quas indoles iſtius ſtatus ſecum fert, atque concedit. Hoſtili quippe affectu mentes hominum non ſolum diſſident & diſſociantur: Amor unit, odium disjungit: Sed & per vim tam manifeſtam, quam occultam, cuncta geruntur, & cum cædibus impune & rapinis in ſeinvicem mortales ſæviunt, terrore, metu, deſperatione, fuga, rabie denique furoris cuncta inter exacerbatos implentur, ceu ex ſacra & profana ſatis conſtat hiſtoria. Diſſolutio tamen hæc non intelligi debet quoad vinculum, quo mortales in univerſalem aliquam ſub DEO, qui fecit ut *ex unius hominis ſanguine omne genus humanum habitaret ſuper univerſam terram*, a) & ejuſdem legibus ſocialibus, b) ſocietatem coiverunt; ſed quoad exercitium tantum, ceu dictum, iſtarum legum, in quantum nimirum hoc cum belli ſtatu, & ejuſdem fine proximo, qui eſt victoria, & actionibus ejuſdem legitimis, & neceſſariis, componi neſcit; quod omnium jurium humanorum diſſolutionem minime infert. Docuit hoc ipſe DEUS, populo ſuo rationem belli gerendi, & quæ belli jura obſervare debeant, præſcribens; c) & in N. Teſt. *Iohannes Baptiſta*. d) Habitu ergo erga ſe-

a) *Actor.* 17. 26. *ſqq.*

b) *Rom.* 2. 14. *ſq.*

c) *Deut.* 20.

d) *Luc.* 3. 14.

ſeinvicem amici eſſe debent belligerantes, vinculo legum naturalium adhuc vere inter illos intercedente, ſublata licet obligatione, ſeu potius quieſcente, & ſuſpenſa eadem, quoad exercitium, ſublato inter mortales ſtatu in quo illud exerceatur. Manent qui pugnant homines, injuſtæ cauſæ inimici, non hominum ipſorum. Illius ergo injuſtitiam juſta vindicant ultione, & puniunt ex juſtitia, cujus ex officio exequuntur vindictam, humano erga ſeinvicem animo non depoſito, ex amore juſti, & ira convenienti, non avaritia & crudelitate rem gerentes; uti Magiſtratus ex odio delicti per ſe, non odio perſonæ, ceu vindex juſtitiæ publicæ, reum publico adjudicat ſupplicio. Præclare B. *Auguſtinus*: e) *Nocendi cupiditas, ulciſcendi crudelitas, impacatus atq; implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & ſi qua ſimilia hac ſunt, quæ in bellis jure culpantur, quæ plerumq; ita culpantur, ut etiam jure puniantur*: Eximie etiam rurſus *Titus Boſtrenſis*, f) *ſi quis*, inquit, *ipſam cauſam bellorum malam eſſe dicat, ſive ira ſit, ſeu inimicitia, ſeu avaritia, non aberrabit à recto, & decenti; tribuendum tamen eſt hoc hominibus pravo animo affectis.* Abſente vero hac animi pravitate, in bello bona conſcientia verſari, ad ſacram ſynaxin accedere, & ſi ſors ita tulerit, fortiter pugnando pie & beate cadere poſſunt, qui pro Republica ex imperantium juſſu arma ſtringunt, *juſtitiam, & fidem hoſtibus*

e) 22. *contr. Fauſt.* c. 74.

f) *l.* 2. *adv. Manich. p.* 88.

bus etiam exhibentes, ex *Iohannis* g) præcepto, & Chriſtiani Doctoris h) pia diſciplina. Ipſos etiam Gentiles pia & juſta bella probaſſe conſtat.

g) *Luc.* 3. 14.
h) *Ambroſ. l.* 1. *Offic. c.* 29.

§. 5. Cum itaque bellum notet ſtatum ſublati jurium ſocialium exercitij, in quantum illud ex ratione belli gerendi quieſcere neceſſe eſt; ſpectandum inſuper eſt meritum cauſæ, propter quam ejuſmodi ſtatus ſubſidiarius quieſcentis, & ſuſpenſæ ad tempus ſocialitatis, qui jura belli largiatur, licite & juſte introducitur. Hanc dicimus ſic comparatam eſſe debere, ut mereatur rigorem juſtitiæ vindicativæ, & vindictæ publicæ, quo nomine eam publicam quoque eſſe neceſſe eſt, PACIS ſcil. inter mortales *publicæ* conſervationem. Hæc enim ex omnium ſaniorum, Chriſtianorum & Gentilium, judicio finis belli eſt, & eſſe debet. Non enim, ut *Auguſtinus* a) monet, *pax quæritur, ut bellum excitetur, ſed bellum geritur, ut pax acquiratur.* Complectitur autem pax ſincera, quæ fraude & dolo caret, quietam & tranquillam rerum & juriorum ſuorum poſſeſſionem, & uſurpationem. *Εἰ εἰρήνη,* inquit *Iſidorus Peluſiota,* b) *τῇ δικαιοσύνῃ συγκεκραμένη θεῖόν ἐστι χρῆμα· εἰ δὲ θατέρα ἄνευ τῆς ἑτέρας εἴη, λυμαίνεται τὸ τῆς ἀρετῆς κάλλει,* *pax ſi annexam juſtitiam habet, divina quadam res eſt. Si autem altera ſine altera ſit, virtutis pulchritudinem labefactat.* Quare cum iſta malitioſe per injuriam violetur, quando res, &

b) 3. *Epiſt.* 246.

jura iſta vel aliunde vi injuſta petuntur; vel injuſte auferuntur, vel injuſte etiam damna inferuntur; uti licet vim injuſtam vi depellere, ſic illatam armis vindicare licet. Nimirum, ut recte *Grotius* c) docet, *plane quot actionum forenſium ſunt fontes, totidem ſunt belli.* Illæ enim ad privatam, hoc ad publicam pertinet juſtitiam. Et ſicut judicia ad ſubſidia pacis inter privatos conſervandæ pertinent, ita bellum ſubſidium eſt pacis publicæ conſervandæ, muniendæ & revocandæ, ſeu reſtituendæ. Ibi gladij inter privatos, hic inter publicas perſonas publico nomine uſus datur. Patet hinc, nō errare illos, qui bellorum tres ſtatuunt cauſas juſtas, *neceſſariam defenſionem*, 2. *juſtam vindicationem*, & 3. *legitimam ablatorum recuperationem.* Conſentit ex Patribus rurſus B. *Auguſtinus*, d) *juſta autem*, inquiens, *bella definiri ſolent, quæ ulciſcuntur injurias, ſi qua gens, vel civitas, quæ bello petenda eſt, vel* vindicare *neglexerit, quod à ſuis improbe factum eſt, vel* reddere, *quod per injurias ablatum eſt.* Bene tamen addit magnus Doctor: *Sed etiam hoc genus belli ſine dubitatione juſtum eſt, quod* DEUS *imperat, apud quē non eſt iniquitas, & novit, quid cuiq; fieri debeat. In quo bello ductor exercitus, vel ipſe populus, non ipſe tam autor belli, quam miniſter judicandus eſt.* Probat, & explicat Præſulis Hipponenſis diſciplinam *Grotius.* e)

c) *l. B. P. II. l. 2.*

d) *tom. IV. opp. qq. ſuper Ioſ. l. 6. c. 10.*

e) *l. c.*

§. 6. Rerum & perſonarum *defenſione*, cum hanc pro cauſa belli juſta allegamus, intelli-

telligimus etiam alienas quidem, ſed ſub ratione tali, qua etiam noſtræ ſunt, quoad defenſionem ſc. quam vel jure perfecto iis debemus, ex pacto, nimirum, ſicut qui fœdere juncti ſunt, ejus, cum quo tale inierunt, eſſe cenſentur, qui hoc nomine etiam pro uno ſtant: Vel jure imperfecto, ob conſanguinitatem ſc. vel religionem, vel ſimilem cauſam. Illo caſu poſtulatur jure perfecto, hoc imperfecto. Illo caſu præſtatur neceſſario: Hoc libere, licite tamen, ſi reliquæ circūſtantiæ ita ſuadent, permittuntque. Ita cum quatuor reges, expoliata Sodoma Lothum captivum, ſubſtantiamque ejus abduxiſſent, Abrahamus, ex jure cognationis, parva licet, expedita tamen manu exivit ad liberandum fratris filium. a) *Divino mandato licet excitatum* Abrahamum, & aperta promiſſione confirmatum, id feciſſe D. *Calov.* b) notaverit. Unde *Brentius* c) diſquirens, *num Abraham peccaſſet, ſi non perſecutus eſſet hoſtes cum tam paucis vernaculis, ad liberandum cognatum ſuum Lothum,* reſpondet: *Si Abraham non fuiſſet excitatus ſingulari ſpiritu, ad perſequendos hoſtes, non inſultaſſet Lotho in animo ſuo, ſed condoluiſſet ei ex animo, tunc non peccaſſet quidem, ſed non factus eſſet tantus Patriarcha.*

a) *Gen.* 14. 12. *ſqq.*

b) *Com. h. l.*

c) *Com. h. l.*

§. 7. An rerum defenſione etiam *religio* contineatur, diſquirunt. Ipſam hic dicimus veritatem religionis adverſus contradicentes armis aſſerere non licere. Maximis equidem laudibus extollitur à *Simone Okolſkio,*

a) *orb. Polo-* | kio, a) pater familiæ *Sázlavvá* in Ruſſia rubra,
ni t. III. tit. | quod cum paganus natus, & educatus, in Pa-
Salavva. f. | triam Chriſtianus rediiſſet, ac hoc nomine
13. | *à primoribus non ſine blaſphemia Chriſti deri-*
ſus fuiſſet, commotus in iram, ut pro fide vera
& ſancta ſecum armis agerent, omnes tres pro-
vocaverit, facto circulo ad duellum in terra, &
pro DEI gloria, & fide pugnando infideles inter-
fecerit. Verum Zelus eſt abſque ſcientia.

b) *Tit.* 1. 9. | Non armis, ſed elencho uti jubet *Paulus*, b)
23. | præcipiens παρακαλεῖν ἐν διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαι-
νούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, *exhortari*
per doctrinam ſanam, & contradicentes convin-
cere, ἵνα ὑγιαίνωσιν ἐν τῇ πίστει, *ut ſani ſint in*
c) *Lactant.* | *fide.* Argumentis c) itaque, & Logicæ bene-
§. 20. | ficio verum, cujus ſpecies eſt vera religio, à
falſo diſcernendum, nec armis religionis ve-
ritas aſſerenda, & vindicanda eſt: Cum, uti
non jus, ita nec id quod in religione verum,
in armis haberi debeat. Etſi vero religio in
ſe armis defendi non poſſit, nec debeat, ceu
objectum armis per ſe intractabile; armis
tamen impedire licet quo minus quis in reli-
gionis ſuæ jure independente, à pari impedia-
tur, vel ob ejus profeſſionem ab Eccleſiæ
d) *Epiſt.* 50. | hoſte opprimatur. Laudat etiam *Auguſti-*
ad Bonif. | *nus* d) *Maximianum Epiſcopum Vagienſem, au-*
xilium petentem ab Imperatore Chriſtiano (con-
tra perſecutores) *non tam ſui ulciſcendi cauſa,*
e) *Brev. c.* | *quam tuendæ Eccleſiæ ſibi creditæ.* Diligenter,
20. *ſuppl.* | & ex genuinis principiis, hanc quæſtionem ex
§. 12. *ſq.* | noſtratibus tractavit etiam B. *Hülſemannus.* e)

§. 8.

§. 8. *Neceſſitas defenſionis* oritur ex neceſſitate medij conſervandi tranquillitatem publicam, quam conſociatio humani generis amat. Jubemur à *Paulo* a) preces ad DEUM fundere *pro regibus, & omnibus qui in ſupereminentia ſunt, ut tranquillam & quietam vitam tranſigamus in omni pietate, & honeſtate.* Cum vero ex noſtro voto non nobis ſemper tranquillis eſſe liceat, nec bonis noſtris quiete frui poſſimus, pacate etiam vivere ulterius non conceſſum ſit, quam alter velit, cum quo nobis vivendum; armata omnino tutela noſtrorum jurium & bonorum neceſſaria eſt, ceu medium, quo vis injuſta imminens, quæ quiete nos vivere non patitur, repellatur. Cum illis enim qui nos lædunt, pacifice vivere non poſſumus; ſive læſio iſta fiat quoad res, quæ per naturam alicujus ſunt, v. c. vitam, corpus, membra, libertatem, pudicitiam; ſeu quoad talia quæ pacto, & conventione, vel alio legitimo titulo habentur. Ita divino impulſu excitatus Jiphthachus defendit exercitu terras, quas injuſte Ammonitæ ab Iſraelitis, facto bello injuſto, repetitum ibant. b) *Si enim*, ut loquitur *Chryſoſtomus*, c) *cum non deſint Magiſtratus, & milites in armis praſto ſint, furor paucorum hominum promiſcuorum, & advenarum, in brevi temporis momento magnam inflammat incendium, & magnam procellam excitat*, quid futurum credimus, ſi armata civitatis tutela plane omitteretur, vel

a) 1. *Tim*. 2. 2.

b) *Iudic*. 11. 12.

c) *Homil*. 6. *ad Pop. Antioch*.

Digitized by Google

pro illicita cenſeretur? Hinc in *armorum ratione antiquior cavendi, quam ictum inferendi*
d) 4. *Inſt.* 2. *cura eſt*, monente *Quintiliano.* d)

§. 9. Naſcitur hinc *defenſionis juſtitia.* Cum enim homo ab homine, gens à gente, hoc expectet officium, ne ab altero lædatur; juſte ſecuritas armis alteri inquieto extorquetur, ceu jus quod perfecte invaſor inquietus debet. Injuſtum eſt quod alter contra mea tentat jura: Hoc ne data noxa inferatur, ergo quo æqualitas ſervetur, nec ego in fruitione juris communis deterior inferente damnum reddar, præter meum meritum, juſte arma & vis opponuntur. Obligatio enim ad colendam cum omnibus hominibus, ſi pacate vivere velint, vitam ſocialem, omnes æqualiter ligat.
a) 1. *Off.* 29. Ne dicam, quod & *Ambroſio* a) monitum, *omnibus animantibus innaſci, primum ſalutem tueri, cavere quæ noceant, expetere quæ proſint.* Verum tamen interim eſt illud B. *Auguſtini*:
b) *XIX. de Civ. Dei c.* 7. b) *Iniquitas partis adverſæ juſta bella ingerit gerenda ſapienti. Quæ iniquitas utriq; homini, quia hominum eſt, etſi nulla ex ea bellandi neceſſitas naſceretur.*

§. 10. *Pœnalia bella* à ſuperioribus geruntur adverſus inferiores, ſi refractarij armis ad officium debitum reducendi ſunt. *Qui enim*
a) *Math.* 26. 50. *gladium* injuſte *ſumit*, juſte *gladio perit.* a) Varie B. Patres, equidem verba hæc explicant; ſed placet illud *Hunnij*, b) qui *accipere*,
b) *Com. h. l. f.* 576. inquit, *gladium dicuntur, quibus ille ratione offi-*

officij non eſt demandatus. Bellum pœnale etiam DEUS præcepit, c) jubens ut *habitatores urbis, qui ſervierunt Diis alienis, gladio percutiantur, ipſa urbe deleta.* Tale etiam geſſerunt Tribus Ebræorum cum Benjamitis, ob atrox Gibeonitarum ſcelus, cujus autores tradere ad ſupplicium detrectaverant; d) & cum cives Jabeſch Gileadis internecione delerent, quod contra commune Reipublicæ edictum, atque placitum, quieti in iſto contra Benjamitas bello manſiſſent. e) Unde & *Ambroſius,* f) *fortitudo,* inquit, *quæ vel in bello tuetur à barbaris patriam, vel domi defendit infirmos, vel à latronibus ſocios, plena eſt juſtitia.* Fundatur hujus belli juſtitia in imperio in perſonam, & caput civium, quo ſummus pollet imperans, quod poteſtate, vi & gladio coactivo armatum eſt. g)

c) *Deut.* 13. 12. *ſqq.*
d) *Iud.* 20.
e) *Iud.* 21. 8. *ſqq.*
f) 1. *de Offic. c.* 2.
g) *Rom.* 13. 4.

§. 11. Bellum à ſubditis ſuſceptum, & ſuperioribus illatum, ubi, quando, quamdiu quatenus, & quouſque ſubditi ſunt, illegitimum eſt. *Poteſtati enim qui reſiſtit, ordinationi divinæ reſiſtit.* a) Graviter, & pro dignitate Chriſtianæ diſciplinæ, *Chryſoſtomus* b) ad mentem Apoſtoli, *noli,* inquit, *talem ſubjectionem tibi turpem reputare. DEVS enim ita conſtituit, qui & vehemens iſta contemnentium ultor eſt. Neq; enim vulgares pœnas repoſcet, ſi non obedieris, ſed quam maximas. Neq; quicquam erit, quod contra dicentem eximat, quo minus & ab hominibus graviſſimum feras ſupplicium.*

a) *Rom.* 13. 2.
b) *Homil.* 23. *in Ep. ad Rom. h. l.*

Digitized by Google

cium. Et nemo ſiquidem tutabitur, & DEVM ipſum magis irritabis. Characterem autem ſubditi, cui obſequij & patientiæ gloria ita relicta eſt, qua is ſe habeat ratione, declarat formula conſtituti & delati imperij, & modus, quo imperans illud conſecutus eſt. Huc enim tandem redeunt illæ limitationes, & cautiones, quibus quæſtionem de bello inferiorum in ſuperiores circumſcripſit *Grotius*, c) eximie ob diſciplinam hanc à B. *Bœclero* d) laudatus. Recte hic etiam obſervat, quod jus *defenſionis, & reſiſtendæ injuriæ, nunquam naturale fuerit, niſi cum reſpectu ordinis, ſeu ſalvo ordine, quem natura ſocialis ſuo fini conſequendo, ſupremo loco deſtinavit:* ſerio inculcans, *in jure reſiſtendi naturaliter hanc dari exceptionem, niſi reſiſtendo violetur ordo ſocialis,* id quod fit, ſi ſubditi qua tales reſiſtunt. Tendunt etiam ad noſtram diſciplinam, quæ ex noſtratibus circa hanc quæſtionem monuit B. *Hülſemann*, e) Sanctiores ſunt Scholæ invariatæ A. Conf. addictæ quam ut vel *Iunij Bruti*, f) vel *Buchanani* g) Scoti, *Camdeno* h) notati, vel *Davidis Parei*, i) *Althuſij*, k) *Miltoni*, l) *Schelij* m) etiam ex recentioribus, & aliorum diſciplinam Monarchomachicam probemus; vel *Marianæ*, n) *Santarelli*, o) de quo *Gramondus*, p) & ſimilium à Sorbona etiam, & Parlamento Lutetiano improbatam doctrinam admittamus, quæ & ſubditorum conſcientiæ, ordinique vitæ ſocia-

c) *de I. B. P.* 1. 4.
d) *P. I. Com. l. I. p.* 263.
e) *Brev. c.* 20. §. 11.
f) *Vindic. contra Tyrann. q.* 3.
g) *de Iure regni apud Scotos.*
h) *Annal. f. m.* 362.
i) *Comm. in Rom.* 13. *dub.* 4.
k) *Polit.*
l) *Defenſ. popul. Anglic.*
m) *de jure Imperij.*
n) *de inſtit.*
o) *Tract. de hæreſ. Schiſm.* &c.
p) *Hiſt. Gall. l.* 1. *p. m.* 10. *l.* 15. *p. m.* 675. *ſqq.*

cialis imperantium, & parentium, divino Jure ſcripto, & naturali præcepto, directe repugnat.

§. 12. Etſi vero *vindicta privata* juſta non ſit, aliter tamen de *vindicta publica* inter pares ſolo DEO minores, & Gentes, ſtatuendum. Legatos gentium jure inviolabiles eſſe, & injuriam illis illatam in mittentis injuriam cedere, cum belli legitime geſti ſtatus Legatorum uſum per ſe non tollat, ex juris Gentium diſciplina conſtat. Cenſuit hinc David, atrociſſime in legatis læſus ab Hannone, Am̃onitarum Rege, a) licere ſibi armis vindicare illatam iſtam injuriam, quod etiam ſeveriſſime fecit. b) Vindicta legitima etiam fuit bellum, quod DEI juſſu Midianitis Moſes intulit, c) quod Ebræos ſeducendo maximæ calamitatis in gente hac cauſa fuiſſent; quod etiam tanquam ultionis publicæ legitimæ exemplum explicatur à B. *Brentio.* d) Gladius enim, quem ſum̃i gentium rectores, ceu divini in terris vicarij, publicæ tranquillitatis & honeſtatis conſervandæ cauſa, cujus ſunt cuſtodes, à DEO acceperunt, uti uſus ejus adverſus inferiores in *puniendo* conſiſtit, & hoc nomine iiſdem jus largitur in ſubditis *puniendi* ſcelera & delicta, adverſus civitatis leges commiſſa; ita adverſus pares, & ſolo DEO inferiores, qui neminem niſi DEUM & enſem ſupra ſe agnoſcunt, jus *vindicandi* illatas injurias concedit, uſu ejus exiſtente in

a) 2. *Sam.* 10. 4.

b) 2. *Sam.* 12. 27. *ſqq.*

c) *Num.* 31. 2.

d) *Com. h. l. f.* 994.

in *vindicando.* Lædens enim per injuriam reddit ſe obnoxium vindictæ ejus, quem læſit, niſi ſatisfacere voluit, ſic urgente indole juſtitiæ publicæ inter pares, & juris æquatorij inter mortales ſupremi, vigore legis naturalis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris:* à Chriſto ſic expreſſæ: e) πάντα ὅσα ἂν θέλητε ἵνα ποιῶσιν ὑμῖν οἱ ἄνθρωποι, ὅτω καὶ ὑμεῖς ποιεῖτε ἀυτοῖς, *omnia quacunque volueritis, ut faciant vobis homines, ſic & vos facite illis.* Eximie *Theophylactus,* f) *brevem,* inquit, *ad virtutem viam oſtendit* Chriſtus. *Ex nobis enim ſcimus, quod facto opus. Nam ſi vis beneficia accipere, benefac, ſi vis diligi ab inimicis, dilige etiam inimicos.* Ego ſi vis injurias in alterum à te comiſſas ab eo non vindicari, noli injurias iſti inferre. Juſtum eſt, *jubetq; ratio,* ait *Albericus Gentilis,* g) *diſcedentes ab humana ſocietate, & jura hominum non tuentes ulciſci, atq; in ea jura, legeſq; & mores cogere.*

e) *Matth. 7. 12.*

f) *Enarrat. in h. l.*

g) *de I. B. l. c. 8. p. m. 43.*

§. 13. *Ablatorum* injuſte legitima armis, & per multitudinem armatam, quod detur *recuperatio,* facile probatur. Unicuique enim uti ſuum tribuendum, ita unicuique ſuum defendere, & injuſte ablatum, ceu ſuum, quamdiu jus in id reſervatur, & reſervatum fuit, recuperare licet. Intereſt enim tranquillitatis humani generis, poſſeſſiones & dominia rerum non turbari. Hoc juris titulo uſus, male licet eundem allegando, Rex Ammonitarum, quod ſuam terram recuperatum

Digitized by Google

ratum iret, quam Iſrael ex Ægypto aſcendens ceperat, bellum Ebræis intulit, cauſam belli hanc per ſe juſtam eſſe non negante Jiphthacho; negante tantummodo, hanc belli illati culpam penes gentem ſuam eſſe, quod non Ammonitarum, ſed Emoræorum terram occupaſſet. a) Naturalis ſane, eaque perfecta obligatio eſt, ut, qui damnum dedit alteri, ſic ut minus habeat ſuo, id reſarciat: Ergo ſi id quod perfecte debet non vult reddere, uti, ſi judicis ſubeſt arbitrio, ad reſtituendum quod debet ejus ſententia tenetur, ita ſi ſolo DEO minor eſt, armis ut id præſtet cogi poteſt, licebitque vi injuſte ablata recuperare, quæ in pace alter reddere detrectavit. Unde Simon b) Antiocho, novorum motuum cauſas quærenti, & per Athenobium, amicorum quendam, arcem Hieroſolymorum, & alia oppida, quæ Judæi receperant, repetenti, renunciavit: *Neq; terram alienam ſumſimus, neq; alienam occupavimus, ſed hæreditatem Patrum noſtrorum; ab inimicis vero noſtris in aliquo tempore ſine judicio occupata fuit.* Recte hoc ſe habuit reſponſum. Αἰτιᾶταί τις, ἃ πράττων αὐτὸς ἀποδέχεται, εἰ παρ' ἑτέρου γινόμενα βλέποι; *an enim quiſpiam ſtomachari debet, ſi ſi qua ipſe à ſe facta approbat, ab aliis fieri videat?* bene quærit B. *Athanaſius.* c)

§. 14. Laudabilis hinc conſuetudo eſt, ſocialitate humani generis digna, jure naturæ probata, imo præcepta, ſcripturæ ſacræ exem-

a) *Iudic.* 11. 13 *ſqq.*

b) 1. *Maccab.* 15. 33.

c) *t. I. opp. Apol. ad Conſt. f. m.* 742.

exemplis paſſim, & gentium praxi, in quarum jus etiam ceſſit, confirmata, ut antequam arma inferantur, repetitio rerum injuſte ablatarum inſtituatur per *Clarigationem*, hoc eſt, explicante *Plinio*, a) *per rerum raptarum claram repetitionem.* Nimirum, ut cum *Cicerone* b) loquar, *cum duo ſint genera decertandi, unum per diſceptationem, alterum per vim; cumq; illud proprium ſit hominis, alterum belluarum: Confugiendum eſt ad poſterius, ſi uti non licet ſuperiore.* Gravius adhuc diſciplina Chriſtiana nobis concordiam præcipiens, amicam commendat tranſactionem, præ cruento armorum uſu, illis qui dicunt: *Pater noſter, non meus, qui es in cœlis*: De quo *Optatus Milevitanus* c) Magno ſtudio eandem præceperunt ex diſciplinæ noſtræ præceptis *Nazianzenus, Baſilius, Hieronymus, Auguſtinus*, alij.

a) *Hiſt. Nat.* 22. 2.
b) 1. *Offic.* 11.
c) 4. *contra Parmenid.* p. 117.

§. 15. Requirit vero jus belli non ſolum ut id geratur juſtis ex cauſis, ſed & ut limites juſti & recti, cum temperamento rigoris bellici convenienti, in modo gerendi belli obſerventur. Licet enim in N.T. Chriſtiani, & ex his illi, qui ſunt ejuſdem fidei conſanguinei, præ aliis ſeinvicem diligere debeant; a) erga reliquos tamen mortales, atque exteros, non in infinitum armis ſævire licet: Non ſolum quia non eſt utile, ſecundum illud Hannibalis apud *Livium*: b) *Vtrimq; ferrum, utrinque corpora*; ſed & quia non eſt juſtum. Charita-

a) *Galat.* 6.
b) *l.* 30.

ritati qua ratione nimius rigor adverſetur, ſupra c) explicatum eſt. Juſtitiæ verò commutativæ, ſecundum quam bella tam pœnalia, quam vindicativa geri debent, repugnat, vindictam & pœnam eſſe majorem delicto, & damnum datum exſuperari vel reſtitutione, vel ſatisfactione. Nam & in bello verum eſſe debet, ne quis plus, vel minus ſuo habeat: quicquid ſit de jure externo, de quo intelligenda vox militaris Marcelli, *Livio* d) notata: *Quicquid in hoſtibus feci, jus belli defendit*; quam jus belli divinum non probat. e) Unde B. *Auguſtinus*, f) *hoſtem*, inquit, *pugnantem neceſſitas perimat non voluntas, ſicut bellanti & reſiſtenti violentia redditur, ita victo & capto miſericordia jam debetur, maxime in quo pacis perturbatio non timetur.*

c) *pag.* 689. *ſeq.*

d) *l.* 21.

e) *Deut.* 20. 14. 19.

f) *ad Boniſ. Ep.* I.

§. 16. Sicut Evangelium non abolet Politiam, ita nil impedit, quo minus in cauſa belli juſta orthodoxus heterodoxo adverſus orthodoxum opem ferat. Quemadmodum enim omnes homines citra religionis intuitum, comuni juris naturalis vinculo, ſub divino copulantur imperio, ad univerſalem quandam ſocietatē & civitatem, cujus Rector DEUS ſit conſtituendam, ceu alibi docetur: ita religio per ſe non impedit, quo minus, uti alias homo ab homine auxilia humana petere poteſt, ad ſua aſſerenda jura contra vim injuſtam, ita & in bello idem liceat. Quo minus enim orthodoxi delicta ab hete-

Bbb rodo-

rodoxo, qui adverſus iſtum hoc nomine jus habet, vindicentur, orthodoxia non impedit, cum quo hoc nomine & orthodoxo, ſi res ad eundem etiam pertinet, ſe conjungere licet. Conſilij autem eſt hoc ita dirigere, ne in veræ religionis detrimentum, quod quantum fieri poteſt cavendum, cedat. Recte hinc obſervat B. *Hülſemannus*, a) *undecim tribus vindicaſſe ſtuprum violentum commiſſum in pellicem Levitæ heterodoxi, non ſine aliquo damno, orthodoxæ etiam religionis, Iud.* 21. Minus dubij habet, orthodoxos ſub ſignis heterodoxi militare contra heterodoxos, uti Chriſtianos olim conſtat ſub ſignis Gentilium Imperatorum ſtipendia feciſſe contra infideles, quorum *caſtra, tribus, decurias*, noſtri olim *impleverant.* b) *Cui bello*, inquit *Tertullianus*, c) *non idonei, non promti fuiſſemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur?*

a) *Brev. c.* 20. *§.* 19.

b) *Tertull. Apol. contr. Gentil. f. m.* 875.

c) *l. c.*

§. 17. Id non probandum, quod in obſidione Claudiopolitanæ urbis, in Tranſylvania, anno 1662. contigiſſe autor eſt *Betlenius.* a) *Kucſuck Membet enim Turcorum Purpuratus producto cum vexillo, quicunq; Chriſtianorum ſub auſpiciis ſuis potentiſſimo ſuo Imperatori militare voluerint, quinq; ſingulis menſibus, præter gratuitum commeatum, iis imperiales ſe perſoluturum promiſiſſet*, intra paucos dies confluxiſſe tot transfugas tradit, qui turmam aliquam conſtituerent. Perjuri enim non ſolum, & perfidi in Principem, cui militaverant, fue-

a) *Rerum Tranſylv. l.* 3. *ſ.* 18. *pag.* 323.

Digitized by Google

fuerunt : Sed & Turcarum arma directe in rei Chriſtianæ perniciem tendebant, cui ſuccurrere Chriſtianos decebat, ob commune periculum, quod à jurato Chriſtiani nominis hoſte, qui in Chriſtiani nominis opprobrium Chriſtianos conducebat, ChriſtianæReipubl. imminebat.

§. 18. Recte *Grotius*, a) *nullum vitæ genus*, inquit, *improbius, quam eorum, qui ſine cauſa reſpectu mercede conducti militant, & quibus ibi fas, ubi plurima merces.* Vitam enim ſuam, cujus nemo eſt dominus, nulli vendere licet. Et cum ad ejus cuſtodiam jure naturali, & divino præcepto *de non occidendo*, teneamur : Hoc ipſo etiam prohibetur, ne quis temere vitam ſuam, ob bonum longe minus, & ordinis inferioris profundat, neglectæ ejuſdem cuſtodiæ, debitæ DEO, & ab eo præceptæ, ſupremo vitæ noſtræ Domino rationem redditurus. Ne dicam, lædere tales accepta mercede inſontes, à quibus nil mali acceperunt, & fundere ſanguinem innoxium, in cauſa ad ſe minime pertinente. Non ſane qui ſui ſunt juris, illi ſub alieno imperio, ad miniſterium tam horrendum ſe conduci patientur, tantum abeſt, ut Chriſtiani id ſint facturi. Juſta etiam quod ſi cauſa eſt, etiam abſtinebunt iidem, niſi vel ſumma aliorum neceſſitas, comunis etiam cauſa, atque commune periculum, vel vera ſic urgeat charitas; caſu nimirum quo licet alteri eſſe auxilio.

a) *l. B. P. II, 25. 9.*

Unde nec DEO placuit, cum Amaziah, Judæ Rex, *ex Iſraele centum millia robore fortium virorum conduxiſſet*, quos DEO ſic volente, rurſus dimiſit. Suis viribus, non conductitio auxilio, eum uti DEUS voluerat. *Clemens Alexandrinus* b) ſane de milite mercenario non adeo magnifice ſentit: Μαχητικοὶ δὲ καὶ ἐθελονταὶ ἀποθνήσκειν ἐν πολέμῳ τῶν μισθοφόρων εἰσὶ πάμπολλοι· ὧν πλεῖστοι γίνονται θρασεῖς καὶ ἄδικοι, ὑβρισταί τε καὶ ἄφρονες, ἐκτὸς δὴ μάλα ὀλίγων, *pugnaces autem & in bello mori volunt permulti mercenarij, quorum pleriq; fere omnes ſunt audaces & injuſti, inſolentes, & prudentiæ expertes, paucis admodum exceptis.* Bene hinc aliorum populorum moribus & legibus invaluit, ut ſine conſenſu Principis non liceat civibus apud exteros militare.

b) 2. *Srom. f.* 369.

§. 19. Idem de *milite voluntario*, quem ſic vocant, cenſendum. Dicitur talis nobis is, qui ſponte militiam ſubit, nec mercede conductus, ſed ſuis ſumtibus militat, ita ut ſponte quoque ſua iſthoc vitæ genus, quando ita placuerit, rurſus relinquere poſſit. Animo pugnandi ergo cum in exercitu verſentur, quæritur, an tale genus militiæ ſit probandum? Et ſane niſi ipſam militiam mercenariam in ſe injuſtam dicere velimus, quod fieri debere modo negavimus, nō poterit, ceu injuſta in ſe, improbari militia voluntariorum. Si enim mercede accepta operam militarem conductori præſtare licet, cæteris ut dictum paribus, quid-

quidni & ſua ſponte, ſuiſque impenſis, eandem præſtare licebit ei civitati, quæ ejuſmodi alterius auxilio uti è re ſua eſſe putat. Siqne licet injuſte oppreſſo cum onere ejuſdem auxilio venire, qui non ad aſſerendam juſtitiam ejuſdem voluntaria militia, ſuiſque impenſis, auxilio ire amico permiſſum fuerit? Τί ἐστιν ἢ τοῦ ἀλέξασθαι δικαιότερον, ἢ τοῦ τοῖς φίλοις ἀρήγειν κάλλιον, *quid vel juſtius eſt, quam vim propulſare; vel honeſtius, quam ſubvenire amicis?* recte ait *Xenophon.* a) Quod itaque de mercenaria pronuntiavimus militia, idem de voluntaria pronuntiamus. Nimirum, quemadmodum non ex quavis, ſed ex juſta tantum cauſa, juſtique, non mercedis amore illam licet eligere, ita nec ex quavis, ſed ex juſta tantum cauſa militem agere licet voluntarium, juſti non prædæ amore. Recte *Victoria* b) *oportet*, inquit, *ad bellum juſtum magna diligentia examinare juſtitiam & cauſas belli, & audire etiam rationes adverſariorum, ſi velint ex æquo & bono diſceptare.* Idem incumbit militi mercenario, idem militi voluntario, ſi in eligenda militia mercenaria & voluntaria conſcientiæ, ne lædatur, velint ſatisfacere. Exemplum voluntarij militis David dedit, offerens ſe ad decertandum ſingulari certamine cum Goliatho. c)

a) *Inſt. Cyri f. m. 25.*

b) *Relect. 6. n. 21. p. m. 226.*

c) 1. *Sam.* 17. 16.

SECTIO V.

ARTICULUS I.

De

JURE PERFECTO ET IMPERFECTO, EIUSQVE PRINCIPIIS.

§. 1.

AD diſciplinam de jure, ut ſignificat qualitatem moralem perſonæ competentem, ad aliquid juſte habendum, vel agendum; etiam pertinet doctrina de *jure perfecto & imperfecto*, ejuſdemque Principiis & Originibus. Iſta quippe qualitas à *Grotio* a) dividitur in *perfectam*, quæ ei etiam *facultas* dicitur; & minus *perfectam*, quæ & *aptitudo* illi vocatur. Alibi, b) eodem ſenſu, diſtinguit inter *jus proprie aut ſtricte dictum*, *& quod jus minus proprie dicitur*. Reducturus etiam hanc diſciplinam ad Ariſtotelicam doctrinam, *facultatem*, inquit, c) *reſpicit juſtitia expletrix, quæ proprie aut ſtricte juſtitiæ nomen obtinet: Aptitudinem reſpicit attributrix, quæ Ariſtoteli* διανεμητικὴ, *comes earum virtutum, quæ aliis hominibus utilitatem adferunt, ut liberalitatis miſericordiæ, providentiæ rectricis*. Diſtinguens autem inter poteſtates & jura *Puſendorfius*, d) quæ

a) *l. B. P. l.* 1. 4. 11.
b) *l. B. P. II.* 17. 2. *ſq.*
c) *l. B. P. l.* 1. 8.
d) *l. N. G. I.* *l.* 20. & *Elem.* 1 *def.* 8. §. 1.

Digitized by Google

quæ tamen, ſi non ſemper, certe plerumque, rationis potius, quam rei eſſe videtur diſtinctio, *facultati* & *aptitudini* Grotianæ, tertiam addit e) juris ſpeciem, illam ſcil. *ſecundum quam recte aliquid admittimus, ſed ita tamen, ut nulla nobis ſit poteſtas idem exigendi, nec alteri obligatio idem tribuendi, qualis eſt habilitas accipiendi donum aliquod mere gratuitum.* Ejuſmodi vero qualitatem, ſeu jus, *non plane de nihilo fingi, vel inde licere intelligere* affirmat, *quod v. c. judici, ne à partibus quocunq; prætextu donum accipiat, interdici poßit.* Jus autem *perfectum* illud eſſe dicit, f) quod *ſi quis læſerit, injuriam* lædendo talem *facit, quæ læſo in foro humano actionem adverſus lædentem dat*: Cum vigore juris *imperfecti* ab invito extorqueri per vim non poſſit id, quod ab eo alteri debetur, quod negando inique quidem faciat, non tamen læſo injuriam inferat.

e) *I. N. G. l. c.*

f) *Elem. l. c. §. 2. I. N. G. 1. 7. 7.*

§. 2. Cæterum hæc non omnibus placent. *Feldenus* a) hoc in *Grotio* primo reprehendendum cenſet, quod de jure nimis late loquatur; & mavult *jus* definire potius per *facultatē aliquid agendi circa alterum, quo juſtum obtineatur*, quam per *qualitatem moralem*, uti modo cum *Grotio* fecimus. Verum cum non minus recte aliquid ab altero accipere, quā ab eodem poſtulare, & exigere poſſimus; illud autem *qualitatem* quandam *moralem paßivam* in nobis dicat, cum hoc *qualitatem* quandam *moralem activam* inferat; nil obſtat, quo minus

a) *Not. in Grot. l. 1. 4. p. 13.*

 ejuſ-

Digitized by Google

ejuſmodi genere latiſſimo in juris hujus deſcriptione *Grotius* uſus fuerit. Deinde dubitat, an jus hac acceptione in perfectum & imperfectum, & *qualitas* hæc in *facultatem* & *aptitudinem*, ſeu *perfectam & imperfectam* diſtingui poſſit; & de ea parum magnifice, ceu *obſcura, & de cujus ſenſu non ſatis conſtet*, ſentit. Verum cum vir cætera doctiſſimus, ſatis eam non intellexerit, quod tamen vix aſſeruerim, certe præ ſe ita tulerit, ceu allatæ ab eo explicationes inconvenientes docent, non mirum eſt, quod eandem etiã non probaverit. Deſiderio ejus ſequentia forte ſatisfacient.

§. 3. Dari itaque jus *perfectum*, cujus virtute alterum vel invitum, etiam, ſi opus, vi adigere liceat ad præſtandum, plene iſto ad id faciendum obligato, quod citra injuriam non denegaverit; & *imperfectum*, quo aliquid ab altero quidem petere, & poſtulare, non autem vi ab invito extorquere licet, etſi is ex virtute aliqua morali, humanitate v. c. id præſtare debeat; cum ex rerum, in quas jus nobis eſſe dicimus, diverſitate patet, tum ex debendi modo, atque origine. Res enim quod attinet, aliæ jam meæ ſunt, &, quanquam abſunt, & penes alterum exiſtunt, meæ eſſe exiſtimantur, ita ut quamdiu non à me accipiantur, & ab altero exhibeantur, vel reddantur, aliquid mei abeſſe judicetur. Ita quæ furto mihi ſunt erepta, licet apud poſſeſſorem malæ fidei exiſtant, mea tamen adhuc ſunt,

mi-

mihique ex perfecto jure debentur. Aliæ autem ita meæ res nondum ſunt, expectantur tamen à me, ceu ex ratione aliqua juris univerſalis, & vinculi ſocialis, quod mortales continet, intuitu, mihi debitæ. Unde etiam jus illas poſtulandi mihi naſcitur, idque non ex juſtitia particulari, ſed univerſali. Ita mendicus ſtipem, ceu beneficentiæ & humanitatis debitum expectat à proximo, quam ab eodem etiam ex jure, quo homo homini auxilio eſſe debet, petit, quique eodem jure eandem indigenti, ſi poteſt, exhibere tenetur. Ita *Cicero* a) diſputat; *Optime ſocietas hominum, conjunctioq; ſervabitur, ſi ut quiſque erit conjunctiſſimus, ita in eum benignitatis plurimum conferetur.* Item: *Omnium rerum, quas ad communem uſum hominum natura genuit, eſt ſervanda communitas.* Rurſus: *Vna ex re ſatis præcipitur, ut quicquid ſine detrimento poſſit commodari, id tribuatur vel ignoto.* Quæ paſſim ſæpius repetit. Et ſane naturale hoc eſt præceptum; In omnibus quæ abſque detrimento poſſunt communicari, ſervandam eſſe communionem, cum non ſui tantum, ſed & ſocij, proximi, vitæ ſocialis obligatio, à DEO ſupremo ejus Rectore impoſita, rationem habere præcipiat. Elegantiſſima hæc fuit *Platonis* & Stoicorum diſciplina, *Ciceroni* b) laudata. *Platonis, quod non nobis ſolum nati ſimus, ortuſq; noſtri partem patria vindicet, partem parentes, partem amici.* *Stoicis* autem

a) 1. *Offic.* 16.

b) 1. *Offic.* 8.

placuit, *quæ in terris gignuntur, ad uſum hominum omnia creari, homines autem hominum cauſa eſſe genitos, ut ipſi inter ſe, alius aliis prodeſſe poſſent.* Ergo *in hoc naturam debemus* Ducem *ſequi, & communes utilitates in medium afferre* (origines hæ ſunt juris imperfecti) *mutatione officiorum, dando, accipiendo.* Quanquam vero intuitu vitæ ſocialis hæc debeantur, attamen cum is qui illa expectat, nondum ea pro ſuis habere poſſit, obſtante alterius jure potiori, dominio ſcil. & proprietate, jure tantum imperfecto illa poſtulabit, cujus effectus ultra poſtulationem exhibitionis ſe non extendit, cum hæc tantum, uti in ſequentibus dicetur, juri imperfecto reſpondeat.

§. 4. Variat præterea etiam res *debendi modus.* Nam, ut alios debendi modos mittamus, contingit, ut res potius noſtra ſit, quam alterius, qui pari dominio & proprietate earum nobiſcum non gaudet. Et quanquam ab earundem communione non poſſit excludi, ceu debitarum, intuitu obligationis, qua homo homini prodeſſe debet; attamen uti non debentur ex poſtulantis jure pleno proprietatis, quod eſt penes poſſidentem, ſed ex jure indigentiæ, quæ & ipſa ſuos gradus habet, quia ſocialitas humani generis largitur cujuſvis implorare auxilium, ita nec tam perfecte, ſed imperfecte, ob imperfectam ſc. poſſidentis obligationem, debentur. Perfecte autem debentur, quæ debita ſunt ex juſti-

ſtitia comnutativa, & quæ in alterum ita ſunt pleno, & perfecto jure translata, ut inter ſua ea numerare poſſit, notante *Pufendorfio.* a) Stat axioma: Quæ ab aliquo non pari modo alteri debentur, ab eodem non pari jure poſtulantur: & contra. Quando vero alter aliquid poſtulat, quod ſuum ſit, alter vero quod ſibi debeatur ex obligatione ſocialitatis humani generis, eo quod ipſo indigeat, manifeſtum eſt, quod hoc caſu pari modo non debentur, quæ petuntur. Major enim & perfectior eſt obligatio ad dandum alteri ſuum, quod non ex jure tantum univerſali, ſed & particulari ſimul jam tale eſt; quam ad faciendum demum aliquid alteri ſuum ex obligatione juris tantum univerſalis, & liberalitatis, ſeu beneficentiæ. Debeatur enim & hoc ex lege naturali; attamen quæ priori modo debentur denegata, efficacius ceu perfecte debita vindicantur, quam quæ poſteriori modo ſunt debita. Cogere aliquem ut liberalis & beneficus ſit, indoli harum, & aliarum etiam virtutum, repugnat. Bene *Salluſtius,* b) *munificus nemo putatur, niſi volens: dona omnia in benignitate habentur.*

a) *I. N. G. l. 7. 8.*

b) *Iug.*

§. 5. Docent idem *origenes debendi,* quæ & juris perfecti & imperfecti origines ſunt, cum illud perfecte, hoc imperfecte debitum reſpiciat. Ut vero aliquid perfecte & imperfecte debeatur, ad quod alteri, cui id debetur, jus ſit perfectum, vel imperfectum

tan-

Digitized by Google

a) *de I. N. G. l. 7. 7.* tantum, cauſa eſt ſecundum *Puſendorſium*, a) *inter eos quidem, qui in naturali libertate invicem vivunt, diverſitas præceptorum juris naturalis, quorum alia ad eſſe, alia duntaxat ad bene eſſe ſocietatis faciunt. Vnde cum minus neceſſarium ſit, hæc quam illa alteri exhiberi; rationis quoq; eſſe,* infert, *illa, quam hæc, rigidiori poſſe modo exigi. In civitatibus autem diſcrimen illud oritur ex legibus civilibus actionem dantibus, aut negantibus.* Neceſſitatis vero hujus diverſitatē, quæ etiam parit hanc debendi, & juris debitum ſolvendi diverſitatem, ut hunc effectum producat, ut aliud ceu perfecte, aliud ceu imperfecte debitum poſtulare liceat in ſtatu naturali, & apud illos, qui in naturali libertate vivunt, & quidem nonnunquam tam rigide, ut ad ea quæ debent præſtanda, vi alterum adigere fas & conceſſum ſit, cum ab imperata in legibus naturalibus incolumitatis cuſtodia, tum à conceſſo commoditatis ſtudio, provenire exiſtimamus. Ita nimirum ordo in ſocietate ratione utentium, finis etiam hujus conſociationis fieri jubet, ut quis alterum extremam in qua verſatur perniciem, & graviſſimum periculum, avertere ſinat, nec eum impediat, etſi cum aliquo ſuo incommodo id fiat. Hunc enim ordinem natura ſocialis, omnium hominum æqualem habens rationem, ad finem ſocialis vitæ conſequendum inſtituit; & ad hunc ſervandum omnes etiam æqualiter, cæteris paribus,

Digitized by Google

tibus, obligantur. Tunc enim, uti contra *Hobbianum* jus ad omnia eximie diſputat *Pufendorſius,* b) facultas naturalis aliquid agendi, *injuriæ proprie dicti naturam evaleſcit, quando in cæteris hominibus hic effectus moralis producitur, ne alii eum impedire debeant, aut ipſo invito ad eaſdem res uſurpandas concurrere.* Sin plures ad eandem rem jure, ſed non neceſſitate pares, quæ alterum extreme urgeat ad illam rem in uſum ſuum adhibendam; ordo ſane, & finis ſocietatis ratione utentium, quo omnes obligamur, iſtum cum extrema neceſſitate conflictantem cæteris, quorum melior eſt conditio, præfert cum jure, iſtos, ni ſponte quieſcere malint, vi adigendi, ne ſe turbato hoc ordine naturali in rei ſibi tam neceſſariæ uſu impediant. Unde *jure hoc evenire* dicitur, c) *ut quod quiſq; ob tutelam ſui corporis fecerit, jure feciſſe exiſtimetur;* perfecto ſane, non imperfecto. Annuit *Albericus Gentilis,* d) etiam juſto, ut paulo poſt dicetur, liberalior. Ita quanquam pacato, bello inter duos populos flagrante, alteri belligerantium omnis generis merces ſubvehere licet, antequam ſcil. pacto ratio commerciorum aliter ordinetur, & in ſtatu naturali; quatenus tamen ejuſmodi commercium, & mercium tranſvectio irreparabile damnum eſt illatura, & certa ſpe victoriæ privatura alterum belligerantem, uti hic belli ſtatus in pacato hunc effectum producit, ne alteri belligerantem

b) *l. G. N. III. 5. 3.*

c) *l. 3. dig. de Iuſt. & jure.*

d) *l. B. l. 19.*

lige-

ligeranti neceſſaria ſubvehendo, hunc in juris ſui executione impediat, ita jus huic perfectum inde naſcitur ad avertendam & impediendam, etiam vi armata, iſtam rebus ſuis tam noxiam in hoſtium gratiam inſtitutam ſubvectionem, ubi iſto invito ea fuerit peragenda, militante pro belligerante iſto rerum ſtatu neceſſitate incolumitatis, cum pro pacato militet potius neceſſitas commoditatis. Ordinem ex neceſſitatis diverſitate natum, cum turbari prohibet J. N. invito eo, qui ejus jure & beneficio gaudet, ceu neceſſarium ob finem conſociationis humanæ, & vitæ ſocialis rationem; ita qui ſalutis ſuæ cauſæ aliquid facere cogitur, facit id jure perfecto adverſus eum, qui injuſte, & contra finem ſocietatis humanæ, ipſius periclitari facit ſalutem. Aliter cenſendum, quando plures ad eandem rem ſunt jure impares. Tunc enim qui propter jus alterius potius atque prius, dominij v. c. jure tantum gaudet imperfecto, propter neceſſitatem non conſequitur adverſus iſtum alterum jus perfectum; cum circumſtantia hæc tantum agentem ex neceſſitate concernat, à qua alterius jura non dependent. Quæ vero ſunt neceſſaria ob commoditatem ab altero vel præſtandam, vel promovendam, uti talium præſtatio non tanquam ſimpliciter neceſſaria imperatur à fine ſocietatis humanæ, nec inter prima & immediata ſocialitatis officia referri poteſt, unde ipſum

Digitized by Google

ipſum eſſe ſocietatis humanæ ſimpliciter dependet, ſed ad bene eſſe tantum ejuſdem facit, & proin officium eſt membri hujus conſociationis bene tantum quod decet facientis; ita cum expectatur ab ejuſdem virtutibus potius, quæ ad membri ſocialis bene eſſe tantum pertinent, ſic non niſi jure imperfecto poſtulantur. Sicut enim alterum cogere non poſſum, ut ſit virtutibus inſtructus, ita ad officia illarum præſtanda, quæ ad vitæ ſocialis bene eſſe tantum faciunt, non licet eundem vi adigere, & rigide ab illo extorquere. *Virum quippe bonum per vim non queas efficere*, ait *Themiſtius*. c)

c) *Orat. ad Valentin. Imp. init.*

§. 6. Præterea cum debiti tam poſtulandi, quam ſolvendi, origo & cauſa vel pactum ſit reciprocum, cum obligatione perfecte mutua initum; vel promiſſum perfectum, *ſimilem*, *Grotio* a) explicante, *habens effectum, qualem alienatio dominij*; vel contractus, aliusve modus, quo res in alium ita translatæ ſunt, ut ejus factæ ſint propriæ, quique jure poſtulandi gaudet, dicere poſſit: Hoc meum eſt, mihique debetur; vel ideo ceu debitum expectetur, atque poſtulari poſſe credatur, quod virtus ita alteri præcipere videatur, ut is ex ultroneo ejuſdem impulſu, atque ex pudoris cujuſdam, conſcientiæ etiam urgentis ſenſu, id quod ex virtutis, & ſic etiam juris naturalis præcepto debet, præſtare velit. Nimirum, quod eleganter *Seneca* b) pronuntiat,

a) *I. B. P. II. 11. 4.*

b) *2. de ira c. 27.*

tiat, *profiteatur ſe quis omnibus legibus innocentem; ut hoc ita ſit, quam anguſta eſt innocentia, ad legem bonum eſſe? Quanto latius officiorum patet, quam juris regula? Quam multa pietas, humanitas, liberalitas, juſtitia, fides exigunt: Quæ omnia extra publicas tabulas ſunt.*

c) *l. B. P. III.* 10. 1. Alia hinc *Grotius* c) ait, *in jure ſtricte dicto*, alia *in aliarum virtutum præcepto poſita*. Poſtulans etiam jure ejuſmodi imperfecto ſibi debita, alterum virtutum admonet, ut quæ ex illarum præcepto atque obligatione debet, præſtare velit. Socialis quippe vitæ virtutes in officia, ex jure naturali alteri debita, exeunt.

§. 7. Patet hinc, res quæ jure perfecto debentur atque poſtulantur, & à nobis poſtulari poſſunt, eſſe res ex ratione juſtitiæ

a) *l. B. P. I.* 1. 8. commutativæ, ſeu, ut *Grotius* a) loquitur, *expletricis*, nobis debitas, h. e. res pacto, promiſſo, aſſignatione, emtione, vel alio modo, quo res perfecte acquiri poſſunt, noſtras, à nobis licet nondum poſſeſſas; res item ex mera natura, vel etiam ex lege nobis competentes: Uti natura homini *ſuum eſt* vita, non quidem ad perdendum; perfectum enim tantum, non item illimitatum hoc jus eſt; ſed ad cuſtodiendum, corpus item, membra,

b) *Moral. qq. tom.* 2. *tr.* 31. *c.* 2. *n.* 29. fama, honor. *Filiucius* b) per *ſuum*, quo ſignificatur id quod jure perfecto debetur, intelligi vult illud, *quod cuiq; ſecundum juſtitiæ leges eſt debitum, ſive ſit dominium rei, ſive uſus*

uſus & uſusfructus, ſive poſſeſſio, ſive quod alteri debetur ex contractu, vel quaſi contractu, ex delicto vel quaſi delicto, quo quis alteri intulerit injuriam, vel damnum.

§. 8. An vero & in *juſtitia diſtributiva* jus perfectum locum habeat, diſquiritur. Negat *Grotius*, a) cui differentia illorum quæ perfecte & imperfecte debentur, ratio fuit diſtinguendi inter juſtitiam *Expletricem* & *Attributricem*: facultatem, ſeu ea quæ ſunt juris perfecti, reſpiciente Expletrice, *quam proprie aut ſtricte juſtitiæ nomen obtinere* affirmat; circa *aptitudinem* autem, h. e. ea, ad quæ jus imperfectum habemus, occupata juſtitia Attributrice: Negando *per ſe juſtitiam Expletricem ab Attributrice differre tali proportionum*, arithmeticæ & geometricæ, *uſu*, quali *Ariſtotelis* b) differentiam utriuſque declarare placuit. *Pufendorfius* c) autem perfectum jus ad juſtitiam diſtributivam etiam relaturus, *jus*, inquit, *iſthoc oritur vel ſingulis ex pacto (tacito, aut expreſſo) cum ſocietate aliqua inito hoc fine, ut ipſius membra fiant; vel ſocietati ex pacto eodem cum ſingulis, ut eos ſibi membra adjungat: Vel oritur deniq; ex pactis quorumlibet cum quibuslibet, circa res & actiones in commercium venientes.* Addens, *ubi exercentur ea, quæ ex pacto ſocietatis cum membro, aut membri cum ſocietate ob finem jam dictum inito debentur, vocari juſtitiam diſtributivam: Aſt ſi alicui exhibeantur, quæ debentur*

a) *I. B. P. 1 l. 8.*

b) *5. Ethic. 3. & 4.*

c) *de I. N. & G. l. 7. 9. ſq.*

ex pacto reciproco, circa res & actiones in commercium venientes, vocari juſtitiam commutativam. Cæterum, quicquid ſit de ſpeciebus juſtitiæ, de quibus alio loco, omnino cum *Puſendorſio* ſtatuendum cenſemus, dari & jus perfectum in illis, circa quæ diſtributiva verſatur juſtitia, ſi non quoad ea, quæ ſinguli à ſocietate expectant, certe quoad ea quæ ſocietas à ſingulis, vi pacti poſtulare poteſt, quando promiſerunt, quod pro rata parte velint ferre onera, quæ ad ſocietatem, qua talem ſervandam faciunt. Obligatio enim quæ inter ſingulos & civitatem, & proin imperantes etiam contrahitur, uti non eſt perfecte mutua, ita civitati quidem atque imperantibus jus cogendi cives largitur, in his vero non æque efficax eſt, nec tale jus producit, ex quo per ſe naſcatur actio adverſus imperantes, in foro humano bello perſequenda, eoſque cogendi facultas. Nec licet excipere, iſtam imperfectionem eſſe in ratione *mutui*, non in vi & efficacia obligationis. Iſta enim inæqualitas, quam imperium & obſequij gloria inter imperantes & ſubditos producit, etſi in foro divino hos illis jure inæquales non reddit, alia tamen ratio eſt in foro humano, ob indolem *imperij*, quod inter mortales obtinet: *Niſi in delatione imperij dictum ſit, ut certo eventu reſiſti regi poſſit*, de quo *Grotius*. d)

d) *l. B. P. l.* 4. 14.

§. 9. Ad jura perfecta referuntur *Prætenſiones* juſtæ, & legitimæ. Valorem hæ quip-

quippe inde ſuum habent, unde & jura, ut ſint perfecta & valida. Dicuntur etiam *jura prætenſa*. Et *jurium* quidem nomine gaudent, quod illarum vigore, vel perſonis recte aliquid imperare, vel aliquid, ceu nobis debitum, & ad nos pertinens, poſtulare licet. *Prætenſa* autem vocantur, prætendique dicuntur, partim quia ab illo cujus ſunt, ita ceu jura allegantur, & objiciuntur, antequam ſatis clare ſint probata, & deducta; partim quia ab illo, quem petunt atque concernunt, in dubium vocantur, qui contraria haud raro jura prætendit. Exhibent ejuſmodi prætenſiones *Sprengerus*, a) & *Strauchius*. b) Infirmo jure uti nitebatur Ammonitarum Rex, Ebræis bellum illaturus, cauſatus, *quod cepiſſet Iſrael, ex Ægypto aſcendens, terram ſuam ab Arnon uſq; ad Iabok, & uſq; ad Iordanem, terras has ſibi reſtitui* poſtulans; ita ſolide injuſtam hanc retudit prætenſionem Jiphtha, c) allegata, belli & gentium jure firmata, nemine contradicente, trecentorum annorum poſſeſſione. Prætenſionem, vanam licet, Solymanni Turci in Romanum Imperium *Iovius* d) explicat: *Se unum eſſe*, jactabat, *ad quem Romanorum imperium legitimo jure pertineret: Quoniam magni Conſtantini, qui univerſi orbis Auguſtus Imperator extitit, ſedem & ſceptrum, atq; urbes ejus imperij teneret, uti proavus Mahometes expugnata Conſtantinopoli, & Conſtantino ſupremo Græcorum Imperatore ſuperato occiſo-*

a) *de Prætenſ. illuſtr.*
b) *Differt. Exoteric. l. de illuſtr. famil. cauſar. controverſ. §. 8. ſqq.*
c) *Iudic.* 10. 13. *ſqq.*
d) *Hiſt. l.* 30. *p. m.* 411.

ciſoque, hæc omnia jure belli capta Ottomannicis regnis adjeciſſet. Elidebat vero eandem tranſactio Caroli M. cum Nicephoro Græco dudum inita, qua Conſtantinopolitanus Princeps omni jure in Imperium Occidentale exciderat.

§. 10. Juris hujus tuendi atque conſervandi, prætenſioniſque innuendæ cauſa, titulorum uſus invaluit, ſi debita vel injuſte denegentur, vel alio interveniente impedimento obtineri non poſſint. Docet id *Feltmannus,* a) *primum effectum,* cur titulis ſine re utantur, *eſſe* affirmans, *ut præſcriptio aliorum impediatur.* Ita Rex Chriſtianiſſimus pergit ſe dicere Navarræ Regem, cujus potiorem partem Hiſpanus tenet, ad juſtam prætenſionem continuandam. *Per id enim,* uti loquitur *Feltmannus,* b) *quod alter provinciæ, quam tu detines, titulum palam uſurpat, non poteſt non videri tibi denuntiaſſe. Aſt denuntiatio* (juſta ſc.) *te ponit in mala fide. Sequitur ergo, interrumpi civiliter præſcriptionem territorij, quod bona fide quoque poſſidere cœpiſti, ſi alius poſtea ejus titulum publice ſibi inſcribat. Palam ſe hic prodit civilis interruptio, ut palpari queat.* Conſtat ſane, inter cauſas illati à Carolo Guſtavo, Suecorum Rege, Polonis belli, allegari *uſurpatum* à Polono rege *regis Sueciæ titulum, & quod ſub ſpecie abſtinendi titulo regis, Gallico interea ſermone & more, quo ſolennia titulorum non ſemper obſervantur, ad Reginam Sueciæ Chriſtinam literas compoſuerit,* memorante *Loccenio,* c)

a) *de tit. honor. c. 21. §. 1. ſqq. p. 95. ſq.*

b) *l. c. §. 3. ſqq.*

nio, c) & explicante *Manifeſto Suecico*: d) Objiciente Suecis *Nicephoro Nicoymio*, e) cur talia ad animum revocantes, iſtas literas receperint? *ſufficere*, monendo, *in tali caſu literas non recepiſſe*. Italiæ etiam Principes, Duces ſcil. *Sereniſſimi titulo decorandos* cenſet *Ludovicus Rodolſinus de Sabloneta*, f) ad ſignificandum, quod *ex privilegio habeant jura Imperialia, & in ſuis territoriis æquiparentur Imperatori*. De abrogandis prætenſionibus egit B. *Kulpiſius*. g) Pertinet etiam huc *alienorum inſignium armorum uſurpatio*.

§. 11. Solent etiam ad jura ſua illæſa conſervanda, ſi debita non præſtentur, vel intercipiantur, vel alio modo lædantur, uti *Proteſtatione*. Declaratio hæc quippe mentis eſt, juris vel acquirendi, vel conſervandi, vel damni depellendi gratia facta. *Sylveſter Prieras* a) de Proteſtatione ſub *Recuſatione* egit. Proteſtando nimirum recuſamus ea admittere, quæ ab aliis injuſte adverſus nos, & jura noſtra, dicta & facta ſunt, reclamantes & contradicentes, ne præjudicium inde aliquod creetur, vel de jure competente quicquam remittere videamur, quod ullo tempore contra nos allegari poſſit. Ita memorabilis fuit illa *Proteſtatio*, unde *Proteſtantium* nomen apud *Sleidanum*, b) qua interpoſita, nonnulli Principes Imperij *oppoſuerunt ſe decreto* Conventus Spirenſis, quo imperabatur, *ne* in rebus ad religionem pertinentibus *quid innovaretur, ad*

c) *Hiſtor. Suec. l. 9. p. m. 761.*
d) *Cauſ. ob quas Carol. Guſt. R. S. Regem Pol. bel. ador. eſt, §. initia.*
e) *Reſponſ. ad prælim. enum. cauſar. ob quas Suec. rex Polon. &c.*
f) *de Orig. dignit. & poteſt. Duc. Ital. n. 326. p. 84.*
g) *Comm. in MonZamb. P. II. c. 8. §. 4. p. 272.*
a) *Sum. V. Proteſtat.*
b) *l. 6. comment.*

uſq; Concilij *tempus*; quod *ſuperioris conventus decreto*, & ſic juri quæſito, contrariari contenderant. Noſtro etiam ſeculo Innocent. X. Pontif. c) promulgata Romæ bulla, proteſtando; quo jure, alij jam inquiſiverunt; *utriuſq; pacis*, Oſnabrugenſis & Monaſterienſis, *articulos, cæteraq; in dictis inſtrumentis* utriuſque pacis *contenta, quæ* Catholicæ *religioni, divino cultui, animarum ſaluti, ſediq;* Apoſtolica, Romana, *& inferioribus* Eccleſiis, *ac ordini & ſtatui, illorumq; perſonis, membris, rebus, bonis, juriſdictionibus, authoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, prærogativis, & juribus quibuſcunque, quomodolibet officiunt, ſeu præjudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, ſeu intuliſſe, & alias nocere, ſeu nocuiſſe quoquomodo dici, intelligi, prætendi, vel cenſeri poſſunt, cum omnibus inde ſecutis, & quandocunque ſecuturis, ipſo jure nulla, irrita, invalida, iniqua, injuſta, damnata, reprobata, inania* declaravit. Addimus formulam Proteſtationis Burgundicæ *Petri à Weyms*, adverſus eandem pacem Weſtphalicam. *Scripto*, inquit, *ſe publicam interponere* Proteſtationem, *& repetitis iis, quæ perſæpe in publico à ſe dicta, contradicta & reclamata ſunt, de nullitate, deq; injuſtitia omnium eorum, quæ ratione conditionum pacis in* Catholici Regis *præjudicium aut damnum, acta, decreta, vel conventa ſunt, quæque adhuc agi, decerni vel conveniri poterunt, cum rebus omnibus exinde emergentibus ac dependentibus,*

c) *Declarat. nullitat. artic. pac. German. relig. Cathol. &c.*

tibus, ad jus & juſtitiam provocando, de novo conteſtari: contendendo, quod jura omnia, ſacræ ejus majeſtati, quocunq; modo, vel quavis de cauſa competentia, illi ejuſq; hæredibus & ſucceſſoribus, ſine diminutione, damno, vel detrimento, ſarta, tecta, conſervata ſunt, erunt & permanebunt. Omnibus & ſingulis, tam juris, quam facti, mediis & remediis, omni meliori modo ſalvis & reſervatis. Contingit equidem haud raro, ut ejuſmodi Proteſtatio non ſolum non acceptetur, ſed etiam audiri, admitti, & allegari, decreto interdicatur: Verum etſi, quando illa acceptata, & ad acta relata eſt, acceptantem eandem & Proteſtantis jura non improbaſſe, id ſit indicio; attamen ad Proteſtationis validitatem acceptatio per ſe non requiritur, cum per vim injuſtam nemini invito ſua jura, ceu res incorporalis, eripi poſſint, quamdiu illa retinere, ſibique aſſerere, de quo teſtatur Proteſtatio, intendit. Sufficit contra vim injuſtam juſte contradixiſſe.

§. 12. Solet vulgo dici, illum qui bello res capit, fieri rerum captarum Gentium jure Dominum, ſi in bello ſoleñi illas hoſti eripit: Et verum id eſt, præprimis ſi ex cauſa juſta capiens bellum gerit. Sic enim Jacobus Joſepho filio, præ fratribus cæteris, præcipuum deſignans legatum: *Ego dedi tibi*, inquit, *partem unam ſupra fratres tuos, quam accepi è manu Emorai, gladio meo, & arcu meo.* a) Sic enim ſimpliciter verba hæc cum D. *Calovio* b)

a) *Gen.* 48. 22.
b) *Com. h. l.*

 ac-

accipimus. Quod ſi vero bellum eſt injuſtum, & vis quæ conſenſum in ſubjectionem extorquet injuſta, hoc quod ſic gentium jure tantum juſtum eſt, externa juſtitia, *neq; ipſum capientem, neq; alios cauſam ab eo habentes, apud DEUM abſolvere*, recte judicavit *Grotius*. c) Id quod recte ex verbis DEI, d) Ammonitarum injuſtitiam, adverſus Iſraelitas tali modo commiſſam, reprehendentis, probat.

c) *Not. in Jer.* 49. v. 1. & *l. B. P. III.* 10. 3.

d) *Jer.* 49. 1.

§. 13. Jus perfectum qui lædit, *injuriam* facit, quam in ſtatu naturali vindicare liceat, & quia id damni quoq; rationem habet, poſtulare, ut quod quis minus ſuo habet, reſtituatur ab eo, qui damnum intulit. Ex tali culpa, inquit *Grotius*, a) *naturaliter oritur obligatio, ſi damnum datum eſt, nempe ut id reſarciatur.* Recte *Cicero*: b) *Detrahere aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, magis eſt contra naturam, quam mors, quam paupertas, quam dolor.* Damnum ergo malefice datum reſarciendum, & ejus quod deeſt, cum quis minus ſuo habet, *reſtitutio* facienda, vel in ſe, vel in æquivalenti, quo ſocietas generis humani non lædatur, eximie rurſus *Ciceroni* c) explicatum: Quæ eſt obligatio ex re. Cum vero etiam detur obligatio ex delicto, d) vel præſtanda lædenti *ſatisfactio*, vel expectanda à læſo vindicta, pœna, vel alia ad eandem læſo perſolvendam coactio.

a) *I. B. P. II.* 17. 11.

b) 3. *Offic.* 5.

c) *l. c.*

d) *Thom.* 2. 2. *q.* 62. *a.* 6. *Reſp.*

§. 14.

§. 14. Etſi vero *ſatisfactionem* hanc, quam læſus à lædente omni jure poſtulare poteſt, ne minus ſuo habeat, illi ſibi invicem remittere poſſunt, inter quos *jus æquatorium* intercidit. Hoc caſu enim unicuique licet de jure ſuo, quantum vult remittere, ſi nec publica lex, nec tertius aliquis, vel ejus jus, hoc facto læditur. Aſt inter quos *jus rectorium* intercedit, inter illos ejuſmodi remiſſio debitæ ſatisfactionis locum non habet. Tenetur Magiſtratus punire fures, licet à privatis, quorum res furto contrectaverant, illis delictum comiſſum fuerit penitus remiſſum. De eſſentia juſtitiæ rectoriæ eſt, unicuique & juſto & injuſto, & ſic etiam delinquenti, ſuum tribuere. Illi præmiis, huic pœnis. Quod nec de juſto. DEI Rectorio negari debet, cui ſua juſtitia eſſentialis eſt. Inepte proin *Socinus* a) infert: *Si quilibet homo jure poteſt injurias ſibi illatas libere condonare, & ob eam cauſam laudibus ad cœlum tollitur.* An eo jure & *poteſtate DEUM privare audebimus, noſq; infandi ſacrilegij reos conſtituere non exhorreſcimus?* Nam quod attinet *jus* inter mortales *rectorium*, falſum eſt quod contendit *Socinus*. Si de *æquatorio* loquitur, male ab hoc concludit ad *Rectorium*.

a) *de Serv. Chriſt. P. III. c. 1.*

§. 15. Jus imperfectum *aptitudinem*, *ἀξίαν*, id eſt *dignitatem*, *Ariſtotelem vocare* affirmat *Grotius*, a) notatus hoc nomine à celeberr. Dn. D. *Schiltero*, b) & aliis; referatque

a) *l. B. P. l. 1. 7.*

b) *Philoſ. Jur. c. 8. §. 36. p. 325.*

que id ad juſtitiam *Attributricem*, quæ *Ariſtoteli* διανεμητικὴ, *comes*, ut loquitur, *earum virtutum, quæ aliis hominibus utilitatem adferunt, ut liberalitatis, miſericordiæ, providentiæ rectricis.* Verum non apparet, qui, quæ ex liberalitate, & commiſerationis affectu, vel uni dantur, vel inter plures etiam diſtribuuntur, ob hujus vocabuli rationem, ſecundum rationem juſtitiæ particularis, & quidem διανεμητικῆς, dividi, & unicuique tribui debeant: Niſi juſtitiam univerſalem, ad quam liberalitas & miſericordia pertinent, cum particulari diſtributiva coincidere dicere velimus, cum & in illis, in quibus juſtitia univerſalis obſervatur, jus imperfectum detur. *Graſvvinckelio* c) equidem ſecundum ea quæ contra *Rebellum*, Luſitanum Jeſuitam, diſputat, id non videtur videri dici abſurde. Verum ne de Ariſtotelica diſciplina, à qua ſua placita abire negat vir eximius, & cui hoc manifeſte repugnat, quid dicam; probamus ſententiam *Pufendorfij*, d) etiam in illis, circa quæ diſtributiva verſatur juſtitia, nonnunquam jus dari perfectum. Et cum *Rebellus* e) rationem differentiæ inter commutativam & diſtributivam juſtitiam hanc aſſignaſſet, *quod ſecundum illam, ſuum unicuiq; redditur, quod magis ſevero jure debeatur tribui; ſecundum hanc vero, quod non debetur tam ſevero jure:* Excepit quidem *Graſvvinckelius*, f) *poſſe in commutativa juſtitia eſſe debitum, rigido jure ſum-*

c) *de Præjud. juſtit. & jur. pag.* 179.

d) *l. N. G.* 1. 7. 9.

e) *de obligation. juſtit. relig. Charitat.*

f) *l. c. pag.* 181. *ſq.*

ſumptum; *poſſe item eſſe, non rigido ex jure, ſed ex æquitate*, quæ juri ſtricto, perfecto & rigido contradiſtinguitur. Sed de hoc merito dubitaveris, cum illa quæ ex ratione juſtitiæ correctivæ, ſeu commutativæ debentur, qua talia, perfecte debentur.

§. 16. Juris imperfecti etiam non ſunt ea, quæ præſtantur ex *exuperantia* Charitatis, obſequij, vel etiam alterius cujuſdam obligationis, alias etiam imperfectæ. Solent enim, ceu conſtat, ad exuperantiam referri illa, quæ cum ſint bona, ceu virtuti congrua, non tamen ex officio aliquo, vel aliqua neceſſitate morali præſtantur; ſed ex libertate, atque voluntate, uti *Seneca* a) loquitur: *Quicquid eſt*, inquiens, *quod ſervilis officij formulam excedit, quod non ex imperio, ſed ex voluntate præſtatur, beneficium eſt.* Id enim *Seneca* b) *beneficium* audit, *quod quis dedit, cum illi liceret & non dare.* Unde infert: c) *Quamdiu præſtatur, quod à ſervis exigi ſolet, miniſterium eſt: ubi plus quam quod ſervo neceſſe eſt, beneficium.* Non debita ſunt talia, alias enim non exſuperarent. Quæ virtus urget, non poſſunt dici virtutis exuperantia, nec in poteſtate noſtra, & arbitrio, atque mera voluntate poſita eſſe. Quæ debentur etiam imperfecte, poſtulari poſſunt, aliquo jure, & de non præſtititis queri licet. Uxor marito ægrotanti aſſiſtens, etiam peſtis tempore, officium humanitatis, non exuperantiam ejuſdem præſtat. Ex-

a) 3. *Benef.* 21.

b) 3. *de Benef. c.* 19.

c) *l.* 1. *c.* 21.

Exuperantia eſt, ſi maritum in carcerem ducendum, ubi licet, ſequitur, Mommorantiæ exemplo apud *Gramondum*. d) Illam maritus jure aliquo, imperfecto ſcil. hanc nullo poſtulare poteſt. Juris fuit, non exuperantiæ, & quod Q. Lucret. marito poſtulare proin licuit, *cum a triumviris proſcriptum uxor, inter Cameram & tectum cubiculi abditum, ab imminente exitio, non ſine magno periculo ſuo tutum præſtitit*, laudatum *Valer. Maximo* e) Exuperantiæ autem non juris, quod ab Æmilia uxore poſtularet Africanus prior, erat illa *patientia, quod cum sciret viro ſuo ancillulam ex ſuis gratam eſſe, id diſſimulaverit, ne*, explicante eodem *Valerio*, f) *domitorem orbis Africani fœmina impudicitiæ reum ageret*. Ratio æqui & boni, quæ ad ejuſmodi exuperantiam movet, *conceſſive* potius, quam *præceptive* ſe habet.

d) *Hiſtor. Gall. l. 2. p.*

e) 6. 7. 2.

f) *l. c.*

§ 17. Juri imperfecto reſpondet *obligatio imperfecta*, quæ violenta coactione adverſus denegantem agere non permittit. Injuriæ enim & damni loco aliquid habere non licet, cum is, cui tali modo aliquid debetur, dicere non poſſit, quod id ſit ſuum, nec de eo, ceu ſuo, diſponere poſſit. Ridiculus ſane foret *mendicus*, monente *Pufendorfio*, a) *ſi ſtipem, quam ab opulento viro expectat, ſutori loco pretii pro calceo delegare velit.* Πλεονεκτεῖν inquit *Ariſtoteles*, b) ὁ οὐ βουλήσει χρήμασι δὲ ἀντ- λαμβάνειν, *ſibi plus boni, quam oportet, non dici-*

a) *l. N. G. l.* 7. 11.

b) *5. Ethic. 4. al. 2.*

tur

tur ſumere aut vendicare, qui pecunia alicui non eſt opitulatus propter illiberalitatem. Ergo alter non ſolum non minus habet ſuo, quod repugnat juſtitiæ particulari correctoriæ; ſed & avarus ipſe non peccat ſua illiberalitate in juſtitiam particularem, ſed univerſalem. Sequitur hinc, talem etiam vi quidem non poſſe adigi ad ſatisfaciendum, & reſarciendum damnum, per injuriam datum: Attamen cum proximum neglecto humanitatis & miſericordiæ officio; quod legeCharitatis in genere præceptum eſt, quicquid ſit de modo agendi, nec nuda virtutis exuperantia dici poteſt; occidi ſiverit, vel ingens aliquod damnum accipere; uti cauſa eſt damni hujus à proximo accepti, non faciendo id, quod ex juris naturalis præcepto facere tenebatur; ita non pudor tantum, h. e. æqui & boni ratio, damnum reſarciri jubet, ſi correctioni adhuc locus ſit relictus; certe in tantum, in quantum licet, ſi non in totum: ſed & coram DEO, ad id præſtandum, talis tenetur, & in conſcientia per legem naturalem, per cujus obligationem damni cauſatio, quocunque modo illa facta fuerit, & ejuſdem reſtitutio connectuntur. Leges enim J. N. ad humanitatis, miſericordiæ officia perfecte obligant; quicquid ſit de jure, quod homo averſus hominem inde nanciſcitur in foro humano. Coram DEO perfecte obligamur ad proximo laboranti benefaciendum; c) etſi inter mor-

c) 1. *Ioh.* 3. 17.

mortales non pariat hunc effectum, ut homo hominem ad id præſtandum cogere poſſit.

§. 18. Sed quid in caſu neceſſitatis? Diſputari conſtat, ſi quis graviſſima neceſſitate compulſus, quod ad vitam neceſſarium eſt aliunde ſumit, an furtum committat? negante, ut de aliis taceamus, *Covarruvia*. a) *Puſendorfius* b) non abnuit, *neceſſitatem inevitabilem indulgere id, quod ex obligatione imperfecta debetur, per vim vindicare.* Nobis uti non penitus negandum videtur, poſſe nonnunquam jus imperfectum in juris pleni, & perfecti, vim tranſire, ita ut tali caſu tam clam, quam palam, aliena ſibi vindicare liceat, invito etiam poſſeſſore, quæ jure ita pleno debentur; ſic non præcipitandum judicium cenſemus quoad hoc, hîc, & nunc. Difficile quippe judicatu eſt, an ex voluntate vere hoſtili, & hoſtili æquipollente, quæ jus perfectum alteri largiatur; an vero ex mera tantum ἀπαθεία, quæ proximi neceſſitatibus non tangatur, iſta proficiſcatur inhumanitas. Negamus interea, licere à neceſſitate *per ſe* petere jus perfectum illa ſibi vindicandi, quæ jure tantum imperfecto debentur, ob præceptum de *abſtinentia alieni*: Quicquid ſit de juſtitia facti externa, & venia, quam id conſequi debet. Præceptum enim hoc cum fundetur in dominio rerum; uti alterius neceſſitate præciſe nemo ſui dominij jure exuitur, ita hoc munitur etiam iſto neceſſitatis articulo con-

a) *Tom. I. Rel. P. II. f.* 471.
b) *I. N. G.* 2. 6. 6. *l.* 1. 1. 20. *Elem. l.* 1. *def.* 8. *§.* 5.

contra quamcunque invaſionem, per eandem legem de abſtinendo à re aliena. *Quid melius*, inquit *Lactantius*, c) *quid carius homini eſſe debet, quam innocentia? Quæ utiq; tanto perfectior ſit neceſſe eſt, quanto illam perduxeris ad extremum: Moriq; malueris, ne quid innocentiæ ratione minuatur.* Communio rerum primæva, quæ prætenditur, ceu tali caſu reviviſcens, ens rationis morale eſt, ceu alibi explicavimus, & repugnat dominio, Adamo primis iſtis temporibus à DEO conceſſo. d) Communio bonorum in Eccleſia primitiva, ad quam haud raro provocant, itidem nec ubique, nec ſemper obtinuit, ceu ex *Iuſtino Martyre* e) perſpicue doceri poteſt. Notanter dixi *per ſe*. Nam ſi contumelia acceſſerit, qua indigens afficitur, uti David ignominioſam à Nabale tulit repulſam, f) plus juris dari, non negabitur; ad vindictam licet hic ſe accingens, modum in iraſcendo exceſſerit.

c) *l. 5. c.18.*

d) *Gen.1.28.*

e) *Apol. II. pro Chriſt. f. 98. ſq.*

f) *1. Sam. 25. 9. ſqq.*

§. 19. Cæterum hæc juris differentia non tantum in Jure naturæ, ut modo vidimus, ſed & in Gentium, & Civili jure occurrit, uſuſque ejus inſignis eſt; cujus beneficio plures controverſi juris quæſtiones decidere licet. Dictis unicum adjiciemus exemplum, alibi a) licet jam tractatum. Juris Gentium eſſe contendunt, jus tranſeundi terra, & amnibus, per alterius territorium. Guſtavus Adolphus, Suecorum Rex, Pomerani

a) *de Orig. I. G. p. 300. 367. 397. ſq.*

Prin.

Principis Legatis tranſitum deprecantibus an. 1630. reſpondit apud *Chemnitzium*: b) *Innoxium tranſitum apud omnes gentes ſemper fuiſſe liberum: ejuſve denegationem, divino humanoque jure, juſtiſſimam belli cauſam haberi.* Docet etiam *Grotius*, c) *tranſitum negatum armis vindicari poſſe.* Verum jus petendi tranſitus non niſi imperfectum eſt, ceditque juribus alterius ex dominio ejuſdem in rem fluentibus, qui ſolus iſtam *ſuam* appellare poteſt; unde vi & armis, niſi ex hoſtili animo id fiat, tranſitus denegatus vindicari ſtatim nō debet. Ita cum jus commercia poſtulandi cum gente imperfectum ſit, fallitur *Franciſcus à Victoria*, d) cenſens, neminem qui negotiandi cauſa populum adit, prohiberi poſſe. Pertinet huc jus morandi in litore, & alia, de quibus *Grotius*. e)

b) *Bell. Sueco Germ. Vol. I. f.* 41.

c) *l. B. P.* 2. 2. 13.

d) *Relect.* 5. *ſ.* 3. *n.* 2.

e) *l. B. P. II.* 2.

§. 20. Contingit denique, ea quæ ſic ex obligatione imperfecta, juris alterius imperfecto reſpondenti, debentur, ab obligato aliâs, ſeu debitore, varie limitari, reſtringi, atque determinari, prout id quod intereſt ipſius, potiores etiam ejuſdem rationes, quarum curam habere licuit, ex ſuperiori quodam, perfectiori & potiori jure, imperij ſcil. dominij, vel ſimilis cujuſque, id requirere videntur. Sic commerciorum libertas non cenſetur obſtare, quo minus bono quodam ordine, majori etiam erga cives quam exteros favore, ejus exercitium concedatur. Nec

etiam

Digitized by Google

etiam hoc jus externorum imperfectum impedit, quo minus territorii Principi vectigalia conſtituere, vel augere liceat, quæ perſolvant commerciorum gratia vel adeuntes ipſius cives, vel trânſeuntes per terras ejuſdem. Vectigalia in freto Oreſundico conteſtationes, in bellum erupturas, peperiſſe notum eſt, conſtatque ex hiſtoria Pacificationis Bromſebroënſis, relata à *Bœclero*. a) *Principes enim*, uti loquitur *Camdenus*, b) *vectigalia quæ ſemel intenderunt, vix unquam relaxant, qui hujuſmodi regalia, ut vocant, ad cujuſq; regni jus & libertatem ſpectare, nec externæ moderationi ſubjacere judicant.*

a) *Hiſt. Bell. Sueco-Danic.* 3. p. 272. *ſqq.*
b) *Eliſab. f. m.* 330.

ARTICULUS II.

DE

PRINCIPIIS, SEU ORIGINE JUSTI ET DECORI.

§. 1.

PRima acceptio Juris *Grotiana* eſt, qua *jus nil aliud, quam quod juſtum eſt, ſignificat*; ut *jus ſit, quod injuſtum non eſt*; notetq; *attributum actionis*, ſeu facti, non neceſſario quidem ex habitu juſtitiæ manantis, ei tamen congruentis. Unde JCtus *Vlpianus jus à juſtitia appellatum* cenſuit, *origine utiq; rei, non*

a) *Com. in Ariſtot. 5. Eth. Argument. p. 330.*
b) *l. c.*
c) *2. 2. q. 57. art. 1. Reſp. q. c. a. 2. Reſ.*
d) *1. Offic.*
e) *Theol. Mor. tr. 3. Ex. l. c. 1. §. 1.*
f) *I. N. G. l. 7. 6.*

verbi, explicante *Giſanio.* a) Quod vero idem *jus nil aliud eſſe* dicit, b) *quam juſtam actionem, ſeu factum, ex juſtitia ut habitu ſuo manantem, eiq́ consentaneam*; nec ab ipſo concedetur *Ariſtotele*, ſecundum quem aliud eſt *juſta agere*, quæ in præſenti conſiderantur, aliud *juſte agere*. Hoc manat ex habitu. Unde *Thomas*, c) *illud*, inquit, *in opere noſtro dicitur eſſe juſtum, quod respondet ſecundum aliquam æqualitatem*; quæ ſecundum *Ciceronem*, d) *juſtitiæ maxime propria eſt*; *alteri, puta recompenſatio mercedis pro ſervitio impenſo. Sic ergo jus ſeu juſtum dicitur aliquid, quaſi habens rectitudinem juſtitiæ, ad quod terminatur actio juſtitiæ, etiam non conſiderato qualiter ab agente fiat.* Varias etiam, *Grotioque* uſurpatas juris acceptiones explicans, ut plures ex Moralium doctoribus mittamus, *Eſcobar*, e) *jus accipi*, inquit, *primo pro juſto & æquo*, in actione nimirum, à quo actio denominetur juſta potius, quam perſona, explicante *Puſendorfio*, f) cum injuſti hominis etiam juſtæ actiones eſſe poſſint.

a) *Comm. p. 83.*

§. 2. Quod vero *Grotius negante magis, quam ajente ſenſu*, jus *juſtum ſignificare* contendit, id ſcil. *quod injuſtum non eſt*, ratio eſt, ſicut ex ipſo *Grotio* à B. *Bœclero* a) explicatur, quia non neceſſario ejus omiſſio injuſtitiæ labem contrahit, quod alias juſte fit: *Quemadmodum enim non ſequitur, ſi liberalis Rex dicendus eſt, qui alicui mille talenta dederit, ideo ſi non*

non dederit, illiberalem fore: Ita non eſt perpetuum, ut id, quod juſte fiat, non niſi injuſte omittatur. Juſte David Joabum extremo affeciſſet ſupplicio, ob cædem Abneri b) & Amaſæ, c) ſi pœnas crudelitatis hominem dare juſſiſſet, ſed nec injuſte omiſit. *To juſtum* nimirum, qua attributum actionum notat, *laxiori* ſenſu accipi debet, ut non tantum ſignificet aliquid fieri debere, ſeu quod aliquod factum juſtum ſit, quia quod factum eſt, fieri debuit; ſed etiam aliquid fieri poſſe, quod ſic deceat, congruum, & conveniens ſit, etſi non ſtricte debitum atque neceſſarium, & proinde etiam non eſſe injuſtum, ſeu fiat, ſeu non fiat: Ita ut ſi dicam, aliquid eſſe juſtum, idem ſit, ac ſi dicam, aliquid non eſſe injuſtum. Hoc ſenſu etiam juſta ſunt, quæ fiunt ex virtutis exuperantia; non injuſta, ſi omittuntur, ſed nec juſta, hoc eſt à juſtitia præcepta ut fiant. Ita non injuſtum, h. e. regulis juſtitiæ non contrarium, nec ab eadem præceptum fuit factum fœminarum Germanicarum, apud *Tacitum*, d) quas neque natorum, neque maritorum in prælio acceptas *plagas, & vulnera numerare, aut exſugere expaviſſe*, refert. Hoc ſenſu de juſto etiam locutos olim Ariſtotelem & Ciceronem conſtat. Hoc ſenſu JUSTUS apud Athenienſes audivit olim Ariſtides, ſcriptore *Plutarcho*, e) edendo actiones juſtas ultra tabulas LL. publicas.

b) *2. Sam. 3. 27.*
c) *2. Sam. 20. 10.*
d) *Germ. c. 7. 4.*
e) *Ariſtid. f. 321. ſq.*

§. 3. Ad jus hoc reſpiciendum, & hujus juſti quidem in agendo habenda ratio. Verum unde juſtitia hæc æſtimanda, non omnium eſt ſententia. *Hugo Grotius* a) æſtimationem juſti metitur juxta ſocialitatem humani generis, ſeu rationem vitæ hominum ſocialis, id *injuſtum eſſe* pronuncians, *quod naturæ ſocietatis ratione utentium repugnat*; faciens eundem fontem juſti in actione, & juris naturalis, atque officiorum jure naturali præceptorum. Sane ſi juſta actio dicitur, b) quia debito & convenienti modo applicatur ad perſonam, cui iſta applicatione tribuitur, quod ipſi debitum eſt, vel conveniens; neceſſario quoque etiam ſic eam comparatam eſſe oportet, ut neminem lædat, vel offendat, & ſocialitati humani generis inimica non ſit, eique non repugnet. Prolixo commentario jam olim hæc Cicero c) declaravit: *Detrahere*, inquit, *aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, tollit convictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quiſq; emolumentum ſpoliet, aut violet alterum: diſrumpi neceſſe eſt, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Vt ſi unumquodq; membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet.* Docuit id Menenij Agrippæ fabula de diſſenſu artuum humanorum, rerum Roma-

a) *l. B. P. l.* 1. 3.

b) *Pufend. I. N. G.* 1. 7. 7.

c) *l.* 3. *Offic. c.* 5. *ſq.*

na-

narum Scriptoribus explicata. In ſequentibus addit *Cicero*: *Societatis inter homines artiſſimum vinculum eſt, magis arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſa, quam omnia incommoda ſubire vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, quæ vacent juſtitia.* Et *M. Antonin. Imp.* d) γεγόναμεν, inquit, πρὸς συνεργίαν, ὡς πόδες, ὡς χεῖρες, ὡς βλέφαρα, ὡς οἱ στοῖχοι τῶν ἄνω, καὶ τῶν κάτω ὀδόντων· Τὸ οὖν ἀντιπράσσειν ἀλλήλοις παρὰ φύσιν· ἀντιπρακτικὸν δὲ τὸ ἀγανακτεῖν καὶ ἀποστρέφειν, *ad mutuas operas nati ſumus, quomodo pedes, manus, palpebræ dentium ſuperiorum inferiorumq; ordines. Adverſari ſibi invicem itaque præter naturam: adverſantis eſt autem ſuccenſere & averſari.* Addimus ob diſciplinæ elegantiam, *Senecæ* e) locum: *Quid ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi? at omnia inter ſe membra conſentiant, quia ſingula ſervari, totius intereſt: ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſumus. Salva eſſe ſocietas, niſi amore & cuſtodia partium non poteſt.* Unde ſicut corporis membra ſibi non nocent, ita nec homo homini nocere debet, cum ſimus τὰ μέλη τοῦ σώματος, ut loquitur *Antoninus* f) idem. Conſentit diſciplina Chriſtianorum, quibus *unitatem corporis*, quæ ad mutua Charitatis officia cunctos moveat, frequenter Apoſtolus inculcat. Οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὁ δὲ καθεῖς ἀλλήλων μέλη, multi unum corpus ſumus in Chriſto, *ſingula-*

d) *l. 2. de rebus ſuis §. 1.*

e) *2. de ira, 31.*

f) *l. 7. §. 13.*

gulatim autem alij aliorum membra, idem ait.g) Eadem eſt *Cypriani*, *Auguſtini*, *Gregorij Nazianzeni*, & aliorum doctrina. Verum quanquam ſociale nil eſſe poſſit, niſi ſit juſtum, hoc tamen non inde eſt, quod ſociale ſit cauſa & radix juſti, cum effectus potius ejus dici debeat, ita ut rationem *à priori* reddituri, cur actio aliqua ſit ſocialis, recte reſpondeamus, quia eſt recte applicata ad perſonam, modo, & ratione, quo illi debetur, h. e. juſta; reſponſuri autem, cur dictum aliquod, factumque ſit juſtum, à poſteriori tantum hanc reddamus rationem, quia eſt ſociale: quicquid ſit de impedimento actuali conſociationis, aliunde haud raro intercedente. Unde, quod aliquid non ſit injuſtum, naturaliter ſcil. in vita ſociali, tale eſſe exinde tantum cognoſcitur, quod *natura ſocietatis ratione utentium non repugnat*, non vero per hoc tale vere redditur. Licet non negemus, fundamentum & rationem à priori hoc etiam eſſe poſſe, propter quam LL. civilibus aliquid pro non injuſto habeatur, ceu non iniuſtum permittatur. Denique etſi ex ſocialitate oſtendi poſſit ratio juris, ſive juſti, in actionibus, quibus mortalibus ad invicem aliquod commercium, quo unicuique ſuum tribuitur, intercedit; inſufficiens tamen illa eſt ad fundandam rationem juſti, quod in actionibus, quibus cum DEO aliquid nobis eſt negotij, dari debet. Juſti hujus mentionem

g) *Rom.* 12. 5. *ad Epheſ.* 4. 4. *ſq.*

nem facit *Clemens Alexandrinus*: h) Αὕτη ἡ τῷ h) *Strom. l.*
ὄντι δικαιοσύνη, μὴ πλεονεκτεῖν ἑτέρων, ὅλον δ᾽ 4. *f.* 539.
εἶναι ἡγιασμένον νεὼν τοῦ κυρίου, *hæc eſt quæ vere eſt juſtitia, nolle rei alterius plus quam par ſit habere, ſed totum eſſe templum Domini ſanctificatum.* Unde *Lactantius*: i) *Primum officium juſtitiæ eſt conjungi cum* DEO, *ſecundum cum homine: Sed illud primum religio dicitur, hoc ſecundum miſericordia, vel humanitas nominatur.*

i) *l.* 6 *inſtit. c.* 10.

§. 4. *Autor* a) *de Principiis juſti & decori*, quem *Lambertum Velthuyſium* eſſe opera edita hujus viri docent, rationem juſti & decori in actionibus humanis reducit ad *conſervationem ſui*, (non ſenſu Hobbiano talem) quam, ſi mentem viri ſatis aſſequi licuit, refert ad finem in creatione mundi à DEO intentum, qui complectitur ſimul gloriam divinæ bonitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, & ſanctitatis. Hunc finem uti mundum creando DEUS ſibi, & homini, propoſuit, ita refert: b) *Quæcunque natura ſua ita comparata ſunt, ut finem in creatione mundi à* DEO *intentum impediant, illa omnia jure naturali prohibita ſunt: Quæcunque autem iſtius ſunt naturæ, ut ſine iis idem finis obtineri non poſſit, illa omnia jure naturali ſunt imperata.* Monet c) autem, *debere habere talia nexum neceſſarium cum fine generali, à* DEO *intento.* Ex hoc autem, quod dixerat, illa omnia jure naturali prohibita eſſe, quæ finem iſtum impediunt, colligit, d)

a) *P.* 2. *opp: Epiſt. Diſſert. de princ. juſt. & dec.*

b) *l. c. p.* 964.

c) *l. c. p.* 967.

d) *l. c. pag.* 1005.

Exuperantia eſt, ſi maritum in carcerem ducendum, ubi licet, ſequitur, Mommorantiæ
d) *Hiſtor. Gall. l. 2. p.* exemplo apud *Gramondum.* d) Illam maritus jure aliquo, imperfecto ſcil. hanc nullo poſtulare poteſt. Juris fuit, non exuperantiæ, & quod Q. Lucret. marito poſtulare proin licuit, *cum a triumviris proſcriptum uxor, inter Cameram & tectum cubiculi abditum, ab imminente exitio, non ſine magno periculo ſuo tutum præſtitit*, laudatum *Valer. Maximo* e) Exuperantiæ
e) 6. 7. 2. autem non juris, quod ab Æmilia uxore poſtularet Africanus prior, erat illa *patientia, quod cum ſciret viro ſuo ancillulam ex ſuis gratam eſſe, id diſſimulaverit, ne*, explicante eodem *Valerio*, f) *domitorem orbis Africani fœmina impudicitiæ reum ageret.* Ratio æqui & boni, quæ ad ejuſmodi exuperantiam movet, *conceſſive* potius, quam *præceptive* ſe habet.
f) *l. c.*

§ 17. Juri imperfecto reſpondet *obligatio imperfecta*, quæ violenta coactione adverſus denegantem agere non permittit. Injuriæ enim & damni loco aliquid habere non licet, cum is, cui tali modo aliquid debetur, dicere non poſſit, quod id ſit ſuum, nec de eo, ceu ſuo, diſponere poſſit. Ridiculus ſane foret *mendicus*, monente *Pufendorſio*, a) *ſi ſtipem, quam ab opulento viro expectat, ſutori loco pretii pro calceo delegare velit.* Πλεονεκτεῖν inquit *Ariſtoteles*, b) ὁ ὐ βουλήσους χρήματα δὲ ἀνταδικείαν, *ſibi plus boni, quam oportet, non dicitur*

a) *I. N. G. l. 7. 11.*

b) *5. Ethic. 4. al. 2.*

tur ſumere aut vendicare, qui pecunia alicui non eſt opitulatus propter illiberalitatem. Ergo alter non ſolum non minus habet ſuo, quod repugnat juſtitiæ particulari correctoriæ; ſed & avarus ipſe non peccat ſua illiberalitate in juſtitiam particularem, ſed univerſalem. Sequitur hinc, talem etiam vi quidem non poſſe adigi ad ſatisfaciendum, & reſarciendum damnum, per injuriam datum: Attamen cum proximum neglecto humanitatis & miſericordiæ officio; quod legeCharitatis in genere præceptum eſt, quicquid ſit de modo agendi, nec nuda virtutis exuperantia dici poteſt; occidi ſiverit, vel ingens aliquod damnum accipere; uti cauſa eſt damni hujus à proximo accepti, non faciendo id, quod ex juris naturalis præcepto facere tenebatur; ita non pudor tantum, h. e. æqui & boni ratio, damnum reſarciri jubet, ſi correctioni adhuc locus ſit relictus; certe in tantum, in quantum licet, ſi non in totum: ſed & coram DEO, ad id præſtandum, talis tenetur, & in conſcientia per legem naturalem, per cujus obligationem damni cauſatio, quocunque modo illa facta fuerit, & ejuſdem reſtitutio connectuntur. Leges enim J. N. ad humanitatis, miſericordiæ officia perfecte obligant; quicquid ſit de jure, quod homo averſus hominem inde nanciſcitur in foro humano. Coram DEO perfecte obligamur ad proximo laboranti benefaciendum; c) etſi inter mor-

c) 1. *Ioh.* 3, 17.

mortales non pariat hunc effectum, ut homo hominem ad id præſtandum cogere poſſit.

§. 18. Sed quid in caſu neceſſitatis? Diſputari conſtat, ſi quis graviſſima neceſſitate compulſus, quod ad vitam neceſſarium eſt aliunde ſumit, an furtum committat? negante, ut de aliis taceamus, Covarruvia. a) Puſendorſius b) non abnuit, *neceſſitatem inevitabilem indulgere id, quod ex obligatione imperfecta debetur, per vim vindicare.* Nobis uti non penitus negandum videtur, poſſe nonnunquam jus imperfectum in juris pleni, & perfecti, vim tranſire, ita ut tali caſu tam clam, quam palam, aliena ſibi vindicare liceat, invito etiam poſſeſſore, quæ jure ita pleno debentur; ſic non præcipitandum judicium cenſemus quoad hoc, hîc, & nunc. Difficile quippe judicatu eſt, an ex voluntate vere hoſtili, & hoſtili æquipollente, quæ jus perfectum alteri largiatur; an vero ex mera tantum ἀπαθείᾳ, quæ proximi neceſſitatibus non tangatur, iſta proficiſcatur inhumanitas. Negamus interea, licere à neceſſitate *per ſe* petere jus perfectum illa ſibi vindicandi, quæ jure tantum imperfecto debentur, ob præceptum de *abſtinentia alieni*: Quicquid ſit de juſtitia facti externa, & venia, quam id conſequi debet. Præceptum enim hoc cum fundetur in dominio rerum; uti alterius neceſſitate præciſe nemo ſui dominij jure exuitur, ita hoc munitur etiam iſto neceſſitatis articulo con-

a) *Tom. I. Rel. P. II. f.* 473.
b) *l. N. G.* 2. 6. 6. *l.* 1. 1. 20. *Elem. l.* 1. *def.* 8. *§.* 5.

Digitized by Google

contra quamcunque invaſionem, per eandem legem de abſtinendo à re aliena. *Quid melius*, inquit *Lactantius*, c) *quid carius homini eſſe debet, quam innocentia? Quæ utiq; tanto perfectior ſit neceſſe eſt, quanto illam perduxeris ad extremum: Moriq; malueris, ne quid innocentiæ ratione minuatur*. Communio rerum primæva, quæ prætenditur, ceu tali caſu reviviſcens, ens rationis morale eſt, ceu alibi explicavimus, & repugnat dominio, Adamo primis iſtis temporibus à DEO conceſſo. d) Communio bonorum in Eccleſia primitiva, ad quam haud raro provocant, itidem nec ubique, nec ſemper obtinuit, ceu ex *Iuſtino Martyre* e) perſpicue doceri poteſt. Notanter dixi *per ſe*. Nam ſi contumelia acceſſerit, qua indigens afficitur, uti David ignominioſam à Nabale tulit repulſam, f) plus juris dari, non negabitur; ad vindictam licet hic ſe accingens, modum in iraſcendo exceſſerit.

c) *l*. 5. *c*.18.

d) *Gen*.1.28.

e) *Apol. II. pro Chriſt*. *f*. 98. *ſq*.

f) 1. *Sam*. 25. 9. *ſqq*.

§. 19. Cæterum hæc juris differentia non tantum in Jure naturæ, ut modo vidimus, ſed & in Gentium, & Civili jure occurrit, uſuſque ejus inſignis eſt; cujus beneficio plures controverſi juris quæſtiones decidere licet. Dictis unicum adjiciemus exemplum, alibi a) licet jam tractatum. Juris Gentium eſſe contendunt, jus tranſeundi terra, & amnibus, per alterius territorium. Guſtavus Adolphus, Suecorum Rex, Pomerani

a) *de Orig. I. G. p*. 300. 367. 397. *ſq*.

Prin.

Principis Legatis tranſitum deprecantibus an. 1630. reſpondit apud *Chemnitzium*: b) *Innoxium tranſitum apud omnes gentes ſemper fuiſſe liberum: ejuſve denegationem, divino humanoque jure, juſtiſſimam belli cauſam haberi.* Docet etiam *Grotius*, c) *tranſitum negatum armis vindicari poſſe.* Verum jus petendi tranſitus non niſi imperfectum eſt, ceditque juribus alterius ex dominio ejuſdem in rem fluentibus, qui ſolus iſtam *ſuam* appellare poteſt; unde vi & armis, niſi ex hoſtili animo id fiat, tranſitus denegatus vindicari ſtatim nō debet. Ita cum jus commercia poſtulandi cum gente imperfectum ſit, fallitur *Franciſcus à Victoria*, d) cenſens, neminem qui negotiandi cauſa populum adit, prohiberi poſſe. Pertinet huc jus morandi in litore, & alia, de quibus *Grotius*. e)

b) *Bell. Sueco Germ. Vol. I. f.* 41.

c) *I. B. P.* 2. 2. 13.

d) *Relect.* 5. *ſ.* 3. *n.* 2.

e) *I. B. P. II.* 2.

§. 20. Contingit denique, ea quæ ſic ex obligatione imperfecta, juris alterius imperfecto reſpondenti, debentur, ab obligato aliâs, ſeu debitore, varie limitari, reſtringi, atque determinari, prout id quod intereſt ipſius, potiores etiam ejuſdem rationes, quarum curam habere licuit, ex ſuperiori quodam, perfectiori & potiori jure, imperij ſcil. dominij, vel ſimilis cujuſque, id requirere videntur. Sic commerciorum libertas non cenſetur obſtare, quo minus bono quodam ordine, majori etiam erga cives quam exteros favore, ejus exercitium concedatur. Nec

etiam

etiam hoc jus externorum imperfectum impedit, quo minus territorii Principi vectigalia conſtituere, vel augere liceat, quæ perſolvant commerciorum gratia vel adeuntes ipſius cives, vel tranſeuntes per terras ejuſdem. Vectigalia in freto Oreſundico conteſtationes, in bellum erupturas, peperiſſe notum eſt, conſtatque ex hiſtoria Pacificationis Bromſebroënſis, relata à *Bœclero*. a) *Principes enim*, uti loquitur *Camdenus*, b) *vectigalia quæ ſemel intenderunt, vix unquam relaxant, qui hujuſmodi regalia, ut vocant, ad cujuſq; regni jus & libertatem ſpectare, nec externæ moderationi ſubjacere judicant.*

a) *Hiſt. Bell. Sueco-Danic. 3. p. 272. ſqq.*

b) *Eliſab. ſ. m. 339.*

Articulus II.

De
PRINCIPIIS, SEU ORIGINE JUSTI ET DECORI.

§. 1.

Prima acceptio Juris *Grotiana* eſt, qua *jus nil aliud, quam quod juſtum eſt, ſignificat*; ut *jus ſit, quod injuſtum non eſt*; notetq; *attributum actionis*, ſeu facti, non neceſſario quidem ex habitu juſtitiæ manantis, ei tamen congruentis. Unde JCtus *Vlpianus jus à juſtitia appellatum* cenſuit, *origine utiq; rei, non*

 verbi,

Digitized by Google

a) *Com. in Ariſtot. 5. Eth. Argument. p.330.*
b) *l. c.*

verbi, explicante *Giſanio*. a) Quod vero idem *jus nil aliud eſſe* dicit, b) *quam juſtam actionem, ſeu factum, ex juſtitia ut habitu ſuo manantem, eiq; conſentaneam*; nec ab ipſo concedetur *Ariſtotele*, ſecundum quem aliud eſt *juſta agere*, quæ in præſenti conſiderantur, aliud *juſte agere*. Hoc manat ex habitu. Unde *Thomas*, c) *illud*, inquit, *in opere noſtro dicitur eſſe juſtum, quod reſpondet ſecundum aliquam æqualitatem*; quæ ſecundum *Ciceronem*, d) *juſtitiæ maxime propria eſt*; *alteri, puta recompenſatio mercedis pro ſervitio impenſo. Sic ergo jus ſeu juſtum dicitur aliquid, quaſi habens rectitudinem juſtitiæ, ad quod terminatur actio juſtitiæ, etiam non conſiderato qualiter ab agente fiat.* Varias etiam, *Grotioque* uſurpatas juris acceptiones explicans, ut plures ex Moralium doctoribus mittamus, *Eſcobar*, e) *jus accipi*, inquit, *primo pro juſto & æquo*, in actione nimirum, à quo actio denominetur juſta potius, quam perſona, explicante *Pufendorſio*, f) cum injuſti hominis etiam juſtæ actiones eſſe poſſint.

c) *2.2. q. 57. art. 1. Reſp. q. c. a. 2. Reſ.*
d) *1. Offic.*
e) *Theol. Mor. tr. 3. Ex. I. c. 1. §. 1.*
f) *I. N. G. I. 7. 6.*

§. 2. Quod vero *Grotius negante magis, quam ajente ſenſu*, jus *juſtum ſignificare* contendit, id ſcil. *quod injuſtum non eſt*, ratio eſt, ſicut ex ipſo *Grotio* à B. *Bœclero* a) explicatur, quia non neceſſario ejus omiſſio injuſtitiæ labem contrahit, quod alias juſte fit: *Quemadmodum enim non ſequitur, ſi liberalis Rex dicendus eſt, qui alicui mille talenta dederit, ideo ſi non*

a) *Comm. p. 83.*

non dederit, illiberalem fore: Ita non eſt perpetuum, ut id, quod juſte fiat, non niſi injuſte omittatur. Juſte David Joabum extremo affeciſſet ſupplicio, ob cædem Abneri b) & Amaſæ, c) ſi pœnas crudelitatis hominem dare juſſiſſet, ſed nec injuſte omiſit. To *juſtum* nimirum, qua attributum actionum notat, *laxiori* ſenſu accipi debet, ut non tantum ſignificet aliquid fieri debere, ſeu quod aliquod factum juſtum ſit, quia quod factum eſt, fieri debuit; ſed etiam aliquid fieri poſſe, quod ſic deceat, congruum, & conveniens ſit, etſi non ſtricte debitum atque neceſſarium, & proinde etiam non eſſe injuſtum, ſeu fiat, ſeu non fiat: Ita ut ſi dicam, aliquid eſſe juſtum, idem ſit, ac ſi dicam, aliquid non eſſe injuſtum. Hoc ſenſu etiam juſta ſunt, quæ fiunt ex virtutis exuperantia; non injuſta, ſi omittuntur, ſed nec juſta, hoc eſt à juſtitia præcepta ut fiant. Ita non injuſtum, h. e. regulis juſtitiæ non contrarium, nec ab eadem præceptum fuit factum fœminarum Germanicarum, apud *Tacitum*, d) quas neque natorum, neque maritorum in prælio acceptas *plagas: & vulnera numerare, aut exſugere expaviſſe*, refert. Hoc ſenſu de juſto etiam locutos olim Ariſtotelem & Ciceronem conſtat. Hoc ſenſu JUSTUS apud Athenienſes audivit olim Ariſtides, ſcriptore *Plutarcho*, e) edendo actiones juſtas ultra tabulas LL. publicas.

b) *2. Sam. 3. 27.*

c) *2. Sam. 20. 10.*

d) *Germ. c. 7. 4.*

e) *Ariſtid. f. 321. ſq.*

Digitized by Google

§. 3. Ad jus hoc reſpiciendum, & hujus juſti quidem in agendo habenda ratio. Verum unde juſtitia hæc æſtimanda, non omnium eſt ſententia. *Hugo Grotius* a) æſtimationem juſti metitur juxta ſocialitatem humani generis, ſeu rationem vitæ hominum ſocialis, id *injuſtum eſſe* pronuncians, *quod naturæ ſocietatis ratione utentium repugnat*; faciens eundem fontem juſti in actione, & juris naturalis, atque officiorum jure naturali præceptorum. Sane ſi juſta actio dicitur, b) quia debito & convenienti modo applicatur ad perſonam, cui iſta applicatione tribuitur, quod ipſi debitum eſt, vel conveniens; neceſſario quoque etiam ſic eam comparatam eſſe oportet, ut neminem lædat, vel offendat, & ſocialitati humani generis inimica non ſit, eique non repugnet. Prolixo commentario jam olim hæc *Cicero* c) declaravit: *Detrahere*, inquit, *aliquid alteri, & hominem hominis incommodo ſuum augere commodum, tollit convictum humanum, & ſocietatem. Si enim ſic erimus affecti, ut propter ſuum quisq; emolumentum ſpoliet, aut violet alterum: diſrumpi neceſſe eſt, quæ maxime eſt ſecundum naturam, humani generis ſocietatem. Vt ſi unumquodq; membrum ſenſum hunc haberet, ut poſſe putaret ſe valere, ſi proximi membri valetudinem ad ſe traduxiſſet, debilitari & interire totum corpus neceſſe eſſet.* Docuit id Menenij Agrippæ fabula de diſſenſu artuum humanorum, rerum Roma-

a) *l. B. P. l.* 1. 3.

b) *Pufend. I. N. G.* 1. 7. 7.

c) *l. 3. Offic. c. 5. ſq.*

na-

narum Scriptoribus explicata. In ſequentibus addit *Cicero*: *Societatis inter homines arctiſſimum vinculum eſt, magis arbitrari eſſe contra naturam, hominem homini detrahere ſui commodi cauſa, quam omnia incommoda ſubire vel externa, vel corporis, vel etiam ipſius animi, quæ vacent juſtitia.* Et *M. Antonin. Imp.* d) d) *l. 2. de rebus ſuis §. 1.*
γεγόναμεν, inquit, πρὸς συνεργίαν, ὡς πόδες, ὡς χεῖρες, ὡς βλέφαρα, ὡς οἱ στοῖχοι τῶν ἄνω, καὶ τῶν κάτω ὀδόντων· Τὸ οὖν ἀντιπράσσειν ἀλλήλοις παρὰ φύσιν· ἀντιπρακτικὸν δὲ τὸ ἀγανακτεῖν καὶ ἀποστρέφειν, *ad mutuas operas nati ſumus, quomodo pedes, manus, palpebræ dentium ſuperiorum inferiorumque ordines. Adverſari ſibi invicem itaque præter naturam: adverſantis eſt autem ſuccenſere & averſari.* Addimus ob diſciplinæ elegantiam, *Senecæ* e) locum: *Quid ſi nocere velint manus pedibus? manibus oculi? at omnia inter ſe membra conſentiant, quia ſingula ſervari, totius intereſt: ita homines ſingulis parcent, quia ad cœtum geniti ſumus. Salva eſſe ſocietas, niſi amore & cuſtodia partium non poteſt.* Unde ſicut corporis membra ſibi non nocent, ita nec homo homini nocere debet, cum ſimus τὰ μέλη τοῦ σώματος, ut loquitur *Antoninus* f) idem. Conſentit diſciplina Chriſtianorum, quibus *unitatem corporis*, quæ ad mutua Charitatis officia cunctos moveat, frequenter Apoſtolus inculcat. Οἱ πολλοὶ ἓν σῶμά ἐσμεν ἐν Χριστῷ, ὁ δὲ καθεῖς ἀλλήλων μέλη, multi unum corpus ſumus in Chriſto, ſin-

e) *2. de ira, 31.*

f) *l. 7. §. 13.*

nem facit *Clemens Alexandrinus*: h) Αὕτη ἡ τῷ ὄντι δικαιοσύνη. μὴ πλεονεκτεῖν θατέρῳ, ὅλον δ' εἶναι ἡγιασμένον νεὼν τοῦ κυρίου, *hæc eſt quæ vere eſt juſtitia, nolle rei alterius plus quam par ſit habere, ſed totum eſſe templum Domini ſanctificatum.* Unde *Lactantius*: i) *Primum officium juſtitiæ eſt conjungi cum* DEO, *ſecundum cum homine: Sed illud primum religio dicitur, hoc ſecundum miſericordia, vel humanitas nominatur.*

h) *Strom. l. 4. p. 539.*

i) *l. 6 inſtit. c. 10.*

§. 4. *Autor* a) *de Principiis juſti & decori*, quem *Lambertum Velthuyſium* eſſe opera edita hujus viri docent, rationem juſti & decori in actionibus humanis reducit ad *conſervationem ſui*, (non ſenſu Hobbiano talem) quam, ſi mentem viri ſatis aſſequi licuit, refert ad finem in creatione mundi à DEO intentum, qui complectitur ſimul gloriam divinæ bonitatis, ſapientiæ, juſtitiæ, & ſanctitatis. Hunc finem uti mundum creando DEUS ſibi, & homini, propoſuit, ita refert: b) *Quæcunq; natura ſua ita comparata ſunt, ut finem in creatione mundi à* DEO *intentum impediant, illa omnia jure naturali prohibita ſunt: Quæcunque autem iſtius ſunt naturæ, ut ſine iis idem finis obtineri non poſſit, illa omnia jure naturali ſunt imperata.* Monet c) autem, *debere habere talia nexum neceſſarium cum fine generali, à* DEO *intento.* Ex hoc autem, quod dixerat, illa omnia jure naturali prohibita eſſe, quæ finem iſtum impediunt, colligit, d) *illa*

a) *P. 2. opp: Epiſt. Diſſert. de princ. juſt. & dec.*

b) *l. c. p. 964.*

c) *l. c. p. 967.*

d) *l. c. pag. 1005.*

illa peccata graviora eſſe cæteris, quæ nos maxime à fine removent, & in devia ducunt. Hujus diſciplinæ eximia etiam occurrunt in ejuſdem *Velthuyſij* e) tractatu *de Pudore naturali.* Cui ſi convenienter erit philoſophandum, dicendum fuerit, naturaliter, & in ſe juſtas eſſe illas actiones, quæ ſua natura ſubordinantur iſti fini divino, ceu ordinatas in DEI gloriam, proximi emolumentum, ceu rem à me ex debito illi præſtandam. Inde enim potiſſimum mei conſervatio dependet, cujus cura ex divino mandato mihi incumbit, ſi DEUM & proximum amicos habeo. Hos tales experior, ubi DEO, quæ ſunt DEI, & proximo quæ ſunt proximi dedero. Τῷ δὲ τὴν πρὸς Θεὸν στειλαμένῳ φιλίαν τί ἂν ἔτι λείποιτο; τίνος δ' ἂν ὑστεροῖτο ὁ τῶν ἀγαθῶν τὸν δημιουργὸν ἐξῳκειωμένος; *qui enim ſemel divinæ amicitiæ munere ornatus ſit, quid tandem is ultra deſideret? quid ei deſit, qui bonorum auctorem omnium ſibi devinctum habuerit?* recte quærit *Euſebius,* f) de divinæ amicitiæ felicitatis amplitudine præclare verba faciens. Si itaque exinde juſtæ ſunt actiones, quia ſunt ſubordinatæ ſua natura fini in creatione mundi à DEO intento, & hujus finis conſecutioni inſerviunt, & per iſtam ſubordinationem recte ad DEUM, & proximum, cui debentur, applicatæ & directæ; ſequitur, naturalem iſtum ordinem, quo actiones noſtræ neceſſario & immutabiliter ſubordinantur fini,

e) *Part. I. opp.*

f) *Præpar. Evang. l. 1. ſ. 1. ſ. 2.*

ſini, quem DEUS mundum, & hominem, ceu partem mundi, ſecundum bonitatis, ſapientiæ, & ſanctitatis dictamina creaturus intendit, eſſe juſti, quod in actionibus datur, principium & rationem.

§. 5. Etſi vero Carteſianas hypotheſes, quas in Phyſicis & Mathematicis, quatenus non pruriunt adverſus Theologicas veritates, ſuo loco relinquimus, in originibus juſti & decori eruendis, juſto liberius, cum in *Epiſtolica de Principiis juſti decori diſſertatione*, tum in *tractatu de Pudore nuturali*, adhiberi non probemus; purgatam tamen ab iiſdem *Velthuyſii* ſupra explicatam diſciplinam non omnino improbamus, cum illâ, quo pacto id quod juſtum radius ſit divinæ juſtitiæ, ratione aliqua declarare poſſimus, quod & Gentiles antiquiſſimi agnoverunt. Δίκη, inquit, *Homerus*, a) ἐστὶ θεῶν οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν, *juſtitia eſt Deorum, qui olympum habitant.* Et *Heſiodus*: b) Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαῦα, κυδρή τ' αἰδοίη τε θεοῖς οἳ Ὄλυμπον ἔχουσιν, *virgo eſt juſtitia Iove prognata, auguſta, & veneranda Diis qui cœlum habent.* DEUS nimirum ex eſſentiali, & ſic ſimpliciter immutabili perfectione ſibi ſuum tribuens, & tribui volens, in rerum natura à ſe conſtituta, ordinem quoque, quo rerum univerſitas carere neſcit, dictaminibus eſſentialium ſuarum perfectionum, & ſic etiam juſtitiæ convenientem, pro rerum creatarum capacitate, non

a) *Odyſſ. l. 19. v. 43.*
b) *Oper. & dier. v. 256.*

poteſt non inſtituere. Nequit itaque alium agendi ordinem, aliaſque agendi leges mortalibus, ceu ſupremus Rector, præſcribere, quam ut DEO ſuum, ſibique invicem ſuum illi tribuant. Sic enim conſervationi ſui ipſius optime homo conſulet. Non etiam aliud vere juſtum in actionibus mortalium dabitur, quam id quo illæ affectæ ita ſe habent, ut DEO & proximo, ipſique etiam agenti ſuum, h. e. debita tribuant officia. Pertinent huc ea quæ de Lege DEI æterna, dictaminibuſque divinæ rationis Practicis, alibi c) diſputavimus. Ex veterum diſciplina referimus huc, atque addimus, egregium ex *Platone* d) locum, cum Socrates, Θεὸς, inquit, οὐδαμῇ οὐδαμῶς ἄδικος, ἀλλ᾽ ὡς οἷόν τε δικαιότατος· καὶ οὐκ ἔστιν αὐτῷ ὁμοιότερον οὐδὲν, ἢ ὃς ἂν ἡμῶν αὖ γένηται ὅτι δικαιότατος, *DEUS nuſquam & nullo modo injuſtus, ſed quam juſtiſſimus, totam videlicet juſtitiæ complexus poteſtatem, nihilq; illius ſimilius, quam juſtiſſimus homo:* Conjungendum cum alio Philoſophi divini loco: e) Ζεὺς δείσας περὶ τῷ γένει ἡμῶν μὴ ἀπόλοιτο πᾶν, Ἑρμῆν πέμπει ἄγοντα εἰς ἀνθρώπους αἰδῶ τε καὶ δίκην, ἵν᾽ εἶεν πόλεων κόσμοι τε καὶ δεσμοὶ φιλίας συναγωγοί, *Iupiter humanæ ſaluti conſulens, Mercurium miſit, pudorem & juſtitiam hominum cœtibus illaturum, ut duo hæc civitates ornarent, devincirentque, & mutua benevolentia cives conciliarent.* Similia leguntur apud *Plutarchum,* f) alios.

c) *de Orig. I. Nat. art. 4. §. 2.*

d) *Theætet. f.* 128.

e) *Protag. f.* 198.

f) *t. I. opp. de his qui ſero à Num. pun. f.* 550.

§. 6.

§. 6. Conſentit itaque ſanior Gentilium & Chriſtianorum diſciplina, quod debeámus in agendo eſſe juſti, & juſtas edere actiones, uti DEUS juſtus eſt, ejuſque juſtæ ſunt actiones, quem finem à DEO intentum in creatione agentium rationalium, eumque immutabilem eſſe, ex dictis conſtat. Verum uti ratio juſti, à quo humanæ actiones juſtæ denominantur, in illis exurgit ea ratione, & immutabili neceſſitate, qua, *ſi trianguli alicujus duo anguli fuerint æquales, etiam latera æquales angulos ſubtendentia, erunt æqualia*, ceu Mathematici demonſtrant ex *Euclide*: a) Ita ſtatuum diverſitas, cum objectum ſive res, atque perſonæ, in illis quoque varient, ejuſmodi conditionem rei, ſeu objecti, infert, quæ non indifferenter omnes admittit actus, ſed certos tantum circa ſe, ceu ſibi congruos, depoſcit. Sic actus qui juſtus eſt ratione rei propriæ, vigore dominij, ceſſat eſſe talis, quando res iſta propria eſſe deſiuit, cum ſtatus iſtius ſit mutatus, & proin non amplius conveniens actus objecto, qui ante talis fuerat. Ita ſtatus perſonæ obligat eandem ad hos, non illos, ceu juſtos actus exercendos, cum adverſus ſe, tum adverſus alios in vita ſociali. Ita non minus pie, quam ſcienter, Joſephus impudicæ heræ, à qua ad adulterium ſolicitabatur, facti injuſtitiam ob oculos poſuit, ab utriuſque ſtatu, & inde manante utriuſque debito, Potiphari præſtando à ſe,

a) *Elem. l. 1. prop. 5.*

Digitized by Google

à ſe, ceu ſervo, iſti tanquam hero ſuo, ab hera, ceu uxore, eidem ceu marito. *Dominus*, inquit, b) *meus non cognovit mecum, quid eſſet in domo, & omne quod eſt ei, dedit in manu mea. Et non prohibuit à me quicquam, niſi te, in eo quod tu ſis uxor ejus.* Duo ſic idem faciunt, etſi non ſint idem; & duo etiam cum faciunt idem, non eſt idem. Hic nimirum contingere poteſt, ut variet ſtatus agentium, unde non idem jus agendi, nec eadem ratio juſti in actione; cum ibi non variet. Hinc *etiam puerum* c) *ætas excuſat, fœminam ſexus, extraneum libertas, domeſticum familiaritas*, ut *Seneca* d) loquitur, non item alium.

b) *Geneſ.* 39. 9.

c) *Conf.* 1. *Cor.* 13. 11.

d) 3. *de ira c.* 24.

§. 7. Licet itaque ratio juſti, quod per ſe tale, immutabilis ſit, actionibus tamen, quibus juſtum ineſt, & quæ juſtæ denominantur, ob objecti, perſonæ agentis, & aliarum circumſtantiarum immutationem, varias quoque accidere mutationes, varieque eandem ineſſe, res ipſa docet. Variat nimirum ratio loci, & conditionis, in qua quis vivit in vita ſociali & civili, ſic ut alius belli, alius pacis ſtatus ſit; alius ſit liber, alius ſervus; alius imperans, alius parens; alius ſacerdos, alius ſecularis; alius perſona publica, alius perſona privata. Quod juſtum eſt in bello, ex ratione defenſionis, vel vindictæ, res nimirum alterius perdere ſine injuria, non juſtum eſt in pace, qua *non prælia feſſos ulla vocant, certos non rumpunt claßica ſomnos*:

Iam

Iam conjux, natiq; rudes, & ſordida tecta, & non deductos recipit ſua terra colonos, ut canit *Lucanus*. a) Juſtum eſt ſi puniunt imperantes, injuſtum ſi Magiſtratu, quem gerunt, depoſito, privato nomine ſcelera vindicatum eunt. Hero *in mancipio*, ut *Seneca* b) monet, *cogitandum, non quantum illud impune pati poſſit, ſed quantum permittat æqui boniq; ratio, quæ parcere etiam captivis, & pretio paratis jubet. Cum enim in ſervum omnia liceant, eſt aliquid quod in hominem licere commune jus vetet.* Viciſſim explicante *Salviano*, c) *nulli ſervorum licet* domino imperante, *inſolentiſſima abuſione quod placuerit aſſumere, quod diſplicuerit repudiare.* Juſti hujus in his, & ſimilibus actionibus, fundamentum atque ratio eſt, quod ſtatui rerum & perſonarum, circa quas agendo verſamur, certa tantum, non quævis actio quocunque modo recte, debitoque modo applicari poſſit, niſi turbare velimus cum ordinem & decorem vitæ ſocialis, ipſam denique vitam ſocialem, tum ipſum etiam ordinem ſubordinationis immutabilis, qua fini in creatione à DEO intento, etiam actiones mortalium neceſſario convenire debent, *ut DEO præſtentur, quæ DEI ſunt*, d) ipſo *Chriſto* Doctore, & proximo quæ proximi, ut ſic ordo iſte univerſalis, & harmonia in agendo omnium agentium, à DEO in creatione ex lege ipſius æterna intenta, obtineatur. Idem *Paulus* vult, e) ἀπόδοτε, inquiens,

a) *l.* 4. *v.* 393.

b) *de Clem. l.* 18.

c) *de guber. Dei l.* 3. *p.* 81.

d) *Math.* 22. 21.

e) *Rom.* 13. 7.

quiens, ἀπόδοτε οὖν πᾶσι τὰς ὀφειλὰς, *reddite ergo omnibus debita. Theophylacto*, f) appellatur debitum *inexcuſabile*. Nam ut ſtatus mundi bene ſe habeat, non tantum in agentium naturalium, ſed & moraliter agentium actionibus ordo aliquis, & harmonia eſſe debet, reſpondens ordini, & harmoniæ rerum, & ſtatuum, in magna humani generis conſociatione. Etiam DEUS bene omnia & ſapienter ordinaturus, ad eundem in prima rerum creatione reſpexit. Congruit dictis diſciplina *Ciceronis* g) etiam, de juſto, quod diverſarum ſocietatum & ſtatuum homines, & quo ordine, ſibi invicem debent, eximie diſſerens.

f) *h. l.*

g) 1. *Offic.* 16 *ſqq.*

§. 8. Etſi vero obſcurum amplius non ſit, leviter de juſtitia & juſto ſenſiſſe *Carneadem*, apud *Lactantium* a) ſtatuendo, *aut nullam eſſe juſtitiam; aut ſi ſit aliqua, ſummam eſſe ſtultitiam, juſtumq; ac bonum ſtultum*: Satis etiam incongrue *Hobbium*, b) merito à *Templero*, c) Anglo Doctore, hoc nomine notatum, aſſeruiſſe, *quod ad actionis honorem attinet, modo actio magna & ardua ſit, & proinde magnæ potentiæ argumentum, utrum juſta aut injuſta ſit, parum referre*; pronuntiantem etiam, *pugnam ſingularem privatorum, quamvis illicitam, tamen honorificam eſſe*, cum genuinum honoris fundamentum virtus ſit: Non tamen probamus diſciplinam *Velthuyſij*, d) juſto liberalioris, cujus hæc eſt ſententia: *Cum ad tuendam ſanitatem, & corporis integritatem,*

a) *l.* 5. 17.

b) *Leviath.* c. 10. *p.* 47.

c) *Idea Theol. Leviath. dogm.* 2. *p.* 27.

d) *de princip. juſti & dec. P. II. opp. p.* 1002.

tatem, jus habeam, quicquid ſequetur actionem ſua natura ſubordinatam iſti conſervationi; & ad quam actionem, ex lege conſervationis ſui, jus habeo; & qua actio per cauſam veram moralem efficacem producendi effectum conſervationi oppoſitum, illud citra peccati labem ſequi ad meam actionem permitto. Quare licebit medicata potione uti ad recuperandam collapſam ſanitatem, licet ſciam ſecuturam alienationem mentis & ebrietatem; licebit admittere clyſteris infuſionem, licet conſtet eam ſecuturam ſeminis effuſionem. Habet enim & *lex conſervationis ſui* ſuos terminos, non ſolum jus ſuperioris, & magis univerſale, ſed & neceſſitatem honeſtatis, cui neceſſitas incolumitatis, ad quam lex conſervationis ſui pertinet, cedit; tantum abeſt, ut hæc illius terminus eſſe, vel jura incolumitatis ut ſic, neceſſitatis origines eſſe poſſint. Abortus ſane uſum medicatæ potionis ad recuperandam ſanitatem non aliter ſequitur, quam mentis alienatio, & ebrietas; num vero licebit tali potione uti recipiendæ ſanitatis gratia, etſi gravida ſciat, ſecuturam eſſe prolis abortionem? Non abnuunt equidem *Rodriquetz* e) apud *Samuelem de Lublino*, f) *Sanchez*, g) *Fernandez*, h) cautius licet aliquanto loquens, & qui apud *Dianam* i) permittunt, *ad evitandum periculum vitæ, & infamiæ puellæ prægnantis, procurare aborſum, ſi fœtus non ſit animatus.* Sed rectius alij negant, cum in vitam alterius, qui per omnia pari

e) *r. l. c. 5. concl.* 1.
f) *Sum. P. II. tit. abort. §. 9.*
g) *l. 9. de matrim. t. 3. diſp. 20. n. 13. ſqq.*
h) *Ex. Theol. Mor. P. IV. c. 12. §. 2. n. 4.*
i) *P. VI. Reſol. Mor. tr. 8. Reſ. 37. f. m. 298.*

Digitized by Google

pari mecum jure gaudet, mihi tale jus, illum ſcil. perdendi, non competit. Vim vi repellere licet; ſed ſi ſciam mei Principis inde ſecuturam cædem, non licet; nam is amandus eſt ultra privatas neceſſitudines, monente ex

k) *l. B. P. II. 1. 9.* *Seneca Grotio.* k) Limitatur ergo hic lex *de conſervatione ſui*, per magis univerſalem cauſam, & jus inde natum magis univerſale.

§. 9. Etſi vero unde aliquid alteri debeatur, ex dictis ſatis conſtare poſſit, diſtinctius tamen rem explicando addimus, debere ſibi invicem mortales aliquid, *vel* ex ordine rerum univerſali, quo actiones noſtræ ſint conformes bono illi ordini, qui ex divina intentione inter omnia agentia, & ſic etiam inter DEUM & homines, homineſque ipſos eſſe debet, quemque cum mundi ſtatus, tum rerum humanarum perfectio, humanique generis ſocialitas, atque humana conſociatio requirunt: *Vel* ex ordine vitæ ſocialis, qui ſola juſtitia, ejuſque exercitio conſtituitur, & incolumis ſervatur: Cujus merito *tantam*

a) 2. *Offic.* *vim eſſe* dixit *Cicero*, a) *ut nec illi qui ſcelere paſcuntur, & maleficio, poſſint ſine ulla particula juſtitiæ vivere.* Sicut enim partes ædificij apte inter ſe & harmonice conjungi, atque invicem apponi debent, ita per juſtitiæ officia multitudo ſocietatis rite, apte, & harmonice ordinatur, quo cœtus talis ſtare poſſit. *Vel* ex ordine particulari ſtatuum, quibus homines à ſeinvicem etiam diſtinguntur.

Hi

Digitized by Google

Hi ut fini mundi, qui eſt gloria DEI, & ſalus humani generis, & quæ illa ſimul includitur, uniuscujuſque conſervatio, apte reſpondeant, decenter quoque & harmonice inter ſe, ut dictum, ordinari debent; quod fit, ſi actiones, eo quo debentur modo unicuique, invicem exercentur. Hoc juſtum uti fundatur in ipſa rerum rectitudine, uti in ipſa natura trianguli æquilateri hujus datur rei ratio, quod, uti *Euclides* b) loquitur, *τρεῖς ἴσας ἔχει πλευράς, tria habeat æqualia latera*; ita tale eſt ante omnem legem. Hoc cum in ſe, & naturaliter tale, atque lege etiam naturali, ut in actionibus noſtris detur, præceptum eſt, juſtum naturale hinc appellatur; uti quod leges civiles, vel gentium etiam jus præcipit, juſtum audit poſitivum.

b) *Elem. prim.*

§. 10. Cæterum hoc *juſtum poſitivum* uti variat, ita variat quoque ejuſdem æſtimatio. Hoc modo juſtum enim dicitur, jam quod fas, & proin LL. etiam præceptum, vel conceſſum; jam quòd non quidem fas, apud homines tamen pœnæ non ſubjacet, & per leges licet, vel alia jura voluntaria. Rationem dat *Ariſtoteles*: a) *ὁ γὰρ νόμος δίκαιόν τι, nam & lex juſtum quid eſt.* Juſti ergo denominationem quoque conſequitur actio, quæ legi, ceu normæ, conformis eſt, ita ut juſta denominetur, jam juſtitia interna, quando ſcil. in jure ſtricte ſic dicto, aliarumque virtutum præcepto eſt poſita, vel ei non re-

a) 1. *Polit.*

Eee pu-

pugnat; jam juſtitia externa, quod ſcil. impune, & per leges, normam juſti rectique, φαινομένως licet talem, fiat, & quod, uti *Grotius* b) loquitur, *judicia coactiva ſuam illi autoritatem accommodent, exorbitet licet à regula.* Hoc modo id quod juſtum eſt metitur, ejuſdemque menſura audit, tam gentium jus, quam jus civile. Utrumque jus hoc facit, vel concedendo facultatem ad agendum; vel permittendo tantum: Nimirum non prohibendo, nec impedimentum aliquod ponendo, & nihil circa aliquod objectum lege quid conſtituendo. Effectus hujus juſti externi eſt licentia, & impunitas; non facti, quoad ea quæ hoc modo permiſſa tantum ſunt, approbatio. c) Rem exemplo ſic declarat *Porphyrius*: d) Ἐπειδ' ὐδ' ἑταίραις ὁμιλεῖν ἀπαγορεύει τοῖς πολλοῖς, ἀλλὰ καὶ πραττόμενος ταῖς ἑταίραις τὸ μίσθωμα, ἐπονείδιστον ἡγεῖται μετρίοις ἀνδράσιν, καὶ αἰσχρὰν τὴν πρὸς ταύτας ὁμιλίαν, *enimvero lex vulgus non prohibet, ne meretricibus conſueſcat, ſed à meretricibus ipſa mercedem exigens, hominibus tamen media tantum bonitatis probroſam, & turpem cum meretricibus cenſet eſſe conſuetudinem.* Quanquam itaque lege talia permitti, licere, juſtaque etiam eſſe dicantur, quod lege ſint permiſſa; pudor tamen, hoc eſt æqui & boni, aut certe ejus, quod æquius meliuſque eſt, eadem vetare recte aſſeritur, *Grotio* e) explicatum.

b) *I. B. III.* 10. 1.

c) *Grot. I. B. P. III.* 4. 5.

d) *de abſtin. l.* 4. *c.* 18. *p. m.* 171.

e) *I. B. P. III.* 10. 1. *III.* 4. 2.

§. 11.

§. 11. Cauſa quare gentium jus, & civile, juſtum in actione ſic diverſimode metiantur, ut noñullæ actiones ex internæ juſtitiæ regulis non provenientes, juſtitiæ cujuſdam externæ æſtimationem inde conſequantur, quod tali jure ſint conceſſæ, vel permiſſæ, primo eſt *licentia*, ſeu quod ſint licitæ, & impune per leges iſtas committantur, impunitate nimirum exteriori. Speciem juſti hinc præ ſe ferunt juſti legalis, cum lex præſumptionem juſti pro ſe habeat. Deinde quod ejuſmodi actus, qui ſic impune perpetrantur, effectus jurishabent, qui ex illis, ſi ſecundum jus naturæ æſtimantur, atque ſecundum veræ & internæ juſtitiæ regulas examinantur, non proveniunt, ita ut qui bellum ratione cauſæ injuſtum gerit, &, ut *Grotius* a) loquitur, *quivis in bello ſolenni, & ſine fine modoque dominus fiat eorum, quæ hoſti eripit,* nec tanquam homicida, vel fur accuſari, & puniri poſſit, quod temperamenti bellici, & juſtitiæ internæ regulas tranſgreſſus fuerit. Cur vero gentium jus, vel civile, talia non ſolum impune committi permittant, ſed & juris, externi licet, rationem eis tribuant, diſtincte explicari debet.

a) *l. B.P. III. 6. 2. III. 4. 3.*

§. 12. Gentium Jus itaque quod attinet, quod pacto populorum, atque conſuetudine, poſſit certis actibus ratio juſti attribui, *non talis* quidem, ut cum *Grotio* a) rurſus loquar, *quod actum omni culpa liberet*; ſed

a) *l. B.P. III. 4. 5.*

quod non ſolum impunitatem eidem inter gentes, & in foro humano conciliet, verum etiam certos juris effectus eidem, dominij v. c. tribuat, dubium non eſt. Sicut enim aliâs gentes obligationem, qua propter damnum ex maleficio datum, altera alteri ad reſtitutionem tenetur, ſibi invicem remittere poſſunt, ita & hic. Cum enim iſti effectus juris ſint voluntarij, & à gentium libera voluntate dependeant, nil impedit, quo minus ex agendi libertate etiam attribuant ejuſmodi actibus, quos pro permiſſis habent, certos effectus juris, in quos ſive tacite, ſive expreſſe conſenſerunt. Et ſane ex tali gentium conſenſu effectum juris, & juſtitiæ, tribuit illis Marcellus, quæ Syracuſæ obſeſſæ & captæ paſſæ ſunt, excipiens coram Senatu Romano contra victos, ſui accuſatores factos, apud *Livium*: b) *Non quid ego fecerim in diſquiſitionem venit, quum quicquid in hoſtibus feci, jus belli defendit*; poſtulans à Patribus, ut *acta ſua rata habeant*; quod etiam factum. A *Xenophonte* c) hoc belli jus, cui gentium conſenſu effectus juris tribuuntur, à temperamenti bellici æquitate licet exorbitet, appellatur *νόμος ἐν πᾶσιν ἀνθρώποις ἀΐδιος*, *ſempiterna lex inter homines*. Quod autem, & cur ita gentibus placuerit, ut actibus quibuſdam certos juris, impunitatis ſcil. effectus tribuerent, qui, cum à temperamenti regula abeunt, ex regulis juſtitiæ interioris non

b) *l.* 26.

c) *de Cyropæd. l.* 5.

non proveniunt, docet *Grotius.* d) Ita nimirum urget rerum humanarum imperfectio, qua genuinum in rebus ſervare modum aut non poſſumus, aut neſcimus. Quanquam enim, *Cicerone* e) monente, *ulciſcendi & puniendi modus ſit*, ubi tamen non vis præſens eundem ſervare cogit, tantum abeſt ut inter gentes liberas pudor id obtineat, ut potius, impetu armorum abripiente, jam rabies mortalium in furorem effuſorum, jam vindictæ ardor, jam juſta indignatio, jam neceſſitas in quam injuſta vis hoſtilis conjicit, omnem modum ſuperare nitatur, animi perturbatione tali armorum ſtrepitu, quo non omnia rigide examinare, & obſervare exacte licet, prævalente. Pertinet huc locus inſignis *Demoſthenis*, f) quando rationem redditurus, cur Charidemi militis contra Athenienſes bello facta non numeret ἐν ἀδικήματος μέρει, *inter injurias*, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, *viri Athenienſes*, inquit, αἱ ἀναγκαῖαι χρεῖαι τοὺς τοῦ τί πρακτέον, ἢ μὴ, λογισμοὺς ἀναιροῦσιν ἅπαντας, ὥς τ' οὐ πάνυ ταῦτα ἀκριβολογεῖσθαι δεῖ τὸν δικαίως ἐξετάζοντα, *neceſſitatis vis & inopia cogitationes, quid ex officio ſit, quid contra officium, tollit univerſas. Quare iniqui cenſoris fuerit, hæc omnia accuratius ad calculos revocare.* Quare cum ob hanc cauſam, tum quod quilibet ſuas agendi rationes optime omnium novit, viſum fuit gentibus, circa talia nullam vindictam publicam definire, ſed extra eandem

d) *l. B. P. III.* 4. 4.

e) 1. *Offic.* 11.

f) *Orat. adv. Ariſtocrat. f.* 449.

potius locare. Hinc ceu permiſſa etiam juſti aliquam ſpeciem inducere cœperunt, quod impune talia inter gentes liberas committere liceret, extra tamen rationem diſpenſationis. Nam hujus declaratio eſt à ſuperiori, ceu diſputat *Vaſquius*, g) qui inter gentes pares non datur, quas pacto tacito & conſuetudine tale quid inducere, alibi docetur.

g) *Controv. Illuſtr. l. 1. c. 25. n. 6.*

§. 13. Jura civilia vero quod in juſti æſtimatione ita varient, ut actus pronuncient juſtos, qui tamen omni juſtitiæ naturali adverſantur, uti Lycurgi lege apud *Plutarchum* a) *furta* aſtute, & caute peracta, probata fuerunt; & plane turpes etiam ſunt, uti, ex *Trogo Pompejo* Epitomatore *Juſtino* b) commemorante, apud Cyprios virgines, *ante nuptias ſtatutis diebus dotalem pecuniam quæſitura, in quæſtum ad littus maris emittebantur, pro reliqua pudicitia libamenta Veneris ſolutura.* Plura collegit *Sextus Empiricus.* c) Ex *Bardeſanis Syri* fragmento refert *Euſebius*, d) quod, ſi quis *apud Parthos & Armenios* φονεύσῃ γυναῖκα αὐτῦ, ἢ ἀδελφὸν ἄτεκνον, ἢ ἀδελφὴν ἄγαμον, ἢ ὑιὸν, ἢ θυγατέρα, ὐκ ἐγκαλεῖται ὑπό τινος, *aut uxorem, aut fratrem liberis orbum, aut ſororem innuptam, aut filium, aut filiam occiderit, nemo accuſet.* Addit: νόμυ τοιύτυ ὑπάρχοντος ἐν ταῖς χώραις ἐκείναις, *hoc enim ut liceat, certa populorum iſtorum lege cautum eſt.* Cum apud Græcos, & Romanos, acerbiores pœnæ conſtitutæ ſint adverſus propinquorum, & affinium

a) *Lycurg. f. 50.*
b) *l. 18 c. 5 add. not. Berneg.*
c) *Pyrrhon. hypotyp. l. 3. c. 24.*
d) *Præpar. Evang. l. 6. c. 8. Trap. al. f. 10.*

nium interfectores. Nolumus hujus generis plura coacervare, quod præter laudatos alios præſtitiſſe conſtat. Oppido quippe verum illud *Plutarchi*: e) Νόμοι διαφέρουσιν ἀνθρώπων, ἄλλα δ' ἄλλοις καλά, *leges mortalibus diſcrepantes ſunt; aliis alia honeſta.* Cauſa hujus diverſitatis non eſt eadem. Non equidem negaverim, in LL. à tyraño latis, & definitione juſti à tyrañis facta, obtinuiſſe illud Thraſymachi apud *Platonem*, f) ὅτι ἡ μὲν δικαιοσύνη τε καὶ τὸ δίκαιον, ἀλλότειον ἀγαθὸν τῷ ὄντι, τοῦ κρείττονός τε καὶ ἄρχοντος ξυμφέρον, οἰκεία δὲ τοῦ πειθομένου τε καὶ ὑπηρετοῦντος βλάβη· Ἡ δ' ἀδικία τοὐναντίον, καὶ ἄρχει τῶν ὡς ἀληθῶς εὐηθικῶν τε καὶ δικαίων· Οἱ δ' ἀρχόμενοι ποιοῦσι τὸ ἐκείνου ξυμφέρον κρείττονος ὄντος, καὶ εὐδαίμονα ἐκεῖνον ποιοῦσιν, *quod juſtitia juſtumq; alienum ſit bonum, ac revera imperantis & potentioris emolumentum, detrimentum vero proprium obedientis & ſubditi: Injuſtitia vero contra vere ineptis & juſtis dominetur: Qui autem parent, faciant quæ imperanti potentioriq; conducunt, illumque obſequio beatum reddant, ſibi autem ipſis non conſulant*: Uti nec penitus id inficias iverim, quod diſciplinæ hujus interpolator Carneades poſtea in vulgus edidit, apud *Lactantium*, g) *jura ſibi homines pro utilitate ſanxiſſe, ſcilicet varia pro moribus, & apud eoſdem pro temporibus ſæpe mutata*: Cum hoc genus hominum, dari utile quod non ſit juſtum cenſentium, jam olim notarint *Euri-*

e) t. 1. Them.

f) de Rep. l. 1. f. 416.

g) l. 5. c. 17.

h) *Heracl. princ.* *pides* h) & *Iſocrates.* i) Certum tamen etiam
i) *Orat. de pac. p. m.* 302. eſt, alia paſſim impedimenta prudentiæ Politicæ, quæ eſt in diſcretione honeſtorum & turpium, hic regnaſſe, ut ſunt præter naturæ corruptionem, & imbecillitatem, pervincente impetu affectuum, prava educatio, & conſuetudo, euntibus malis moribus & exemplis etiam in leges, prolixius explicatum B.
k) *Diſſert. Polit. II.* *Bœclero.* k) Ita *Lactantius* l) refert, *Venerem*
l) *l.* 1. *c.* 17. *autorem mulieribus in Cypro fuiſſe, uti vulgato corpore quæſtum facerent, ne ſola præter alias mulieres impudica, & virorum appetens videretur.*
m) *Hiſt. Eccleſ. l.* 4. *c.* 26. Scriptore etiam *Socrate* m) Valentinianus Imp. ducturus Juſtinam quandam, ob formæ venuſtatem, in uxorem, Severa non repudiata, *legem tulit, ut cuiq; volenti liceret duas uxores habere legitimas.*

§. 14. Contingit præterea ut juſti æſtimatio, uti in legibus, ſic in actionibus ſit ambiguæ æſtimationis. Ita viri judicii cætera acrioris, *Covarruvias*, & *Fernandus Vaſquius*, diſſentiunt inter ſe, in quæſtione: An interfectio hominis, adulteri v. c. juſta ſit juſtitia tantum externa, an vero etiam jure in-
a) *t. I. P. II. c.* 7. §7. *n.* 15. terno. *Covarruvias* a) illi favet potius ſententiæ, *quod viris non liceat abſq; mortali peccato uxores, etiam in adulterio deprehenſas, occidere.* Verum uſque eo vehementer eum exce-
b) *Controv. illuſt. P. II. l.* 4. *c.* 8. §. 4. pit *Vaſquius,* b) ut *opinionem hanc nefandam* ſibi viſam aſſerere non dubitaverit, cui tales leges *juſtiſſimæ* cenſentur, licet ob rationes

non

non tanti momenti. Extendi poteſt ad alios caſus etiam quæſtio. Sic enim autor eſt *Iuſtinianus*, c) quod ſeditione in Creta aliquando orta, quum ſicaria manu nonnulli interfecti eſſent, *publico edicto ſtatutum fuerit ingens præmium interficientibus percuſſores, aut tradentibus vivos in poteſtatem regiminis.* In legibus etiam *juris militaris Germanici* Imperiali ſtatuto ſancitur, d) *ſi quis ordines egredi, & agmine egreſſus cogenti in ordinem reſiſtere auſus fuerit, ut impune occidatur.* Ne dicam, in *articulis militiæ Imperij equeſtris* e) cenſeri, *non peccaſſe* non ſolum, ſed *gratias talem promeruiſſe* potius, *ſi quis fugam capeſſentes, aut molientes, ſclopo aut gladio petierit.* Non improbamus, quod *Grotio* f) etiam monetur, leges jam *indulgendo pœnam humanam tollere, non vitium*; jam *jus ac poteſtatem publicam privato concedere, ita ut jam privatus non ſit.* Excipimus tamen cum B. *Bœclero*, g) *in nonnullis ambigendi cauſam ſubeſſe, an venia proſequi cædem, vel juſtam pronuntiare voluerint leges.* Finge etiam hoc poſterius LL. voluiſſe; nil tamen impedit, quo minus leges ita latæ ſub examen interdum revocentur, annon ita permittendo terminos juſtitiæ internæ egreſſæ fuerint. Præterea cum juſtum duplex ſit, aliud *naturale*, aliud *civile*; hoc poſteriori tantum modo juſta actio, ex vi permiſſionis legalis poſitivæ, facta eſſe, vel fieri, judicari de-

c) *Hiſtor. Venet. l.* 3.

d) *Art. Pedeſtr. milit. art. pedit. Germ.* 12. *ad. art.* 22.

e) *art.* 63.

f) *I. B. P. II.* 20. 17.

g) *Comm. Grot. P. II. p.* 26.

debet, cum naturale juſtum ex aliis oriatur principiis.

§. 15. An *neceſſitas* principium juſti in actione ſit eandemque juſtam juſtitia interna reddat, etiam quæri poteſt. Cenſendum vero, id quod per ſe malum & injuſtum ſimpliciter eſt, ſolam ſupervenientem neceſſitatem, ſeu caſum neceſſitatis, non ſic immutare, ut fiat juſtum & bonum. Quanquam enim ejuſmodi rerum ſtatus ſub diverſa facie objectum exhibet, atque ante erat, ratio tamen, ſeu fundamentum injuſtitiæ tam intime haud raro objecto actionis inhæret, ut nulla neceſſitas ab hoc, & actione circa illud occupata, ſeparare illam poſſit. Sic ex nulla neceſſitate licet, ceu juſtum, DEUM blaſphemare, abnegare, proximum innocentem interficere. Ratio enim juſti, quod alteri hic debetur, ſuperior & potior eſt, quam ut inferioris, & minus potioris neceſſitati cedat, quæ iſti potius cedere tenetur, ceu digniori. Inter pares vero juris æqualitas vult, ne quis, cum alterum æquo ſecum jure frui teneatur permittere, cum ejus pernicie, & damno, ſuam quærat ſalutem. Ex ſociali erga alios affectu ſuas portare debet neceſſitates, quibus affligitur, ſi abſque illorum damno ab illis liberari non poteſt. Interim non negamus, ex perſonæ, aut cauſæ favore, vel aliarum etiam circumſtantiarum ratione, contingere, ut intuitu infirmitatis humanæ, venia & miſeratio-

tione dignum factum ex neceſſitate commiſſum videatur; & quæ tali rerum ſtatu permiſſa cenſetur defenſio, inſtitui debeat, *non tam præſcriptione juris & directa via, quam excuſatione infirmitatis humanæ, per vocabula veniæ, & miſerationis, & Clementiæ*, explicante *Bœclero*. a)

a) *Comm. Grot. P. II. p. 66.*

§. 16. Contingit etiam ſæpe, ut factum aliquod à juſti, rectique regula aberrans, *innocenti* committatur *propoſito*. Ita cum civem de juſtitia, & prudentia ſui legiſlatoris bene ſentire deceat, contingere poteſt, ut ſecundum legem injuſta permittentem agat, exiſtimans ſe agere ex regula juſti, atque honeſti. Refert *Hugo Grotius* a) inter *leges plane injuſtas* & illam, *quæ bona naufragorum fiſco addicit.* Cumque ex *Bodino* b) & *Seldeno*, c) notante *Loccenio*, d) apud Gallos, Anglos, Neapolitanos, Siculos, & alios populos mos hic invaluerit; quem de Ducatu Megapolitauo in Germania etiam *Crantzius* e) notavit, & in Dania etiam obtinuiſſe *Conſtitutiones Iuticæ* f) teſtantur; ad Gentium jus eundem referre non dubitavit in ſuperiori ſeculo Annas Mommorancius, in Gallia Magiſter equitum, *Bodino* g) explicatum. Cui hinc *error jus feciſſe* dicitur, cum quo apud bonos innocens concurriſſe propoſitum, non dubitamus, faciendi nimirum id, quod moratiorum gentium conſenſu, & conſuetudine probatum, vel probari creditur. *Opinio vero,* inquit

a) *I.B.P.II. 7.1.*
b) *1. de Rep. c. ult.*
c) *Mar. clauſ. l. 5. c. 25.*
d) *Iur. marit. l. 1. c. 7. n. 8.*
e) *Vandal. l. 13. c. 40. l. 4. c. 1.*
f) *l. 3. c. 63.*
g) *l. c.*

Digitized by Google

h) *Comm. Grot. P. II. p. 22.*

inquit B. *Bœclerus*, h) *quam civis de legislatoris juſtitia & prudentia habuerit, licet omne in re vitium non extinguat, opinantem tamen propoſito delinquendi vacare oſtendit.* Accidit etiam, ut aliquis civilem legem, ceu naturali æquitati conſentaneam, nec divino juri repugnantem, concipiat, atque agat ex honeſto, non ſcelerato propoſito, ex errore legis non recte intellectæ, non ſcientia. Quo facto licet opus juſtum, & rectum dici non mereatur, in προαιρέσει tamen perſonæ agentis, unde actio eſt profecta, cum nulla fuerit malitia, vel injuſtitia, ipſa neque injuſtitiæ accuſari, nec injuſte, ſed potius, quantum in illa fuit, juſte egiſſe dici poteſt, injuſtum licet, quod egit, opus fuerit. Cæterum uti error diverſimode cauſa actionis eſſe poteſt, ita ut eo non dato etiam non fuiſſem acturus, ſic & innocentis propoſiti, & actionis, conatuſque ex ejuſmodi innocenti propoſito ſecuti.

i) *Gen. 20. 2.*

Ita perſuaſus ab Abrahamo i) Abimelechus, Palæſtinæ auſtralis Princeps, Saram ipſius eſſe ſororem, ob pulchritudinis præſtantiam legitimo matrimonio illam ſibi jungere voluit, propoſito non injuſto. Proteſtatur enim coram DEO, ſe *ſimplici corde*, hoc eſt, ſine dolo, id feciſſe. בתם *in perfectione*, inquit, *cordis mei, & in munditia manuum mearum feci hoc*, ut Saram ſcil. alieni viri uxorem, matrimonio ſibi jungeret, ipſo DEO juſtitiæ & ſimplicitatis cordis laudem ei

tri-

tribuente, & ab adulterij intentione eundem abſolvente: Ipſe licet Abimelechi conatus circa alienam uxorem fuerit injuſtus, ſi ſpectetur ſimpliciter. Unde *Grotius*, k) cum inter juſtitiam operis, & operantis, ſeu *juſtitiam, quæ ad opus pertinet, & eam quæ pertinet ad operantem*, diſtinxiſſet, illamque *poſitivam*, hanc *negativam* vocaſſet, addit: *Ipſe operans juſte agere interdum dicitur, quoties injuſte non agit, etiamſi id quod agit juſtum non ſit: quomodo recte diſtinguit Ariſtoteles*, l) *τὸ ἀδικεῖν, & τὸ ἄδικον πράττειν, injuſte agere, & agere quod injuſtum eſt.* Infert hinc, quod attinet quæſtionem à multis agitatam, *an bellum utraq; ex parte juſtum detur, poſſe fieri, ut neuter bellantium injuſte agat; quod injuſte agat nemo, niſi qui & ſcit, ſe rem injuſtam agere; multos autem id neſcire*: Etſi reſpectu operis, h. e. belli ipſius, bellum utrinque juſtum eſſe neſciat. Conſentiunt *Albericus Gentilis*, m) & *Zouchæus*. n) Ejuſdem diſciplinæ eſt aſſertio *Fernandi Vaſquij*, o) *bellum injuſtum quoad principes, non eſſe injuſtum quoad milites, qui non habeant malam fidem.* Ex Theologis etiam B. *Calovius* p) conſiderans Abimelechi factum, juſtum eum pronuntiat, *juſtitia cauſæ, quia inſcius, & ignarus conditionis Saræ, eam adduci curaverat.* Addit tamen, q) *prorſus à peccato eum abſolvi non poſſe*, etſi injuſte nec egerit, nec injuſtum propoſitum habuerit, *quia inquirere potuiſſet, ac debuiſſet diligentius*, an-

k) *l. B. P. II.* 23. 13.

l) *Eth.* 10. 11. *Rhet. l. c.* 13.

m) *l. B. l. II c.* 6.

n) *Iur. Feciel. P. II. ſect.* 6. *q.* 2.

o) *Controv. illuſt. l.* 1. *c.* 9. *n.* 16.

p) *Comm. in Gen.* 20. *p.* 3. *n.* 8.

q) *l. c. n.* 6.

antequam animum induceret Saram ducendi, utrum ea juncta eſſet matrimonio, nec ne. Unde relinquitur, innocens propoſitum ex ignorantia exortum, ſi ea ſit probabilis, excuſare in tantum, ab injuſtitia facti ſcil. non ab injuſto opere, non in totum, niſi ſit invincibilis, & nulla noſtra culpa contracta. Sed hac de re ſupra r) etiam fuit actum.

r) *p* 594.

§. 17. Diſquirendum reſtat, an principium juſti, extraordinarium licet, in actione etiam ſit, vel eſſe poſſit *ratio ſtatus*, & *belli*, ita ut ſub æſtimatione juſti, atque recti, & committatur & omittatur, defendatur etiam, ceu actio juſta, & juſte factum, quod abſolute & ſimpliciter ſpectatum, juſtum, rectumque eſſe non cenſetur. Errant qui hic nudam urgent neceſſitatem, & exinde non tantum jus agendi, de quo ſupra, ſed & rationem juſti & recti in actione, ceu nunc quæritur, petere non debitant. Dantur enim, *ad quæ nulla neceſſitas impellere debet*, ſecundum illud Varii Gemini apud *Senecam*: a) Cauſa impellens licet neceſſitas, in qua rerum ſtatus verſatur, eſſe poſſit ad agendum ex *ratione ſtatus*. Hanc quando *Ludovicus Septalius* b) *per habitum intellectus practici, quandamq; ejus ſagacitatem deliberandi de mediis, & modis, quibus inſtituere poſſimus, vel tueri nos in ea forma dominij, in qua ſumus conſtituti*, definit; cum quo *Ludovicus Zuccolus* c) ſtatuit, cui *ars*, vel *facultas* talia faciendi eſſe dicitur, quam

a) *Controv. III. 17.*

b) *de* Ratio *Stat. l.* 1. *c.* 8. *p.* 33.

c) *de Ratio Stat. p. m.* 14. *ſqq.*

quam & *Claromontio* tribuit *Conringius*; d) confundit principium dirigens, atque adjuvans modum agendi extraordinarium, cum ratione, & fundamento, unde iſte modus agendi extraordinarius oritur, & quo ille nititur, quam dicimus eſſe RATIONEM STATUS. Cenſemus enim cum B. *Bœclero* e) noſtro, *per rationem ſtatus proprie dictam non fieri, niſi quæ modo, & ratione extraordinaria & ſubſidiaria, pro certo reipublicæ ſtatu, ad ſummum in republica finem accommodantur.* Quam acceptionem licet in *Scipione Amirato* reprehendat *Fridericus Bonaventura*, f) ſcriptor Italus, quem Latine loquentem introducit *Ioh. Garmers*; g) non eſt tamen, cur à famoſiori acceptione uſu hujus formulæ abeamus. Nam quam ordinariam faciunt nonnulli rationem ſtatus, non ita proprie talis videtur poſſe eſſe. Docet enim uſus loquendi, quod id demum, & quidem potiſſimum, *ratione ſtatus*, atque *belli* defendatur, *quod*, ut loquitur Diſſertatio OBRECHTIANA, h) *à tenore, & regula juris ordinarii defenſionem mutuari non poteſt.* Annuit *Alberic. Gentilis.* i)

d) *de Civil. prud. c. 2. p. 11.*

e) *ad Hippol. à Lap. de* Rat *ſtat. p. 9.*

f) *de Ratio. ſtatus c. 12. l. 3.*

g) *Annot. in Zuccol. de R. S. p. 56.*

h) *de Ratio. belli c. 2. §. 2.*

i) *l. B. II. 18. p. m. 388.*

§. 18. Extraordinarius itaque, atque certus civitatis, & belli ſtatus, cum ſuppeditet conſilia talia agendi, quæ ſunt quidem *contra jura ordinaria*, ut loquitur *Gentilis*, a) juſti tamen, atque recti in actione æſtimationem ex iſto civitatis & belli ſtatu trahunt; quæritur hinc, an iſte certus atque extraordina-

a) *l. c.*

Google

dinarius rerum ſtatus, extraordinarium quoque, atque ſingulare jus agendi largiatur,&, ut verba diſſertationis Obrechtianæ, b) huc accommodemus, *principium practicum ſit, aptum ad concludendum de certis actionibus, & efficax ad producendam concluſionem, qua ſub æſtimatione juſti & recti excuſatur, vel defenditur id, quod abſolute, & ſimpliciter ſpectatum, juſtum rectumq; non eſt*, ut dicere liceat cum *Alberico Gentile*: c) *Et contra belli jura ordinaria aliquid eſt factum, & eſt tamen ab extraordinario, atq; ſingulari jure.* Cenſemus vero extraordinarium illum ſtatum, in quem tam pacis, quam belli tempore, res & ſalus civitatis deducuntur, uti per eundem civitas moralem exiſtentiam plane ſingularem, & extraordinariam nanciſcitur; ita quoque jure agendi ejuſdem ſtatus gaudere, ad actiones etiam extraordinarias & ſingulares exercendas. Habet enim, uti *Puſendorſius* d) rem illuſtrat, ſtatus *analogiam quandam cum ſpatio, quod itidem rebus naturalibus velut ſupponitur, ut in eo ſuam, quam habent, naturalem exiſtentiam ponant, & motus ſuos phyſicos exerceant.* Simili quippe ratione agentia moralia per ſtatum, in quo conſtituuntur, in tali agendi conditione verſantur, ut niſi aliunde impedimentum juris morale accedat, ſub ratione juſti & recti tali rerum ſtatu id agere poſſint, quod abſolute & ſimpliciter ſpectatum, ceſſantibus iſtis circumſtantiis, juſtum rectum-

b) *l. c. c.* 1. §. 4.

c) *l. c.*

d) *Iur. Univ. l.* 1. *def.* 3. §. 1.

rectumque non eſt. Notandum licet ſit, quod ſi iſta juſti rectique æſtimatio ex certo, & ſingulari rerum, tam pacis quam belli ſtatu peti dicatur, non ſic intelligi debeat, quaſi *rerum aut negotiorum conditio ipſam juris atq; honeſti naturam dirigat atq; formet; ſed quia deductis in certum ſtatum habitumq; negotiis Civitatis, belli, ea actiones juri ac honeſtati deſinunt eſſe contrariæ, quæ ſecundum hunc publicorum negotiorum ſtatum habitumque, ad finem neceſſarium, tanquam media propria & adæquata coordinantur*, uti explicat diſſertatio Viri Illuſtris Dn. *Obrechti*: c) *Quæ non juris aut honeſtatis, ſed objecti, rerumq; mutatio eſt: ad id ſolum efficax, ut modo actionem ipſam ab injuſtitia, modo agentem ab injuſtitiæ imputatione liberet: Cujus reatus extra hunc negotiorum ſtatum, atq; adeo citra mutationem objecti, rerumque, huic aut illi adhæſiſſet.*

c) *de Rat. bell. c. 2 n. 3.*

§. 19. Quæcunque enim J. N. præcipiuntur, atque prohibentur, talia ſunt vel *ſimpliciter*, quæ quoſvis homines, & in quovis ſtatu obligant; ſemper, licet non ad ſemper; ſic ut nunquam quidem detur tempus, quo liceat contra agere, caſus licet incidere poſſit, quo agere nequeas, nec tenearis. Religionem & fidem ejurare nunquam licet, verum ut ſemper, quovis in loco & tempore, etiam non interrogatus confeſſionem edas, neceſſe non eſt. Vel ſecundum quid, *hypothetice*, quæ certum aliquem ſtatum, aut actum ab

 arbi-

Digitized by Google

arbitrio hominum dependentem ſupponunt. Quoad illa nunquam ejuſmodi mutatio ſtatus, & rerum contingere poteſt, quæ contrarias illis actiones excuſet, vel probet; quoad hæc eadem contingit, mutato nimirum ſtatu, quem ſupponunt, aut quem tantum concernunt. Nam ultra ſtatum quem reſpiciunt Leges, ſive naturales, ſeu civiles, non obligant. Accidit etiam ejuſmodi objecti rerumque ſtatus mutatio, quando ob rationem, & cauſam magis univerſalem, jus item ſuperioris agendum. Hæc enim quando formant rei ſtatum, quod huic in agendo eſt conforme, deſinit contrariari honeſtati, quod ſub aliis circumſtantiis ſub inhoneſti facie appareat. Duo cum faciunt idem, non eſt idem. Tandem uti cauſa univerſalior, potior & ſuperior, non cedit inferiori, indigniori, minus univerſali, ita nec ex ratione ſtatus, ſub æſtimatione juſti & recti, agere licet contra id quod juſtum eſt, & fieri debet, ex cauſa magis univerſali, potiori, & jure ſuperioris. *Minor ratio majori concedit*, bene ait *Scipio Amiratus.* a)

a) *Differt. in Tac. l. 12. Diſſ. I. p. m.* 159.

§. 20. *Decori*, de quo præclare *Cicero*, a) in actionibus origines repetimus à dignitate & excellentia hominis, quatenus natura ejus à reliquis animantibus differt. Dicimus enim cum *Cicerone*: b) *Decorum eſſe id, quod conſectaneum ſit hominis excellentiæ, in eo, in quo natura ejus*, & conſequenter ejus quo-

a) 1. *Offic.* 27. 35.

b) 1. *Off.* 27.

quoque actiones, *à reliquis animantibus*, & eorum motibus *differant*. Fundatur hæc excellentia in hoc, quod homo ſit animal rationale, & ſociale. Ob rationem homini cum DEO cognationem quandam, & ſimilitudinem intercedere, etiam Gentiles agnoverunt. Hac præſtat belluis. c) Ob ſocialis vitæ appetitum, & naturam per ſe ſocialem, non debemus negligere, quemadmodum nos adverſus homines geramus. Prolixe hoc alibi d) jam explicavimus. Dignitas hæc humanæ naturæ læditur commiſſione talium, quæ irrationali & feræ congruunt naturæ, & bruto potius, quam homini, qui talia committendo peculiari etiam rationi contemtui ſe exponit, ceu indecore ſe gerens, cum dignitatis naturæ ſuæ cuſtodiam & curam habens, decore ſe gerat, & per decoras actiones illam etiam conſervet. Unde contra decorum naturale agentes, *in ſemet peccare* dicuntur *Veltbuyſio*. e) Decorum eſt, animalis ſocialis actiones reſpondere vitæ finis ſocialis, nec ſe difformen ab hoc fine hominem reddere. Finis hic eſt vitæ honeſtas, cum vivendi commoditate. Ab hoc fine ſuis actionibus, quocunque etiam veniant nomine, ſe difformem reddens, & convenienter agens homo, contra ſuam agit dignitatem, & excellentiam, & ejus oblitus indecore agit. Unde laudatus *Autor de principiis juſti & decori* ita monuit: f) *Tunc res fit contra decorum naturale, aut homo*

c) *Cic. 1. de LL.*

d) *de Orig. I. N. art. 7.*

e) *P. II. opp. Princip. juſt. & dec. pag.* 696.

f) *l. c.*

in ſemet peccat, quando aut plane membra & facultates interciduntur; ſic enim ineptus redditur ad vitam & commercium ſociale; *aut directe iu aliquid contrarium admittitur, quam* DEUS *intendit: Aut ſuæ dignitatis obliviſcens, aliquid committit, quod ipſum in contemptum & odium rapere poteſt: ex quo odio & contemtu ſe privat auxiliis, quibus commodius & ſecurius vitam exigere poſſit.*

CORONIS

De

JURIS, ET IMPERII DIVINI RESERVATIS.

§. 1.

EGimus hactenus de illis, circa quæ juriſdictio humana occupatur, juſte & injuſte circa illa verſando; oſtendimuſque genuinos fontes juſti & recti in negotiis humanis. Terminos vero ſuos cum forum humanum etiam habeat, denturque modi agendi, quos ſuos tantum eſſe DEUS voluit, caſuſque, quorum tractationem & deciſionem ſibi divina Curia reſervavit; coronidis loco de *Reſervatis* Juris & Imperij divini aliquid addendum.

§. 2. Conſtituit equidem DEUS inter mortales certum agendi, & parendi ordinem; inte-

interea tamen ſupremus rerum Moderator nonnulla *ſui* tantum *arbitrij* eſſe voluit, non item humani imperij, atque diſpoſitionis. Fundatur vero hæc *reſervatio* primo in *regiminis* divini *ſummitate* & *univerſalitate*. *Supremus* enim quia DEUS eſt, inferioribus quam vult, quamque illorum ſtatui congruere ſapientiſſime cenſet, agendi facultatem concedere poteſt, reſervatis ſibi illis, quæ ſe potius, ſuamque ſapientiam & potentiam, eminentiam etiam, decere judicat. Rector vero quia *univerſalis* eſt, quæ in negotiis humanis tractandis, rebuſque vitæ ſocialis rite ordinandis, turbatis reſtituendis, ſupra vires humanas eſſe cognoſcit, illa merito ſibi reſervat, quo ubique cuncta rite & recte ſe habeant, appareatque, *Tuam, ô pater, providentiam cuncta gubernare*. Rectius hic locum habet, quod *Chapeavillius* a) ad ſuum applicat intentum: *Rationem boni regiminis poſtulare, ut cauſæ graviores graviori judicio ſubdantur*. Neceſſitatem dein, ut ipſe DEUS extraordinaria aliqua ratione ſæpe intercedat, etiam B. *Auguſtini* b) locus videtur docere: *Homines quando judicant, aliquando victi miſericordia, faciunt contra juſtitiam, & videtur in eis eſſe miſericordia, & non eſſe judicium: Aliquando vero rigidum volentes tenere judicium, produnt miſericordiam. DEUS autem nec in bonitate miſericordiæ perdit judicij ſeveritatem; nec in judicando cum ſeveritate amittit miſericordiæ bonitatem.*

a) *de reſerv. caſ. c. 2. p. 6.*

b) *ſuper Pſalm. 100.*

§. 3. Minime enim hæc divini inter mortales, & in mortales ſummi imperij *reſervata*, cunctaque quæ ab humana juriſdictione exemta ſibi reſervare, ſuæque diſpoſitionis & ordinationis eſſe voluit ſupremus imperans, ejus bonitati, ſanctitati, & juſtitiæ contrariari dici debent; tantum abeſt, ut hic *Zvvinglij* dogma locum habere dici poſſit: *Eundem ſpecie actum, qui in hominibus peccatum eſt, in DEO non eſſe peccatum, quia DEVS ſit exlex*: Quod etiam *Rhetorfortis*, a) Scoti Andreapolitani Theologi, fuit emblema, de quo B. D. *Hülſemannus*. b) Juſtus enim & ſanctus eſt DEUS in omnibus ſuis operibus, & actionibus. c)

a) *de Provid. c.* 19.
b) *de auxil. grat. pag.* 314.
c) *Deut.* 32. 4. 2. *Paral.* 19. 7. *Pſ.* 92. 16. *Levit.* 11. 44.

§. 4. Aliquanto diſtinctius ergo ut de his *reſervatis* loquamur, aliud illorum in DEO concipi poteſt principium *movens*, aliud principium *dirigens*. Principium *movens* eſt DEI *bonitas*. Novit enim ſic exigere etiam externam conſociationis humanæ felicitatem, ut ipſe interveniendo, rebus inter mortales deſperatis, agat. Novit etiam, ut ſic interveniat, ſuæ congruere bonitati. Unde calamitoſiſſimis temporibus, cum gemerent Ebræi ſub jugo hoſtium, Moabitarum, Cananæorum, Midianitarum, a) illorum miſertus, extraordinaria ratione, qua nulli per ſe licebat uti homini, afflictis auxilio fuit. Complectitur autem hæc DEI bonitas, qua in mortalium commodum ſibi certas agendi rationes, quas

a) *Iudic.* 3. 9. 15. *c.* 4. 3. *c.* 6. 7.

Digitized by Google

mirari, non imitari hominibus licet, reſervavit, etiam ipſius *gratiam, miſericordiam, amorem, & dilectionem.* Divinæ enim commiſerationis, & gratiæ monumenta iſta *Reſervata* ſunt, ut nimirum rebus perditis, adhuc calamitatibus fracti haberent, quod ridentibus licet hoſtibus ſuis, ſperarent. Contingit etiam, ut aliquid ſit majoris momenti, quam ut per homines id fiat, ſeu ut iſto hominibus aliquo jure uti liceat, quod nec convenienter ſæpe per illos fieri poteſt, ob multiplicem qua res humanæ laborant imperfectionem, ita ut ſi talia exercendi homines liberam haberent agendi poteſtatem, tranquillitas humanæ conſociationis multum periclitaretur, multiſque diſcriminibus, & calamitatibus, res mortalium expoſitæ forent. Id ne fiat, ex *amore* erga genus humanum, ſua hic agendi jura DEUS ſibi reſervavit. Ἀγαθὸς γὰρ ὁ Θεὸς, καὶ φιλάνθρωπος, *bonus enim eſt DEUS, & hominum amans, ut* loquitur *Athanaſius.* a)

a) *adverſ. Gent. f.* 37.

§. 5. Nec vero *amor* tantum, ſed & *Iuſtitia* DEI *movens* eſt principium horum divinorum *Reſervatorum.* Jam enim ordo vitæ ſocialis conveniens malis remedium adhiberi negat, ſi v. c. ſuperioribus reſiſtendum, quod citra ordinis iſtius ſublationem non continget: Jam iniquitas Potentiorum ſic prævalet armata potentia, cui humanis viribus reſiſti non poſſit. Divinæ hinc eſt juſtitiæ, ut quod homines nec licite, nec etiam

Digitized by Google

validè ob peculiares rationes agere poſſunt, id DEUS præſtet, qui rationibus, & impedimentis iſtis non tenetur, & ex jure ſupremi Judicis, atque Domini intercedat, & quod juſtum eſt adminiſtret. Sæpius hoc nomine non vana fuit, uti eventus docuit, miſerorum omni humano auxilio deſtitutorum, & injuſtiſſime oppreſſorum, ad *tribunal* divinum appellatio, contra extremam injuſtitiam & crudelitatem, quam patiebantur afflicti; temere licet non tentanda, *Iuſtino Martyre* a) notante. *Præbitum etiam divinum auxilium inter* Θεῖα *referendum* cenſuit D. *Dannhavverus*, b) qui in notoria injuria *Davidem* & *Zachariam*, Barachiæ filium, alioſque, à vi potentiori oppreſſos, ad hanc appellationem confugiſſe refert. Plane memorabile etiam exemplum Hungarica refert hiſtoria, explicans plane ſingularem Amurathis Turcarum Principis factam appellationem, quando, ut *Bonfinius* c) autor eſt, de promptum è ſinu codicem initi ſanctiſſime fœderis explicavit, intentis in cœlum oculis ingeminans: *Hæc ſunt, Ieſu Chriſte, fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſſerunt: Per numen tuum ſancte jurarunt, datamq́ʒ ſub nomine tuo fidem violarunt; perfide ſuum DEVM abnegarunt. Nunc Chriſte, ſi DEVS es, (ut ajunt, & nos hallucinamur) tuas meaſqʒ hic injurias, te quæſo ulciſcere, &c.* Ubi vix hæc dixerat, cum fortuna prælij contra Hungaros, mox gravi clade profligatos, inclinare cœpit. Solet

ni-

a) *Epiſt. ad Zen. & ſeren. f. m.* 510.

b) *Repulſ. appell. contra Duraeum p.* 12.

c) *Rer. Vng. d.* 3. *l* 6. *f.* 465.

Digitized by Google

nimirum divina juſtitia enormiter læſa, ad vindicandam ſuam gloriam, deteſtandumque atque puniendum perjurium, extraordinarie nonnunquam luculentis indiciis, atque pœnis ſeipſam commonſtrare, atque ſceleribus hominum ſoli DEO ſubjectorum intercedere, oſtendendo, ſe ſupremum inter gentes habere rerum moderamen, ut dicere neceſſe habeamus: DIGITUS DEI HIC. Nec male *Grotius* d) de pœna divinitus per Nabuchodonoſorem Sedeciæ ob perjurium inflicta agens, ita loquitur: *Nabuchodonoſor per idola fidem datam ſervaverat, Sedecias per verum DEUM datam non ſervaverat. Id vero ad veri DEI contumeliam plurimum pertinebat, ideoque DEUM DECEBAT id ulciſci. Confortamini,* inquit *Irenæus,* e) *ne timeatis, ecce DEUS noſter judicium retribuit, & retributurus eſt.* Αὐτά, φησι, βοᾷ, τὰ πράγματα ὅτι αἱ μὲν ἐμαὶ κρίσεις ὀρθαὶ καὶ δίκαιαι, *ipſa,* inquit *DEUS, res clamant, judicia mea recta & juſta eſſe,* ait *Theodoret.* f)

d) *Not. ad Ezech.* 21. 22.

e) *adv. hær. l.* 3. *c.* 22. *in fin.*

f) *t.* 2. *opp. f.* 391.

§. 6. Principium *dirigens* horum divinorum *Reſervatorum* idem eſt, alio licet reſpectu, quod *movens,* divina nimirum *bonitas,* a) contra quam, extra ordinem etiam agendo, abſolutamq; ſuam omnipotentiam oſtendendo, & ex ſupremi dominij poteſtate operando, DEUS nil committit. Eleganter etiam *Epiphanius*: b) Ἀμείνων οὐδεὶς Θεοῦ, *DEO nemo melior eſſe poteſt;* Πῶς γὰρ ἀμείνων Θεοῦ εἴη τις, τῶν πάντων ἐκ Θεοῦ τὸ εἶναι εἰληφότων, *nam quomodo*

a) *Matth.* 19. 17.

b) *hær.* 76. *f. m.* 952.

modo quiſquam DEO *melior eſſe poteſt, cum ab eo ſint omnia producta.* Unde cum penes DEUM ſit, ſummarum calamitatum dies definire, bonitati ſuæ convenienter hoc, quod liberi ipſius diſpoſitionis eſt, c) exercet, propter *electos.* Sic enim Chriſtus: d) Καὶ εἰ μὴ ἐκολοβώθησαν αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, οὐκ ἂν ἐσώθη πᾶσα σάρξ· διὰ δὲ τοὺς ἐκλεκτοὺς κολοβωθήσονται αἱ ἡμέραι ἐκεῖναι, *niſi abbreviarentur dies iſti* (magnæ afflictionis) *non conſervaretur ulla caro: Sed propter electos dies iſti abbreviabuntur:* agens de calamitatibus, cum quibus tempore ultimi excidij Hieroſolymitani Judæi conflictabantur, explicante *Theophylacto*; e) ex recentioribus vero B. *Ægidio Hunnio.* f)

c) *Math.* 24. 36.
d) *Math.* 24. 22.
e) *Enarr. h. l.*
f) *Comm. h. l.*

§. 7. Norma præterea ejus, quod ſuæ liberæ diſpoſitioni ſoli reſervat DEUS, eſt ejus *Iuſtitia.* Bene *Tertullianus* a) *bonitas,* inquit, *niſi juſtitia regatur, ut juſta ſit, non erit bonitas, ſi injuſta ſit. Nihil enim bonum quod injuſtum.* Annuit rurſus *Epiphanius,* b) arguens ineptiarum Ptolemaitas, δικαιοσύνην παρὰ τὴν ἀγαθότητα νομίζοντας, *quod juſtitiam à bonitate ſejungerent.* Unde ex bonitate *Iudices* Ebræorum excitando, qui populum oppreſſum in priſtinam vindicarent libertatem, tyrannis cæſis, nil contra juſtitiam rectoriam ſupremam DEUS commiſit. Heroum iſtorum facta non ſecundum regulas juſti & recti, quod in rebuspublicis humanis, pacto humano conſtitutis, obtinet, examinari debent;

a) 2. *contr. Marc. f.* 179.
b) *hæreſ.* 33. *f.* 325.

bent; ſed ſecundum rationem *ſtatus Theocratici*, cujus Princeps civilis DEUS eſt, contra cujus jura, tyrañorum jura vi quæſita, & mero facto uſurpata, non conſiſtunt. Ne dicam quod ex jure dominij ſupremi, quod in omnium hominum actiones, & jura quæſita DEUS habet, obligationem, qua quis alteri contra ſe injuſte tenetur, ſolvere poſſit. Quod circa Judices Ebræorum accidiſſe cenſendum. *Suſcitaſſe enim* dicitur *Iehova Servatorem filiis Iſrael, Othnielem, ſuper quem Iehova Spiritus fuit.* c) Vocationis divinæ hæc eſt deſcriptio, ab ipſo DEO immediate facta, per *ſingularem impulſum, motumq; ſupervenientis Spiritus ſancti,* d) cum abſolutione excitati Herois ab obligatione erga tyrannum, ſi ex data iſti fide aliqua fuerat. Hæc enim DEUM, omnium jurium humanorum dominum ſuperiorem, ſic non obligare poterant, quo minus civem, injuſte ad fidem dandam coactum, ab obligatione, qua ſe conſtrinxerat, liberum pronuntiaret. *Diſpenſaſſe hic DEUM, non contra juſtitiam, ſed juxta eam,* notat B. D. *Seb. Schmidius.* e) Interim non negamus, cum divinam juſtitiam normam eſſe affirmamus illorum etiam, quæ liberæ ſuæ, & ſupremæ diſpoſitionis eſſe DEUS voluit, verum eſſe, quod uti in aliis, ita hic quoque ipſius DEI *juſtitia omnem excedat intellectum, cum ſit omni creata natura incomprehenſibilis, & inenarrabilis,* ceu loquitur *Baſilius.* f) Unde

c) *Iud.* 3. 9. *ſeq.*

d) *Sebaſt. Schmid. Comm. h. l. p.* 151. 236.

e) *Comm. in Iud.* 3. 10. *p.* 236.

f) *tom. I. in Pſalm.* 7. *f.* 143.

nihil

nihil hic contra ſuam juſtitiam DEUM facere cenſendum, ſi vel maxime, qui ei aliquid reſpondeat, à nobis explicari non poſſit. Re-
g) *l. 2 contr. Marc. f. m.* 180. ἑte à *Tertulliano* g) *juſtitia etiam plenitudo ipſius divinitatis* eſſe dicitur.

§. 8. Normæ rationem, quod attinet divini Imperij *Reſervata*, etiam habet divina
a) *Levit.* 11. 44. *c.* 19. 2. 1. *Petr.* 1. 16. *ſanctitas*, in ſcripturis celebrata, a) contra quam iſta exercenda nihil committit ſanctiſſimum Numen. Summorum imperantium, qui ſubditis ſuis ſancti & inviolabiles eſſe debent, pœnam v. c. uti inter ſua reſervata DEUS numerat, ita varia circa illos permittendo, *Pharaonem*, e. g. *indurando*, b) contra
b) *Exod.* 7. 3. 13. *ſeq.* 22. *c.* 8. 11. ſanctitatem ſuam, ab angelis celebratam, c) nil agit. Sua enim ſanctitate ſibi ipſi lux eſt
c) *Eſai.* 6. 3. ſupremus rerum arbiter, ut ex ſumma & eminentiſſima perfectione, nil quod ipſius naturæ ſanctiſſimæ contrarietur, eumque dedeceat, agere poſſit. Tam exactæ enim puritatis eſt, ut nullum peccatum ferre poſſit,
d) *Iac.* 1. 17. *Pater luminum à Iacobo* d) hinc dictus. Optime
e) *contra Celſ. l.* 5. *Origenes*, e) *fatemur*, inquit, *DEUM non poſſe turpia, alioqui DEUS poſſet non eſſe DEUS: Nam turpe ſi quid facit, non eſt DEUS.* Abſit ergo, ut contra DEUM murmuremus, ſi ex ſui juris reſervatis eum agere apparet, τῶς,
f) *t.* 2. *opp. f.* 321. ut B. *Athanaſius* f) loquitur contra duarum naturarum in Chriſto hoſtes, θεότητος χρειπλους ἀεὶ πάσης μέμψεως πορυχίας, *quia divini-*

vinitatis hac natura eſt, ut ab omni ſemper reprehenſione abſit.

§. 9. Quo ergo facilius conciliari poſſint ea, quæ divini juris & imperij *Reſervata* eſſe dicuntur, cum aliis divinis præceptis, & exemplis, inſerviet obſervaſſe id, quod ex dictis ſequitur: Actus DEI ſc. alios eſſe ut *ſupremi Legislatoris*, alios ut *ſupremi Domini*, alios ut *ſupremi Iudicis*. Qua *Legislator* DEUS eſt, quid ſanctum, juſtum & rectum ſit, nobis præſcribit in lege morali, ſecundum ſuæ ſanctitatis, juſtitiæ, & eſſentialis rectitudinis dictamina. In hac enim lege *Iuſtino Martyre* a) recte notante, τὰ φύσει καλὰ, καὶ εὐσεβῆ, καὶ δίκαια νενομοθέτηται πράττειν τοὺς πειθομένους αὐτοῖς, *quæ natura pulchra, quæ pia, quæ juſta ſunt, ut ea illi morigeri faciant, ſancita ſunt.* Si quæ hic occurrunt divina reſervata, ex libertate & ſupremi dominij divini poteſtate, ejuſque plenitudine proveniunt, & legis hujus externa atque circumſtantialia, vel etiam poſitiva, v. c. *ceremonialia*, & *forenſia* concernunt, quæ & ipſa tamen, qua præcepta, juſti rectique regulæ minime repugnant. Interim ad *Reſervata* DEI referri debet conſtitutio umbræ futurorum bonorum, ejuſdemque ſignificandi ratio. Nec abnuit *Gregorius Nazianzenus*, b) cujus verba ſupra c) jam produximus: Exiſtimans proinde in ratione τοῦ *ceremonialis* danda ſibi ſic diſſerendum eſſe,

a) *Dial. cum Tryph. f.* 263.

b) *Orat.* 42. *ed. Græc. f. m.* 255. *Lat. f.* 315.

c) *p.* 97.

ut

ut non nimium ineptus, neq; multis ridiculus videatur.

§. 10. Qua vero DEUS eſt *ſupremus rerum Dominus*, jus agendi habet ea, quæ ex dictamine infinitæ ipſius Juſtitiæ, ejus Æquitati, Sapientiæ & Bonitati non adverſantur. Cum enim ab eo omnia dependent, libereque conſtituta & ordinata ſunt, ex infinitudine poteſtatis ſuæ eminentiſſimæ, à Bonitate licet, Sapientia & Juſtitia non abſolutæ, de rebus humanis, ob poteſtatem quam habet in illas, eo quo vult diſponit modo, creaturas non ſolum decenter ordinans, ſed & ordinem immutans, ut *Joſua* a) & *Hiskia* b) temporibus factum conſtat, immutandique ſibi poteſtatem reſervans; negotiis etiam humanis interveniendo, mire & extraordinaria quadam ratione illa libere temperans. Quanquam enim hoc dominium ſupremum DEO ex creatione rerum omnium etiam competit, recte tamen B. D. *Oſiander* c) monuit, *non tamen in ſola creatione dominium* DEI *ἀνδῶνον fundari*; ita ut ex nudo jure dominij DEUS agere dici non debeat, poſſit licet, uti contra *Grot*. D. *Calovius* d) diſputat, *ceu vitæ necisq; Dominus, pro abſoluta ſua poteſtate de nobis & noſtris ſtatuere, ut & de vita & fortuna noſtra, adeoq; immaturam mortem aut ſervitutem immittere, uti vult, & quibus vult, vigore poteſtatis ſuæ*; nec ad cauſas ſecundas, & ad media, quibus tamen plerumque & ordinarie uti-

a) *Joſ*. 10.12. *ſqq*.

b) *Eſai*. 38.8.

c) *Not. in Grot. l. B. P.* 3. 11. *p*. 1494.

d) *Not. in Ezech*. 18. 3. *in Bibl. illuſtr.*

utitur, alligatus ſit. Jure hujus dominij abſoluti uſurus DEUS, homini, cujus opera utitur, præcipit nonnunquam voluntatis ſuæ executionem, ad faciendum aliquid, quod ceu legiſlator non præcipit.

§. 11. Agit denique etiam DEUS tanquam *ſupremus* in orbe *Iudex*, exercens *κρίματα ἀνεξερεύνητα, judicia inſcrutabilia.* a) Huic, facta ſæpe quidem, ceu mala, non probanti, ex juſto tamen judicio ad ſceleratos puniendos eadem permittenti, dirigenti, determinanti juſto judicio, & voluntate conſequente, phraſi judiciali, ceu Judici ſupremo, eadem tribuuntur, quod illis permiſſis, & ad puniendum determinatis, utitur ut fiant impiorum pœna, licet ceu legiſlator ea prohibeat & puniat. Induratione juſto judicio permiſſa, cum Pharaonem DEUS punire vult, b) & in pœnam ejus dirigere id, cujus Diabolus, ipſum vero ſanctiſſimum & optimum Numen nullo plane modo autor eſt, cum id DEUS facit judicialiter, ipſum Pharaonem *phraſi judiciali* induraſſe dicitur, quod *moraliter* dici non debet, nec DEO ceu Legiſlatori tribui. *Dico,* inquit B. *Baſilius,* c) *juſto DEI judicio fieri adverſus eos, qui digni ſunt ſupplicio, quod per bella infligitur.* Hi reſpectus ſupremi rerum Moderatoris diverſi ſi vel diſtincti, vel ſi fert ita rei, & facti, quod conſideratur, juſſuſque divini ratio, fuerint conjuncti, plana complura apparebunt, quæ ſcrupulis ſuis non

a) Rom. 11. 33.

b) *Exod. l. c.*

c) *t. I. Opp. quod Deus non ſit auct. malor. f.* 424.

non carere videbantur. Iniqui erant erga Ebræos, DEI populum Ægyptij; juſtitiam ergo illis juſte impertiebatur DEUS, ſupremus Judex: Et ceu ſupremus omnium bonorum humanorum Dominus, illis aſſignabat *argentea & aurea Ægyptiorum vaſa*, d) eximie etiam id explicante *Irenæo*, e) ex Græcis, ex Latinis autem *Tertulliano*. f) Jaël contra jus DEI hoſtem ejus Siſſeram excipiens, g) à DEO ſupremo ſuo & Siſſeræ Domino excitata, errorem hunc juſta cæde hoſtis divini correxit. h) Similiter de Jehu, i) qui familiam regnatricem in Iſrael extinxerat, cenſendum, quod DEUS, ceu Dominus & Rector ſupremus, qui in omnium hominum jura ſuperius adhuc jus habet, illum ab obligatione Joramo debita abſolverit, & ceu Judex ſupremus eidem ſupplicij, adverſus domum Achabi juſte decreti, executionem æque juſte præceperit.

d) *Exod.* 11. 2.
e) *l.* 4. *c.* 4. 9.
f) *l.* 4. *contra Marc.* §. 18.
g) *Iud.* 4. 18.
h) *Schmid. Comm. in Iud.* 4. *q.* 16.
i) 2. *Reg.* 9.

§. 12. Agnoverunt *Reſervata* hæc, agnoſcuntque non Chriſtiani tantum, ſed & Gentiles. *Xenophon* a) de victoria Spartanorum contra Thebanos, qui Spartam capere voluerant, agens: *περιεγέγραπτο* inquit, *ὡς ἔοικεν, ὑπὸ τοῦ θεοῦ, μέχρις ὅσου ἡ νίκη ἐδέδοτο αὐτοῖς*, *deſcripti divinitus erunt, uti quidem videtur, conceſſæ ipſis victoriæ certi quidam fines.* Ita cum DEUS imperium de gente ad gentem transferre ſibi reſervavit, b) agnovit id apud *Ioſephum* c) Alexander M. *Puto*, inquiens, *me non ſine numine in Darium exercitum ducere*,

a) *Hiſtor. Græc. l.* 7. *f.* 644.
b) *Daniel* 2. 21.
c) *l.* 11. *Antiq. c. ult.*

ducere, & brevi fore victoriæ compotem. Exemplis rem illuſtrabimus. Etſi ad *ſupremam, divinam ſcil. vitæ ſocialis, juſtitiaque in ea cuſtodiam* cuncta reduci queant.

§. 13. Reſervavit ergo ſibi DEUS I. *jus ſe immiſcendi, & interveniendi conſiliis, rebus, & negotiis humanis*, ut ea vel ſecundet, vel impediat, pro arbitrio ſuo ſapienti; terminos etiam iiſdem ponat, & in fines à ſe intentos ea dirigat, invitis haud raro mortalibus. Experiuntur potentem DEI manum haud raro hîc illi, qui magnis Principibus ſunt à conſiliis. Haud raro enim quæ ſolertiſſime excogitata ſunt conſilia, finem quem nemo fingere potuerat, conſequuntur, ab intento penitus diverſum. Agnovit hoc David: Unde cum Achitophelem audiviſſet dirigere rebellis filij ſui Abſchalomi actiones, contra conſilia ejus DEUM imploravit, illis intercederet, eaque *infatuaret.* a) Plura exhibet exempla Hiſtoria Eccleſiaſtica, tam antiqua, quam recentior. Quid factioſi contra Henricum Navarrum olim moliti fuerint, ex *Thuano* ſatis conſtat. Unde *ad miraculum proxime acceſſiſſe* ſcribit *Gramondus*, b) *potitum regno Henricum, rerum omnium penuria laborantem, quo tempore inundabat Galliam aurum Indicum, & Hiſpanus miles, quando fulgurabat acrius Roma in caput regium: Illi rarus miles, Catholicæ factioni copiæ ingentes, & ſi cauſam demus quam fovebat optimam, erant illi adverſa omnia.*

a) 2. *Sam.* 15. 31.

b) *l.* 6. *H. G. p. m.* 314.

Ggg Pro-

Prolixe tradunt ſcriptores, quantam an. 1588. claſſem Angliæ debellandæ cauſa Hiſpani emiſerint, *viris, machinis, & omni apparatu, omnium quas Oceanus unquam vidit, longe inſtructiſſimam, & arroganti nomine*, uti *Camdenus* c) loquitur, *invincibilem dictam*. Verum aliter hæc diſpoſuit is à cujus nutu humana dependent conſilia, *ventis & tempeſtatibus Anglorum loco prœliantibus*, quibus Hiſpanis cedendum fuiſſe *Fam. Strada* d) agnoſcit: Ipſo Hiſpano rege *cladem acceptam ut à DEO, compoſito animo ferente, DEOq; & ſanctis, quod non triſtior fuerit, gratias agente*, ſcriptore eodem *Camdeno*. e)

c) *Eliſabet. an.* 1588. *f.* 485.
d) *Hiſt. l.* 10. *p.* 575.
e) *l. c. f. m.* 495.

§. 14. II. Pro *reſervato* DEI habemus *Heroum miſſionem*. Extraordinariis donis hos unctos atque inſtructos, in ſalutem Reip. & ſocietatis humanæ extreme afflictæ deſtinat ſupremus rerum moderator, afflatuque divino motos concitat ad collapſa reſtauranda, ad turbata ordinanda, & corrupta corrigenda. Uſque eo enim nonnunquam profligatur rerum humanarum ſtatus, ut non niſi divina ope is poſſit reſtitui. Interveniens ergo DEUS, cum ad hunc, tum ad alios fines, ſceleratos ſcil. puniendos, per ſervos ſuos, Heroes immiſſos, tantam rerum, brevi etiam ſæpe numero tempore, facit mutationem, a) ut Digitum DEI omnes agnoſcere teneantur. Eleganter B. *Bœclerus* b) demonſtravit, in *ejuſmodi tempora, ubi magnæ rerum mutationes* im-

a) *Ieſ.* 45. 1. *ad. Brent. Comm.*
b) *Charact. Vellej.* 2. 13.

imminent, Heroum nativitatem divina deſtinatione incidere. Divini quid ſubeſſe in virtute Heroica, ipſe fatetur *Ariſtoteles*, c) allegans in hanc ſententiam *Homerum*: Ἥρωες ἡμίθεοι, *Semidei* dicuntur *Platoni.* d) Id quod in *Cyro*; cui DEUS ipſe hoc nomine teſtimonium perhibuit; e) etiam Gentilis *Xenophon*; f) in Alexandro M. *Curtius* g) atque *Trogus*; h) in Scipione *Livius*; i) in Auguſto Cæſ. *Tacitus*; k) in aliis alij agnoverunt. Ordinariis hinc quoque legibus, quibus cæteri obligantur mortales, Heroës conſtringi nolunt, impetu quo aguntur ubique perrumpentes. Excelluerunt inter Heroës omnium temporum *Iudices Ebræorum*, quos ad res gentis hujus miſere afflictas reſtituendas DEUS excitavit. l) Et ſicut ſupra humanam potentiam animi magnitudine præditi ſunt, ita viribus humanis ordinariis ad illam pervenire non licet, quam ſolus DEUS ubi, quando, & quibus vult, largitur.

c) *7. Ethic.* 1.
d) *Cratyl. f.* 263.
e) *Ieſ.* 45. 1. *ſqq.*
f) *Inſtit. Cyr. l.* 1. *f.* 25.
g) *l.* 10.
h) *l.* 12. *c.* 16.
i) *l.* 26.
k) 1. *Annal.* 11. 2.
l) *Iudic.* 3. 9. 15. c. 6. 34.

§. 15. III. Inter reſervata DEI numeramus *jus ejuſdem ſupremum in res omnes, vitam etiam noſtram, diſponendi de iis pro juſtitiæ, ſapientiæ, & bonitatis ratione.* Regna hinc, aliarumque rerum poſſeſſiones transferendi jus habet, & transferre ſolet DEUS. Uti ſupra diximus, feciſſe eum Ebræos dominos rerum Ægyptiorum, quas ab illis popoſcerant. a) Pie etiam hoc reſervatum DEI in ſe agnovit David, fugiens imminente Abſcholomo: b)

a) *Exod.* 11. 2.
b) 2. *Sam.* 15. 26.

Digitized by Google

Si ita, inquiens, *dixerit Iehova: Non benepla-citum habeo in te: Ecce me: Faciat mihi ſi-cut bonum in oculis ipſius.* Pertinet huc locus
c) *c.* 29. 19. *ſeq.* apud Ezechiel. c) quo DEUS Nabuchodono-ſori promittit, quod *ob labores contra Tyrios, Ægyptum cum opibus ſuis in mercedem ipſi dare velit.* Ita tanquam vitæ Dominus dies homi-nis definivit, numerumque menſium vitæ e-
d) *Iob.* 14. 5. juſdem conſtituit. d) *Habet*, inquit equidem
e) *I. B. P.* 2. 21. 14. *Hugo Grotius*, e) *DEUS jus dominij pleniſſi-mum, ut in res noſtras, ita & in vitam noſtram, ut munus ſuum, quod ſine ulla cauſa, & quovis tempore auferre cuivis quomodo vult poteſt: Igi-tur ſi morte immatura ac violenta rapit liberos Acanis, Saulis, Ieroboami, Achabi, in ipſos jure dominij, non pœna utitur, ſed eodem facto gra-vius punit parentes.* Verum enimvero jus do-minij divini, ut ſupra monitum contra *Re-monſtrantes*, non credi debet eſſe abſolutum à divina juſtitia, & à jure pœnæ, quæ in pu-niendo arctiſſime conjunguntur, ſed diſtin-cte hic ſtatuendum. Sceleratos puniendi jus habet ſupremus Vindex, idque conveniens ejus eſt juſtitiæ: Quod vero præmatura morte, vel bonorum jactura, vel aliis immiſ-ſis malis, aliave puniat ratione, punireve poſſit, ſecundum dictamina infinitæ ſuæ ſa-pientiæ & juſtitiæ, jure dominij univerſalis
f) *t.* 2. *opp. Conſolat. ad Apollon. f.* 106. *ſq.* utitur. Ipſi etiam Gentiles jus DEI in vitam, conſiliaque noſtra agnoverunt. Sic enim ſecundum ſuam diſciplinam *Plutarchus*: f)

Moi-

Digitized by Google

Μοιρίδιον χρέος εἶναι λέγεται τὸ ζῆν, ὡς ἀποδοθησόμενον ὃ ἐδανείσαντο οἱ προπάτορες, ὃ δὴ καὶ εὐκόλως καταβλητέον καὶ ἀστενάκτως, ὅταν ὁ δανείσας ἀπαιτῇ, *vita dicitur fatale eſſe debitum, quod contraxerunt majores noſtri, ſitq; à nobis perſolvendum ſine gemitu, ubi creditor repetet.* Exempla vero à *Grotio* adducta quod non reſpondeant ipſius theſi, oſtenderunt doctiſſimi hujus operis cenſores, *Oſiander* f) & *Zieglerus.* g)

f) *Obſer. in Grot. l. B. P.* 2. 21. 14.
g) *Not. h. l.*

§. 16. Divini Imperij reſervatum IV. eſſe dicimus, *rerumpublicarum origines, & fata.* Hoc enim ſuæ curæ & diſpoſitioni DEUS reſervavit, civitates quomodo oriri, & rurſus concidere debeant. a) Admirandum quomodo ſæpe tales ab exiguis initiis, fruſtra contranitente humano conſilio, ad maximam pervenerint potentiam, ſingulari providentia DEO cuncta ſic ordinante, ut omnia ad illas augendas conſpirare viſa fuerint. Docent hoc origines, & incrementa Monarchiæ Perſicæ, &, ne de aliis dicamus, Ottomannicæ. Limites etiam DEUS ponit, ad quos victrica tantum arma proferre, non vero ultra progredi licet, quibuſque gentis alicujus gloria circumſcribitur. Et hæc eſt illa divina ΟΡΟΘΕΣΙΑ, b) alibi à nobis explicata. c) Minime enim putandum, DEUM ita regna alterius libidini exponere, ut ſuæ ditionis terminos pro lubitu proferre, & alias regiones ſubjugare queat. Rhenum & Danubium tranſ-

a) *Daniel. c.* c. 7. *ſq. Ezechiel.* 31. 9. *ſqq.*
b) *Act.* 17. 20.
c) *de Orig. l. Gent. art.* 2. §. 8.

greſſi Romani, ſe imperij ſui fines divinitus poſitos attigiſſe ſenſerunt. Certe Adrianus Imper. ſcriptore *Spartiano*, d) *adeptus imperium, ad priſcum ſe ſtatim morem inſtituit, & tenenda per orbem terrarum paci, operam intendit: Nam deficientibus his nationibus, quas Trajanus ſubegerat*, Danubium & Euphratem tranſgreſſus, *Mauri laceſſebant, Sarmatæ bellum inferebant, Britanni teneri ſub ditione Romana non poterant; Ægyptus ſeditionibus urgebatur: Lycia denique ac Palæſtina rebelles animos efferebant. Quare omnia trans Euphratem reliquit; exemplo ut ajebat, Catonis, qui Macedonas liberos pronunciavit, quia teneri non poterant.* Nimis crude certe Lyſander apud *Plutarchum*, e) *gladium ſtringens*, ὁ τῆς μαχαίρας, inquit, κρατῶν βέλτιστα περὶ τῆς γῆς ὅρων διαλέγεται, *qui hunc tenet, is optime de finibus agrorum diſputat*; quaſi, ceu otioſus rerum ſpectator, DEUS gladio omnia inter mortales permitteret. Verum hominem ſine fide & religione, callidum & ad fraudem acutum, ita judicaſſe, mirum non eſt. Aliud Scriptura ſacra docet. f) *Nullo modo DEUS credendus eſt, regna hominum, eorumque dominationes & ſervitutes, à ſua providentia legibus alienas eſſe voluiſſe*, B. ait *Auguſtinus*, g) quæ paſſim repetit.

§. 17. In manibus DEI quoque ſunt *Rerumpublicarum Periodi, & Revolutiones*. a) Tam ſapienter, tam potenter cuncta DEUS

d) *Hadr. c. 5.*

e) *t. 2. opp. opp. Apophth. Lac. f. 229.*

f) *Ieſai. 37, 28 ſqq. 35. Ezech. 31. 22. 24.*

g) *de Civ. D. 511.*

a) *Ierem. 18. 7. ſqq. c. 27. 7. Ezech. c. 29. 3. ſqq. c. 30, 21. 24.*

hic

hic adminiſtrat, ut dum homines ſua agere ſinit, ſalva libertate voluntatis humanæ, omnia ad eventus ſuæ juſtitiæ & bonitati congruos determinet. Agnoverunt hoc divinum reſervatum, rei evidentia moti, ipſi Gentiles. *Forſitan*, inquit Darius apud *Curtium*, b) *ita Deorum fata ordinaverunt, ut Perſarum imperium, quod ſecundo curſu per ducentos triginta annos ad ſummum faſtigium evexerunt, magno motu concuterent magis, quam affligerent.* Apud *Herodotum*, c) cum Crœſus de DEO Græcorum, quod ſe bellum Cyro illaturum decepiſſet, queſtus eſſet, inepte quidem Apollo reſpondit: Τὴν πεπρωμένην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ, *ſortem fato deſtinatam defugere, DEO quoq; eſt impoſſibile*: Addidit tamen, *luere illum crimen* Tritavi, Gygis ſc. qui ſcelere regnum domino ſuo occiſo quæſiverat. Divina nimirum juſtitia ſcelera ſtatus, ejuſmodi Reipublicæ mutatione punire ſolet. d) Ita reſpublica Romana ſuas habuit periodos, quarum prima exactâ, cum ſeditionibus eſſet concuſſa, Regibus ejectis libertas eſt introducta. Hæc cum in fœdam degeneraſſet licentiam, *Salluſtio* e) inprimis notatam, ut confuſione & bellis civilibus invaleſcentibus, *Taciti* f) etiam judicio, *non aliud diſcordantis Reipublicæ eſſet remedium, quam ut ab uno regeretur*; *aſſeruerunt*, uti *Vellejus* g) loquitur, *ſalutaria Reipublicæ terrarumq; fata conditorem, conſervatoremque*

b) *l.* 4. *c.* 14.

c) *l.* 1. *c.* 90. *ſeq.*

d) 1. *Reg.* 16. 8. *ſqq.*

e) *Bell. Catil.*

f) 1. *Ann.* 9. 5. *c.* I. 3.

g) *l.* 2. *c.* 60.

Romani nominis, Auguſtum. Iniquus eſt in h) *Princ. c.* 25. hoc DEI reſervatum *Machiavellus*, h) quando diſputans, quantum in rebus humanis fortuna valeat, & de ratione, qua illi obſiſti poſſit, *vim ſuam fortunam exerere* ſcribit, *ubi nulla adeſt ad reſiſtendum inſtructa virtus: eoq́; ſuos impetus convertere, ubi nullos aggeres, nulla impedimenta, quibus ſibi obviam iri poßit, novit eſſe extructa.* Figurato & Poetico dicendi genere ludere *Machiavellum* concedemus: Certum tamen eſt, infirmiores opes longe majores haud raro evertiſſe. Alexandri M. vires quales erant, quantæque, comparatæ cum opibus Darij? Rectius ſane Florentino ſcriptore judicavit Beliſarius apud i) *l.* 1. *Vand.* *Procopium*: i) *Dimicant utrinq; ex acie homines*, βραβεύει δὲ ὁ Θεὸς, ὅπως ποτὲ αὐτῷ δοκεῖ, καὶ τοῦ πολέμου δίδωσι κράτος, *at DEUS victoriam & robur bello quandocunq́; lubitum, impertit. Nam & corporis firmitatem, & armorum diligentiam, cæterumq́; belli apparatum longe inferiora eſſe juſtitia, & DEI obſervantia, non eſt dubium: Quam ſi quis ſectatus fuerit, magis ei, quam ex cæteris, felicitas obvenerit.* Iniquiora ſunt, quæ ſub finem hujus diſquiſitionis autor ſubjicit, *ſatius*, inquiens, *eſſe judico ferocem eſſe, quam circumſpectione duci. Fortuna namq́; fœmina eſt; & ut quis eam ſibi ſubjiciat, neceſſe eſt, ut fuſte eam ſubagitet, atq; inſtiget. Nemo non videt eam libentius ab iis, qui ardentiores, quam ab illis, qui in agen-*

gendo frigidi ſunt, pati ſe vinci. Nullæ enim *adverſus DEVM hominum vires ſunt, ipſo Iuſtino,* k) homine Ethnico, monente. Judæis, k) *l.* 2. 11. 10.
quos Nabuchodonoſoris Chaldæorum Regis poteſtati DEUS ſubjicere conſtituerat, ita minatus eſt per *Ieremiam:* l) *Ecce ego converto* l) *c.* 21. 4. *c.* 32. 5. *ad. Ezech.* 30. 24.
inſtrumenta bellica, quæ in manibus veſtris ſunt, quibus vos pugnatis cum rege Babel & Chaldæis, qui obſident vos extra murum, in vos ſcil. Hoc eſt, uti *Theodoretus* m) explicat, ἀνόνητά φησι ὑμῖν ἔςαι τὰ ὅπλα, ἐμοῦ ςρατηγοῦντος τῶν πολεμίων, καὶ μετ' ἐκείνων καθ' ὑμῶν παραταττομένου, *inutilia,* inquit, *vobis erunt arma, me ducem hoſtium agente, & cum illis contra vos in aciem prodeunte.* Satis profecto ferociter fortunam ſubagitaverant Hungari, poſt devaſtatam Germaniam, de ſumma rerum cum Henrico I. & Othone I. certantes, ab ea licet deſerti, maximiſque præliis victi. m) *t.* 2. *opp. in c.* 21. *Ierem. f.* 205.

§. 18. Ad reſervata DEI V. etiam referimus *Ius reſpublicas puniendi.* a) Armis vindicare quidem licet genti à gente acceptam injuriam, verum infirmior eſt haud raro læſa, quam ut vim vi repellere poſſit. Varie etiam imperantes delinquunt, non ſolum ſi vitam illorum privatam, ſed etiam ſi rationem regiminis ſpectemus, in quorum vitiorum communionem ipſe populus venire, certe tacite illis conſentire ſolet. Ipſe nonnunquam populus tanta morum corruptione corripitur, ut atrociſſima ſcelera impune a) *Ierem.* 18. 7. *ſq.*

 in

in conſuetudinem abeant. Talis erat facies gentium Cananæarum, & populi Romani, cum in illam aſcendiſſet magnitudinem, ut externus non eſſet à quo ſibi temeret hoſtis. *Præcipiti decurſu à virtute deſcitum, ad vitia*
b) *l.* 2. *c.* 1. *tranſcurſum*, ſcribit *Vellej. Patere*: b) Com-
c) *Bell. Catil. c.* 2. *ſqq.* mentarij loco eſſe poteſt *Salluſtij* c) hiſtoria. Ob neglectum DEI cultum Ebræos punitos
d) *Ezech.* 20. 7. *ſqq.* à DEO ſacra tradit hiſtoria. d) Talibus enim, aliiſque populorum peccatis irritatus DEUS, ut gentem puniat, bella, peſtem, famem, & alias immittit calamitates. Ita florentiſſima perierunt imperia; ita regnum de gente ad gentem transfertur. Sic Cananæas gentes excidio DEUS olim tradidit. Sic atrociſſimis bellis civilibus Romana concidit
e) *Annal. Boj. l.* 4. *f.* 375. Reſpublica. *Aventinus* e) cum Germaniæ cladem ab Ungaris imperante Ludovic. IV. illatam explicaſſet, ſubjicit: *Iram DEI fuiſſe manifeſtum eſt. Nationes pugnaciſſimæ, gentes fortiſſimæ, tot hactenus triumphis clariſſimæ, deſperatione cœlitus debilitatæ, animoq; fractæ, nil*
f) *l.* 130. *f.* 1066. *ſq.* *niſi de fuga cogitabant.* Pia etiam *Thuani* f) eſt digreſſio, qua Ottomannicum Imperium ob Chriſtianorum peccata in tantam molem, ſtupendo armorum ſucceſſu, creviſſe opinatur.

§. 19. VI. Soli DEO etiam competit jus *ſupremos ob delicta puniendi imperantes.*
a) *Pſalm.* 51. 61. *Rom.* 13. 1. *ſqq.* Pœnis humanis hos non eſſe obnoxios, etiam ex ſcripturis docetur. a) Verum tamen eſt, quod

quod *Grotius* b) monet, *illorum peccata, quia ſuperiorem ſe judicem non habent, DEUM ſibi cura peculiari eſſe teſtari; qui ea aut vindicat, ſi ita opus judicet; aut tolerat in pœnam, aut explorationem populi.* Prudentiſſimus ſcriptor *Comineus* c) ſingularem illum ſucceſſum, quo Galli regnum Neapolitanum olim occuparunt, pœnam fuiſſe dicit, qua Regnum iſtarum provinciarum improbitatem vindicatum ivit divina Nemeſis. Cum enim illorum fœditates enarraſſet, ſubjicit: *Eo ſolum iſta commemoro, ut quam ſit potens & juſtus DEUS omnes intelligant. Nec enim ullum flagitium dimittit impunitum: Et hic videmus, quomodo Carolum regem adoleſcentem, nec rebus, nec hominibus idoneis inſtructum excitarit, ut eos reges tam prudentes, tam locupletes, tam exercitatos militia, quibus ad gerendum bellum nihil etiam deeſſet, mulctaret. Qui tametſi multo ante praviderent eam imminere tempeſtatem, tamen inopes conſilij, & velut attoniti, non potuerunt eam à ſe depellere.* Et nonnulli interjectis: *Quare non dubitem affirmare, & multos per Italiam novi honeſtiſſimos viros, qui idem judicant, hanc videlicet plagam illis inflictam fuiſſe à DEO, ut reliqui principes omnes ipſum revereantur, & jus cuiq; ſuum reddant.* Addimus locum *Gramondi*, d) de morte & morbo Philippi II. Hiſpani: *Vix credi poſſit,* inquit, *morbo pediculari extinctum regem? ſæpe ex occultis cauſis, DEI ultio* in

b) *I. B. P. 1. 3. 8.*

c) *Bell. Neapol. l. 2. p. m. 788. ſqq.*

d) *Hiſt. Gal. l. 4. p. 262.*

in reges eſt. *Sæpe pro populo Reges, pro regibus ſæpe plectuntur populi, ut viſum divinæ providentiæ, cui ſubjacent reges & populi, quamq; hominum ſecuritas & ultio æque movent.* DEUM ſolum itaque cum ſummi imperantes habeant judicem,

> *Ergo quid ad ſummum de regni jure quid oro*
> *Pontificem ſpectat? nullam caput iſta ſuper ſe*
> *Aſpicit, excepto cœlorum rege, poteſtas.*
> *Eccleſiam regat ille ſuam divinaq; jura*
> *Temperet, imperium nobis faſceſque relinquat:*

recte canit ex mente Frider. I. Cæſ. *Güntherus Ligurinus.* e)

c) *l.6.v.360.*

§. 20. Reſervavit VII. ſibi DEUS *jus liberum puniendi quosvis, uti & quando ipſi viſum fuit.* Conſtituta equidem ſunt per orbem judicia, & *αἱ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσὶν, quæ ſunt Poteſtates, à DEO ordinata ſunt,* monente *Paulo.* a) Verum cum complura atrocia ſcelera judicis cognitionem fugiant; vel à judicibus negligenter etiam juſtitia adminiſtretur haud raro; ipſe hinc ſupremus Judex, qui vindicem habet oculum, ſurgens, in ſcelerum autores ſevere animadvertit, tarditate pœnæ gravitate compenſata. Et apparent hic *ἀνεξερεύνητα τὰ κρίματα Θεοῦ, καὶ ἀνεξιχνίαστοι αἱ ὁδοὶ αὐτοῦ, inſcrutabilia*

a) *Rom* 13,1.

bilia DEI judicia, & imperveſtigabiles viæ ejus, b) in delictis, quæ puniri ſocietatis humanæ intereſt, & quæ vindictam ab ipſo DEO expoſcere videntur, producendis in apricum. Nil dicam de *gruibus Ibyci,* de quibus *Plutarchus* : c) Singulare eſt quod *Evagrius* d) de Addæo, homine Senatorio, ſcripſit. Accuſabatur ille, quod ſocius ſceleris fuiſſet, quum Ætherius veneno Juſtinum II. Imper. è medio tollere molitus eſſet : *Aſt cum jam cervicem gladio ſubjiceret, dixit ingenue, ſe, licet falſo de iis rebus eſſet accuſatus, juſta tamen debitaq; à DEO, facinoris cujuſq; contemplatore, & vindice, ſibi inflicta ſupplicia. Theodotum namque, aulæ præfectum, ſe præſtigiis quibuſdam è medio ſuſtuliſſe.* Agnoverunt hoc DEI reſervatum ipſi Gentiles. Sic enim *Plutarchus* : e) Ἀδράστεια μὲν ἀνάγκης καὶ Διὸς θυγάτηρ, ἐπὶ πᾶσι τιμωρὸς ἀνωτάτω τέτακται τοῖς ἀδικήμασι· Καὶ τῶν πονηρῶν οὔτε μέγας οὐδεὶς, οὔτε μικρὸς γέγονεν, ὥστε ἢ λαθὼν διαφυγεῖν ἢ βιασάμενος. *Adraſtea Jovis & Neceſſitatis filia omnibus flagitiis vindex ſupremo loco collocata eſt: Neque malorum quiſquam ita vel magnus vel parvus unquam fuit, ut aut latendo, aut vim faciendo pœnæ ſe ſubducere potuerit.* Notavit idem in cruciabili morte Scudilonis & Barbationis *Ammian. Marcellin.* f) addens : *Hæc & hujuſmodi quædam innumerabilia ultrix facinorum impiorum, bonorumq; præmiatrix aliquoties operatur Adraſtia, quam vocabulo duplici*

b) *Rom.* 11. 33.

c) *T.* 2. *opp. de Garrul. f.* 509.

d) *Hiſt. Eccleſ.* 5. 3.

e) *de Sera Num. Vind. T.* 2. *opp. f.* 564.

f) *l.* 16. *c.* 39.

plici etiam Nemeſin appellamus: Ius quoddam ſublime Numinis efficacis, Prolixior eſt hic Theologiæ gentilis locus, quam ut adduci poſſit integer.

§. 21. Suæ quoque VIII. juſtitiæ & ſapientiæ reſervavit ſupremus Vindex modum puniendi illum ſingularem, quo *peccata peccatis punit*; dum permiſſa dirigit, ut cedant in punitionem, & flagellum ſceleratorum. Magiſtratus equidem, quamdiu poteſt, non debet permittere peccata, ceu cuſtos divinæ legis; ſed DEI longe alia eſt ratio, qui peccata occulto & juſto judicio permiſſa, in fines juſtitiæ ſuæ congruos potenter dirigere novit. Singulare hujus reſervati exemplum in hiſtoria Davidis a) legitur, ubi DEUS homicidij & adulterij reo ita denuntiari juſſit: *Ecce ego conſurgere facio malum adverſum te, de domo tua: Et tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet tum uxoribus tuis in oculis ſolis hujus. Quia tu feciſti abſcondite, & ego faciam verbum hoc coram omni Iſrael, & coram ſole*: Quæ ſcelere Abſolomi, adverſus Davidem commiſſo, poſtea impleta ſunt. Pertinet huc *Talio* quoque *divina*, qua extra ordinem, & ſingulari θείῳ, à Gentilibus etiam agnito, ſupremus Vindex mortalium delicta vindicat. *Diodorus Siculus* b) divinam τῆς θείας προνοίας animadverſionem in ſcelera Agathoclis explicaturus, graviter ita ſcribit: Φανερῶς ἐπισημῶ.

a) 2. *Sam.* 12. 11.

b) *Biblioth. hiſt. l.* 20. *f.* 800. *ſq.*

σημειώνατο τὸ δαιμόνιον, ὡς διὰ τὴν εἰς τὸν Ὀφέλλαν παρανομίαν, τῶν ὕστερον αὐτῷ γεγεννημένων τὸ θεῖον ἐπιστῆσαι, *manifeſte oſtendit* DEVS, *quod ob perpetratum ab Agathocle in Ophellam ſcelus, Numen, quæ deinceps illi contigerunt diſpenſarit. Nam quo menſe ac die necaverat Ophellam, exercitumq; ad ſe pertraxerat, eodem viciſſim & filios & copias deperdidit. Et quod præcipue attendendum,* DEVS, *ut bonus legumlator, geminas ab eo pœnas repetivit. Nam qui nefarie unum ſuſtulerat amicum, duobus ſimul filiis privatur; ita ut illi manus afferrent Juvenibus, qui cum Ophella venerant,* additque: Ταῦτα μὲν οὖν ἡμῖν εἰρήσθω πρὸς τοὺς καταφρονοῦντας τῶν τοιούτων, *hac in contemtores id rerum genus dicta nobis ſunto.*

§. 13. Reſervatum DEI IX. ex S. S. dicimus eſſe *Directionem cordis regij*: uti Salomo, ſapientiſſimus Regum, a) ipſe hanc deprædicat: *Rivuli aquarum*, inquiens, *eſt cor Regis in manu Iehovæ: Ad omne quo voluerit, inclinabit illud.* Agnoſcunt his verbis tam Chriſtianorum, b) quam Judæorum interpretes, & Doctores, ſpecialem DEI providentiam, atque imperium in ſecretiſſima Regum, divinorum his in terris Vicariorum, locum DEI tenentium, cogitata, conſilia, atque deſtinata, ſuperioremque ſolius Numinis, ſub quo omnes mortales conſociamur, in hæc poteſtatem, quam ſibi reſervavit, & gubernationem ejus, quod inter homines abſoluti videtur eſſe imperij.

a) *Prov.* 21. 1.

b) *Conf. D. Geier. Com. h. l.*

Digitized by Google

c) *Orat.* 26. *f. m.* 173. perij. Ex Patribus hinc *Greg. Nazianzenus*, c) conſilij & conatus regij ſucceſſum ab hac potenti DEI manu petere mavult, quam à robore exercituum. *Cor regis in manu DEI eſſe & dicitur & creditur, ibi ſit potentia veſtra, & non in auro, & phalangibus.* Et qui liberius hic philoſophantur, loco hoc etiam ad *auſpicium regium* explicandum utuntur. Nimirum hoſce ſuos Vicarios viſibiles, Principes ſc. ſolo DEO inferiores, ſingulari ratione reſpicit Regum Rex, dirigendo illorum cogitata, & actus, ad fines quos ipſe ſibi propoſuit, modo admirabili, atque ſæpenumero inexplicabili, de quibus proin non temere judicandum. Protegendo etiam, ut ſub ſua potenti manu ſalvi ſint. Unde & *pro Regibus*, ex Apoſtoli
d) 1. *Tim.* 2. 2. præcepto, d) preces ad DEUM fundimus, quo gratioſos illos & benignos experiamur, *tranquillamq; & beatam vitam tranſigamus in omni pietate & gravitate.*

Et hæc hactenus. Complura equidem adhuc divini imperij & juris *Reſervata* dantur,
e) *Math.* 21. 3. *Gen.* 43. 14. v.c. admirabilis divina *Cardiarchia*; e) *Hora & mora*, quas DEUS tenet in *beneficiis* conferendis, his etiam præ illis vocandis; Determinatio
f) *Gen.* 6. 3. c. 15. 16. *menſuræ impietatis*; f) directio *ſortis*; g) *Diſpenſatio* à DEO facta, ex circumſtantiis facti ipſi-
Exod. 32. 34. g) *Prov.* 16. 33. us ſapientiæ ſoli notis, *judici ſeculari non imitanda*, & ſimilia: Sed hic eſto

FINIS.

Τῷ Θεῷ μόνῳ δόξα.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS OPERIS.

SECTIONIS I.

Articulus I.

De Jure Divino.

§. 1. *Per jus divinum h. l. non intelligitur Vlpiani I. N. animale, cujus definitio explicatur.*

§. 2. *Brutis Ius proprie tale non poteſt praſcribi, nec praſcriptum eſt.*

§. 3. *Diviſio juris in divinum & humanum.*

§. 4. *Ius divinum quid, ejuſq; diviſio.*

SUBSECTIO I.

De Jure Divino Naturali.

§. 1. *Iuris divini naturalis exiſtentia.*

§. 2. *Diſtinctio inter morale & legale explicatur, & defenditur.*

§. 3. *Fundamentum & ratio moralitatis & diſcriminis honeſtorum & turpium.*

§. 4. *Dignitas & valor actionum agentis rationalis.*

§. 5. *Principia & requiſita τȣ͂ eſſe moralis.*

§. 6. *Quæ actibus humanis ſint convenientia, vel non; & unde.*

§. 7. *Gentilis & Chriſtianæ diſciplinæ conformitas cum dictis.*
§. 8. *Convenientia honeſti cum natura hominis rationali & ſociali.*
§. 9. *Non dato* DEO *non datur lex naturalis.*
§. 10. *Legislator hujus legis ſolus* DEVS *eſt.*
§. 11. *Socialitas an, & quo ſenſu* I. N. *ratio fundamentalis.*
§. 12. *Ius & imperium* DEI *in hominem unde, & quale?*
§. 13. *Ratio hujus juris in* DEO *legislatoria ſunt attributa divina, ex parte intellectus:*
§. 14. *Et ex parte voluntatis.*
§. 15. *Lex* DEI *æterna quomodo fons* I. N.
§. 16. I. N. *ſedem habet in ratione, cui divinitus implantatum eſt, ejuſq; dictaminibus innoteſcit.*
§. 17. *Noëmata ad jus* N. *pertinentia ſunt duplicia.*
§. 18. *Quomodo ex pudore turpitudo factorum colligenda.*
§. 19. *In eruendis originibus* I. N. *& fundamento* LL. *naturalium explicando, cautio obſervanda.*
§. 20. *Obligatio* LL. *naturalium unde ſit, & quomodo innoteſcat.*

SUBSECTIO II.

De

Jure divino poſitivo.

§. 1. *Ius divinum poſitivum quid ſit?*
§. 2. *Datur jus tale.*
§. 3. *Legis Moſaicæ autor ſolus* DEVS *eſt, non Moſes, vel angelus creatus.*
§. 4. *Primaria* LL. *Moſaicarum ratio non fuit inhibitio idololatriæ Ebræorum.*

De

INDEX.
De
Decalogo.

§. 1. *An Decalogus, & lex divina moralis, ſpecies ſit juris divini poſitivi.*

§. 2. *Numerus, ordo, & ſumma præceptorum Decalogi.*

§. 3. *Qua ratione Decalogus Gentiles obliget.*

§. 4. *An lex moralis Decalogi, ut à Moſe olim promulgata fuit, ad Gentiles etiam tum, hodieq; ad eoſdem & Chriſtianos pertinuerit, pertineatque? à nonnullis negatur.*

§. 5. *Rectius affirmatur.*

§. 6. *Præcepta Decalogi ratione materiæ ſunt I. N.*

§. 7. *Oſtenditur ulterius.*

§. 8. *Idem docetur.*

§. 9. *Decalogo præcepta naturaliter & immutabiliter convenire objectis, oſtenditur quoad tabulam primam.*

§. 10. *Etiam quoad Tabulam Decalogi ſecundam.*

§. 11. *Sanctio omnium præceptorum Decalogi ex natura DEI fluit, contra* Burmann. *&* Eſſenium, *duplex jus naturæ hic ſingentium.*

§. 12. *Divina circa Decalogi præcepta non datur diſpenſatio.*

§. 13. *Nec humana circa moralia ejuſdem.*

§. 14. *An morale ſit, quod habet rationem moralem.*

§. 15. *Leges Levit. 18. pro moralibus habendæ.*

§. 16. *Perfectiſſima ſumma Theol. Moralis eſt Decalogus.*

§. 17. *Regulæ generales, explicationi Decalogi inſervientes, Biblicæ.*

§. 18. *Regulæ Ethicæ.*

§. 19. *Regulæ Logicæ.*

§. 20. *Regulæ Speciales.*

§. 21. *Caput Levit. 18. quod ſit Præc. VI. appendix docetur.*

§. 22. *Legis moralis Decalogicæ & I. N. differentia.*

§. 23. *Vſus Decalogi in juriſprudentia Univerſali.*

§. 24. *Idem in Theologia morali, quoad objectum perſonale.*

§. 25. *Item quoad objectum reale.*

§. 26. *Homo in Theologia morali ſpectatur qua carnalis, & ſpiritualis.*

§. 27. *Virtutum & Chriſtianarum actionum unica norma Decalogus eſt.*

§. 28. *Non regulæ monachorum, & monialium, nec per ſe leges Eccleſiaſticæ, vel Canones Conciliorum &c.*

§. 29. *Decalogus urget perpetuum in pietatis ſtudio profectum.*

§. 30. *Vſus Decalogi in vita civili.*

De
Lege Ceremoniali.

§. 1. *Finis & uſus legis Ceremonialis contra* Spencer. *aſſertus.*

§. 2. *Quid de allegoricis LL. ceremonialium interpretationibus habendum.*

De
Lege Forenſi.

§. 1. *Quid ſit.*

§. 2. *Legis Forenſis uſus in Republ. Ebræorum alius Theologicus, alius Forenſis.*

§. 3. *Abrogata lex hæc eſt quoad Ceremoniale & Forenſe, manente tamen morali, jam quoad ſpeciem etiam, jam quoad genus tantum.*

§. 4. *Lex de nuptiis cum fratris ἀτέκνου vidua explicatur: & de diſpenſatione humana in talis, & ſimilibus caſibus.*

§. 5.

Digitized by Google

§. 5. *Vſus LL. Forenſium in moralibus & civilibus.*

§. 6. *Ex Iudicialibus iſtis præceptis aſſumi poſſunt libere ea, quæ noſtris politiis conveniunt, ſine tamen divina obligatione.*

§. 7. *De uſu LL. pœnalium forenſium inter Chriſtianos quæſtio propoſita.*

§. 8. *Ejuſdem deciſio.*

§. 9. *Ex LL. forenſibus diſci poteſt, qua ratione leges, civili felicitati inſervientes, ferri debeant.*

§. 10. *Item, quod ſupplicia capitalia in ſe non ſint injuſta.*

§. 11. *Quibus etiam delictis, præ aliis, ſupplicium extremum conſtituere liceat.*

§. 12. *Fas eſt ad mortem damnare etiam ob alia delicta, quæ à lege per Moſen data morte puniuntur.*

§. 13. *De æſtimatione paritatis delictorum cum illis, quæ L. Moſaica pro talibus habentur, & divinæ voluntatis circa eadem conjectura.*

SUBSECTIO III.

De

Jure divino novo,

ſeu

De Lege Evangelica.

§. 1. *Diverſi juris hujus appellationes examinatæ.*

§. 2. *De Iure mundi & ejus ſpeciebus.*

§. 3. *An jus mundi ante-diluvianum Paradiſiacum, etiam præceptum de ſanctificando Sabbatho continuerit.*

§. 4. *Ius mundi poſt-diluvianum; & L. de non comedendo ſanguine.*

§. 5. *De effundendo ſanguine homicidæ.*

Digitized by Google

§. 6. *Lex nova Evangelica quid.*
§. 7. *Quid Sociniani & Arminiani de ea ſentiant.*
§. 8. *Grotij, & aliorum de nova L. ſententia rejecta.*
§. 9. *Species novitatis ejus apparens eſt.*
§. 10. *De praeceptis ſidei & ſacramentalibus.*

ARTICULUS II.

De

Jure humano.

§. 1. *Iuris humani neceſsitas.*
§. 2. *Item LL. pœnalium, & imperij cogentis.*
§. 3. *Ius hominum ferendi LL.*
§. 4. *Origo juris humani.*
§. 5. *LL. humanarum debita conformitas cum jure naturali.*
§. 6. *Quid LL. hae poſsint in, & circa LL. naturales.*
§. 7. *Vlterius idem explicatur.*

SUBSECTIO I.

De

Jure Gentium.

§. 1. *Ius Gentium quid ſit.*
§. 2. *Iuris hujus neceſsitas.*
§. 3. *Ebraeorum jus Gentium imperatum, & interveniens.*
§. 4. *Quid de illo habendum.*
§. 5. *I. G. proprie tale Ebraeis olim nec incognitum, nec neglectum.*
§. 6. *Fundamentum juris G. remotum eſt gentium ſocialitas.*
§. 7. *Diverſitas vinculorum quibus mortales inter ſe connectuntur.*

§. 8. *Gentium ſocialitas ſibi proprium & conveniens requirit vinculum.*
§. 9. *Status liberarum gentium quæ complectatur.*
§. 10. *De cauſis juris gentium diſtinctius agitur.*
§. 11. *Voluntas gentium qua ratione ſit cauſa I. G.*
§. 12. *Multa ſæpe juris gentium eſſe dicuntur abuſive.*
§. 13. *Quomodo in gentium jus abierint juris naturalis præcepta.*
§. 14. *Quomodo conſuetudines.*
§. 15. *Vniverſalitas I. G.*
§. 16. *Pacta & Conventiones gentium quid hic præſtent?*
§. 17. *Quid exempli à gentibus facta imitatio?*
§. 18. *Exempli imitatio caute inſtituenda.*
§. 19. *Pactis expreſſis gentium ſæpe gentium jus munitur.*
§. 20. *Gentium jure publicum inter Gentes commercium dirigitur.*
§. 21. *G. I. & vinculum populorum eſt, & regula publici illorum commercij.*
§. 22. *De Obligatione I. G.*

SUBSECTIO II.
De
Jure Civili.

§. 1. *Ratio inſtituti.*
§. 2. *Homo natura fertur ad ſocietatem civilem; origineſq; I. C. ex natura humana derivatæ.*
§. 3. *Ordo in civitate alius perſonarum; alius actionum.*
§. 4. *Societas Civilis, ejuſq; finis, ratio eſt LL. civilium externa, & fundamentalis.*
§. 5. *Finium civilium magna datur varietas.*
§. 6. *Qua ratione utilitas inter juris Civilis fontes referatur.*

Digitized by Google

§. 7. *Quibus pactis civitas in civilem cœtum coaluerit.*
§. 8. *Poteſtas legislatoria in civitate unde, & qualis.*
§. 9. *Etiam abſoluta obedientia eſt ex aliquo pacto.*
§. 10. *Quid LL. civiles circa religionem poſſint.*
§. 11. *Obligatio erga legislatorem.*
§. 12. *Imperans in Civitate, DEI vicarius.*
§. 13. *Cauſa LL. civilium proxima.*
§. 14. *Vſus Legislationis Moſaicæ circa originem LL. civilium qualis.*
§. 15. *Dicta exemplis illuſtrantur.*
§. 16. *Expolitio ulterior quoad LL. forenſes.*
§. 17. *LL. Moſaicæ forenſes paſſim in gentium LL. deprehenduntur.*
§. 18. *Qualis illarum hodie autoritas.*
§. 19. *Conſuetudines ſæpe in LL. tranſeunt.*
§. 20. *Temporis ſucceſſu, & ſummi imperantis tolerantia id fit.*
§. 21. *Quibus populi actibus.*
§. 22. *Vnde conjectura de Principis conſenſu, hic neceſſaria, petenda.*
§. 23. *Origines Iuris Publici derivantur etiam ex lege DEI æterna.*
§. 24. *Propius ex ipſa civitatis conſtitutione, & fine, & pactis.*
§. 25. *Quid hic poſſint conſuetudines.*
§. 26. *Origines juris municipalis.*

SUBSECTIO III.
De
Iure Eccleſiaſtico.

§. 1. *De Canonibus Apoſtolicis.*
§. 2. *Ius Canonicum qui dicatur.*

§. 3.

§. 3. *Dicitur etiam jus Eccleſiaſticum.*

§. 4. *Ius Canonicum aliud Orientale, aliud Occidentale.*

§. 5. *Ius Eccleſiaſticum humanum datur.*

§. 6. *Ius Eccleſiaſticum Apoſtolorum quo ſenſu detur.*

§. 7. *Cœtus qua Eccleſiaſticus, non confundendus cum cœtu, qua civilis eſt.*

§. 8. *Societas Eccleſiæ externa & interna explicatur.*

§. 9. *Eccleſia eſt pars Reipublicæ illius, in qua ſedem ſuam habet.*

§. 10. *Ordo & juriſdictio in Eccleſia qualis.*

§. 11. *Objectum juris Eccleſiaſtici quodnam.*

§. 12. *Ius LL. Eccleſiaſticas ferendi ad totam pertinet Eccleſiam.*

§. 13. *Exercitium hujus poteſtatis quale primis à nato Chriſto ſeculis.*

§. 14. *Ratio regiminis Eccleſiaſtici antiqui ulterius explicatur.*

§. 15. *LL. proprie tales antiqua Eccleſia non ferebat.*

§. 16. *Eccleſiæ tamen ſtatutis in ſequentibus temporibus Chriſtiani Principes vim Legis addebant.*

§. 17. *Ius Magiſtratus Chriſtiani hac in re.*

§. 18. *Ratio juris Eccleſiaſtici conſtituendi quando, & quomodo, immutata.*

§. 19. *Iura Magiſtratus infidelis an, & quæ hic ſint?*

§. 20. *Quomodo variante ſtatu Eccleſiæ jus Eccleſiaſticum variaverit.*

§. 21. *Iuris hujus obligatio quomodo ſe habeat.*

§. 22. *Qualis uſus juris Canonici inter Proteſtantes.*

ARTICULUS III.

De
Jure Præceptivo & Permiſſivo.

§. 1. *Ius permiſſivum qui ſic dicatur.*

§. 2. *Iure praceptivo quid intelligatur.*

§. 3. *Vis, & obligatio hujus juris unde.*

§. 4. *Pracepta alia ſunt affirmativa, alia negativa.*

§. 5. *Permiſſio juris, & naturalis libertatis.*

§. 6. *Harum Permiſſionum origines explicatæ.*

§. 7. *Permiſſio negative talis, & nudi facti.*

§. 8. *In quibus rebus permiſſio locum habeat.*

§. 9. *Effectus permiſſionis variet licet, nunquam tamen eſt contra jus ſuperioris.*

§. 10. *Permiſſio imperfecta, & ejus effectus qualis.*

§. 11. *Interpretatio juris permiſſivi quo pacto inſtituenda.*

§. 12. *Diligenter permiſſionis ratio hic examinanda.*

§. 13. *Conſuetudines, & mores, qui in jus permiſſivum tranſeant.*

§. 14. *Praceptum in* I. N. *eſt à* DEO, *fundaturq; in convenientia actuum cum natura humana, & ſentitur in Conſcientia.*

§. 15. I. N. *quà praceptivum eſt, obligat ad actus in ſe bonos, & malos, ideo quia tales jam ſunt.*

§. 16. *Terminus hujus pracepti; & huic quouſq; ſubjaceat juſtum univerſale.*

§. 17. *Non omnia ejuſdem ſunt natura, qua jure naturali permittuntur.*

§. 18. *Origines Iuris Gentium praceptivi.*

§. 19. *Diverſitas pracipiendi in jure Gentium unde.*

§. 20. *Qua jure Gentium conceſſa ſint, & quo effectu.*

§. 21. *Ad qua idem connivere ſoleat.*

§. 22.

Digitized by Google

§. 22. *Iuris Civilis præceptivi origines quæ.*
§. 23. *Quid circa jura naturalia præcipere queat.*
§. 24. *Quid circa Gentium jus.*
§. 25. *Permiſſio Iuris Civilis qualis, & unde.*
§. 26. *Præſumta permiſſio ubi detur.*
§. 27. *Iuris Eccleſiaſtici vis præceptiva unde.*
§. 28. *Plures ejus notantur fontes.*
§. 29. *Adiaphora an præcipi poſſint.*
§. 30. *Permiſſio juris Eccleſiaſtici qualis detur.*

SECTIO II.

Artic. I.

De

Poteſtate agendi, & habendi aliquid, morali,

qua in natura hominis fundatur.

§. 1. *Ratio ordinis, & inſtituti ulterioris.*
§. 2. *Quo pacto ab ipſa hominis natura jus agendi petatur.*
§. 3. *Non excludendi hic ſunt fines hominis, & conſociationis humanæ.*
§. 4. *Ius defenſionis unde.*
§. 5. *Iudicandi libertas non impedienda.*
§. 6. *Apprehenſio quæ intellectu fit, qualis.*
§. 7. *De moralitate actuum internorum, etiam meræ cogitationis.*

SUBSECTIO I.

De

Jure intellectus.

§. 1. *Integritas intellectus ad judicium, quod moraliter valeat, requiritur.*

§. 2.

§. 2. *Per imbecillitates intellectus à dementia quæ jura impediantur.*
§. 3. *Idem præſtat ebrietas.*
§. 4. *Etiam ſomnus impedit ſufficientem intellectus uſum, & jurium, ad quæ ille eſt neceſſarius, acquiſitionem.*
§. 5. *Contra jus ſuum vim paſſa voluntas quando obligationi in homine locum relinquat, & quando non.*

SUBSECTIO II.

De

Jure Senſuum.

§. 1. *Senſus in homine qua ratione moralitatis capaces ſint, & juris ſenſuum hinc quæ origines.*
§. 2. *Ius quid jam notet; & de quibus ſenſibus loquamur.*
§. 3. *Epicureorum quæ hic ſit diſciplina.*
§. 4. *Abuſus ſenſuum ad voluptates percipiendas reprehenſus.*
§. 5. *Omnibus ſenſibus peccare poſſunt homines.*
§. 6. *Etiam in ſenſuum internorum actus impuritates cadunt, & qua ratione.*
§. 7. *Pollutionis nocturnæ moralitas.*
§. 8. *De Venere in ſomnio imaginaria ex* Clem. Alex. *exemplum; & de moralitate actionum* Noctambulonis.
§. 9. *Iura ejus, cujus læſa eſt imaginatio, & qui dolo circumventus egit.*
§. 10. *Quale jus agendi beneficio viſus habeatur, & quando ad viſum provocare liceat.*
§. 11. *Viſu quando rei poſſeſſio acquiratur.*
§. 12. *Quid, ſi ex viſione rei plurium jus detur.*
§. 13. *Origines* juris luminum.
§. 14. *Iuri per viſum aliquid cognoſcendi contrariatur pulchritudo fucata.*

§. 15.

Digitized by Google

§. 15. *Concupiſcentia oculorum.*
§. 16. *Viſu deſtituti jura viſus per alios exercent.*
§. 17. *Auditus qua ratione jus teſtimonij deponendi conferat.*
§. 18. *Non audiendum, ut aliis malum injuſte creetur.*
§. 19. *Diſtinctius aurium abuſus notatus.*
§. 20. *Silentium quale injuſtum; mendacia etiam, aliјq; in ſermone doli, audientibus injuriam inferunt.*
§. 21. *Surdus an matrimonium, & ſponſalia contrahere; teſtari etiam poſſit?*
§. 22. *Noxio & peſtilenti fœtore hoſti nocere licet, non pacato.*
§. 23. *In edendo & bibendo cuilibet ſua relinquenda libertas, nec fontes, & cibi hoſtium veneno inficiendi.*
§. 24. *Ius tactus latius accipiendum, & complura comprehendit.*
§. 25. *Licet doloroſa pœna afficere, & quaſtiones per tormenta inſtituere.*
§. 26. *Mos tactu ferri candentis innocentiam probandi ſuperſtitioſus eſt.*
§. 27. *Memoria quando mereatur fidem.*
§. 28. *Lex oblivionis quid importet.*
§. 29. *Major minorq; oblivio jura oblivioſorum variat.*
§. 30. *Traditio quando, & qualem ad memoriam rei conſervandam mereatur fidem.*
§. 31. *Imperatum ſilentium loco oblivionis eſſe poteſt, quam etiam juvat.*

SUBSECTIO III.
De
Jure Affectuum.

§. 1. *Ratio inſtituti.*

Digitized by Google

§. 2. *Amor vitæ ſubordinatur amori Numinis.*
§. 3. *Cælibatus perpetuus imperatus, vel pacto promiſſus, improbatur.*
§. 4. *Dirigi quidem, ſed non cogi, vel decipi, vult amor.*
§. 5. *Amor inter parentes & liberos bona mutuo conciliat, noxia prohibet.*
§. 6. *Officia inter parentes & liberos non ſunt contra jura ſuperiora, & potiora.*
§. 7. *Officia humana ex ſociali amore mortalium orta.*
§. 8. *Per pocula amatoria amorem accendere non licet.*
§. 9. *Ex odio delicti, & ſceleris, multum læſis favoris oritur contra delinquentem.*
§. 10. *Diverſitas religionis non odium ferale gignere debet.*
§. 11. *Cauſæ odij inter gentes explicatæ, & tollendæ.*
§. 12. *Ex metu gravi commiſſa, quæ, & quo pacto valida & rata ſint.*
§. 13. *Ob vim, metumque, non licet ſe in integrum reſtituere, licet tamen à ſuperiori communi id petere.*
§. 14. *Ex metu agere nonnunquam licet, nonnunquam non licet.*
§. 15. *De metu ex ſuſpicione.*
§. 16. *Tempore perſecutionis, peſtis, fuga per ſe non eſt illicita.*
§. 17. *Periculis ſe temere offerre, vel in ijſdem verſari non licet.*
§. 18. *Periculis ſe offerre, eaq; adire, ſæpe peculiaris officij & vocationis ratio urget.*
§. 19. *Lætis temporibus talia concedi poſſunt, quæ publicam fovent lætitiam.*
§. 20. *Licet luctui cum ratione indulgere.*
§. 21. *Afflicti beneficiis, & ſolatio ſunt reficiendi.*

§. 22.

§. 22. *Reis ad ſupplicium ducendis licet moderate vinum propinare.*
§. 23. *Pro majori & minori ſperatâ rei probabilitate variant contractus & pacta.*
§. 24. Salæ *ſententia, de mutuatione factâ ſub ſpe recipiendi aliquid ultra ſortem, examinata.*
§. 25. *Ex deſperatione facta quando mereantur excuſationem.*
§. 26. *Deſperationem ſæpe audacia, & ſpes, ſæpe etiam timiditas ſequitur.*
§. 27. *Ad deſperata conſilia non facile deſcendere licet.*
§. 28. *Deſperatio ſancta quæ dicatur.*
§. 29. *Audacia deſperantis extraordinaria quo in caſu excuſetur.*
§. 30. *Furibunda deſperatio quæ.*
§. 31. *Deſperationis ex ſceleris conſcientiâ ortæ exemplum memorabile examinatum.*
§. 32. *Ius agendi ex ratione belli, & ſtatus, quando oriatur.*
§. 33. *Pudori ex dictaminibus rectæ rationis orto obſequendum.*
§. 34. *Vnde pudor oriatur; qui vel pudor primi generis: quidve hic prohibeat.*
§. 35. *Vel pudor ſecundi generis, & quæ illi contrarientur.*
§. 36. *Vis pudoris naturalis etiam in Barbaris.*
§. 37. *Tertij generis pudor quid urgeat.*
§. 38. *Etiam pudori alieno parcendum.*
§. 39. *An Mileſij pudorem virginalem ex jure puniendi juſte aggreſſi fuerint?*
§. 40. *Tiberij factum tyrannicum hac in re examinatur.*
§. 41. *Stupra in bellis illicita.*
§. 42. *Quando iraſci liceat.*

§. 43.

§. 43. *Vindicta quæ licita, quæ non.*
§. 44. *In iraſcendo modus tenendus.*
§. 45. *Quod ex calore iræ committitur, quale ſit.*
§. 46. *Expolitio hujus diſciplinæ ulterior; & de cæde adulteri.*
§. 47. *De calore juvenili.*
§. 48. *Affectuum moralitas variat, nec negligenda in pœnarum taxatione.*

SUBSECTIO IV.

De

Jure Corporis.

§. 1. *Oritur jus hoc ex præcepta corporis cura, & humanæ naturæ dignitate.*
§. 2. *Quid in corporis membra ex neceſſitate liceat.*
§. 3. *Pulchritudo corporis fucata improbatur.*
§. 4. *Nuditas corporis tegenda.*
§. 5. *Veſtium uſus neceſſarius eſt.*
§. 5. *Suus cuiq; ſexui proprius eſſe debet veſtitus.*
§. 6. *Ius exequiarum explicatur.*
§. 7. *Ius humandi mortuos probatur.*
§. 8. *Sectiones Anatomicæ licitæ.*
§. 9. *Licet corporales pœnas infligere.*
§. 10. *Scelerate commiſſa non inferri poſſunt pœnæ corporalis nomine.*
§. 11. *Stuprum cadaveribus humanis illatum, quale ſcelus.*

Digitized by Google

Articulus II.

De Jure Societatis humanæ & Chriſtianæ.

§. 1. *Ratio Ordinis.*
§. 2. *Boni publici prima omnium habenda ratio.*
§. 3. *Cui bonum privatum jure cedit.*
§. 4. *Appetitus rei alienæ eſt ex naturæ corruptione.*
§. 5. *Intereſſe univerſale humani generis requirit in vitâ ſociali ordinem imperandi atq; parendi.*
§. 6. *Iura imperantium ad intereſſe hujus cuſtodiam præſtandam.*
§. 7. *Quid ſocietati humani generis Chriſtiana religio conferat.*
§. 8. *Chriſtianam religionem minus ſocialem reddunt impia ſæpe additamenta: Gentilium calumniæ.*
§. 9. *Religio Chriſtiana non molles & ſuperſtitioſos homines facit.*
§. 10. *Regulis Chriſtianæ religionis jura & officia imperantium, & parentium, non tolluntur.*
§. 11. *Rerum ſufficientia in civitate quæ complectatur.*
§. 12. *Ius belli, & pœnarum, etiam inter Chriſtianos locum habet.*
§. 13. *Origo dominij eminentis.*
§. 14. *Ius partis majoris.*
§. 15. *Vbi locum habeat hoc jus, ubi minus: ſcil. non in rebus fidei.*
§. 16. *Vtile in vita ſociali cedit honeſto, etſi utrumq; intereſſe generis humani univerſale conſtituat.*
§. 17. *An civis innocens hoſti tradi poſſit.*

§. 18. *Deditio hujuſmodi facta excuſanda potius, quam probanda.*

§. 19. *Origines jurium, & ordinis agendi in civitate, & humani generis ſocietate, explicantur.*

§. 20. *Fides publica etiam hæreticis debetur, & in bello obtinet.*

§. 21. *Societas inter imperantes & parentes in civitate, & quæ iſtorum jura.*

§. 22. *Societas nuptialis, & quæ ejus jura.*

§. 23. *Societas, & jura, inter parentes & liberos.*

§. 24. *Societas inter herum & ſervum, & quæ ejus jura.*

§. 25. *Societates hæ, & quæ ſecum ferunt officia & jura, per religionem Chriſtianam non tolluntur.*

§. 26. *Diverſitas qua officia hæc ſunt Chriſtiana, & nude humana; vel fructus Spiritus ſancti, & actus virium naturalium tantum.*

§. 27. *Ius Chriſtianorum ad commoda hujus vitæ percipienda.*

ARTICULUS III.

De

Jure Sacrorum.

§. *Ratio ordinis & inſtituti.*

SUBSECTIO I.

De

Jure circa Religionem.

§. 1. *Ratio diſciplinæ tradendæ.*

§. 2. *Imperfectio religionis naturalis.*

§. 3. *Salutaris & vera religio eſt ex revelatione externa.*

§. 4.

Digitized by Google

§. 4. *Ratio religionis primitus conſtituenda naturalis in ſtatu ſociali extralegali, contra* Scioppium, *&* Bellarminum.

§. 5. *Vlterior conſtitutionis hujus explicatio, contra eoſdem.*

§. 6. *Limitatio dictorum, cum cenſura* Houtuyni *&* Hobbij.

§. 7. *Pacto humano quomodo hic relinquatur locus, rurſus contra* Sciopp.

§. 8. *Ratio religionis conſtituenda in ſtatu legali & civili.*

§. 9. *Factum Helliſtai, victis Homeritis, hominibus Paganis, Chriſtianum, qui illis imperaret, præponentis probatur.*

§. 10. *Chriſtiani Imperatores citra idololatriæ crimen Pontificis Maximi titulum aſſumere potuerunt.*

§. 11. *An, & quo in caſu, Evangelicus Epiſcopus poſſit diverſæ religionis Principem in Coronationis actu ungere?*

§. 12. *Licet Miniſtro, vel ſervo, Dominum & herum ſuum comitari ad diverſa ſacra officij politici, vel ſervitij cauſa.*

§. 13. *Quid circa parvulos Iudæorum, baptiſmi cauſa, liceat.*

§. 14. *Pater Ottomannus à Melitenſibus captus, & ſacris Chriſtianorum initiatus jure victoriæ.*

§. 15. *Ius religionis liberorum eſt ordinarie ſub directione parentum.*

§. 16. *Inter Conjuges quale jus religionis.*

§. 17. *Iura religioni falſæ in externa ſocietate ex neceſſitate concedenda.*

§. 18. *Diſtinctio inter religionem internam & externam examinatur.*

§. 19. *Ex propoſito nemo eſt impietatibus imbuendus.*

§. 20. *Diſſenſus in religione per ſe non debet tollere commercium humanum.*

§. 21. *Poſſunt in civitate diverſæ tolerari religiones ſic urgente ſufficienti cauſa.*
§. 22. *Non licet ob temporalia commoda quamlibet recipere religionem.*
§. 23. *Maimburgij diſtinctio examinatur.*
§. 24. *Magiſtratus curam gerere debet religionis adverſus corruptelas, ne quid innovetur.*
§. 25. *Vſus ad hunc finem librorum ſymbolicorum.*
§. 26. *Ius Principis formulas doctrinæ publicas confirmandi.*
§. 27. *Libris Symbolicis noſtrarum Eccleſiarum quomodo ſubſcribendum.*
§. 28. *An iiſdem limitate, & cum reſervatione mentali, ſubſcriptio facienda.*
§. 29. *Categorice illis ſubſcribi debet, quia ſcil. cum verbo DEI conveniunt.*
§. 30. *De juramento religionis quid habendum.*
§. 31. *Sciente, & conſentiente Magiſtratu id præſtari debet.*
§. 32. *Lutherus non fuit perjurus.*
§. 33. *Qua ratione erroneæ religioni ſecuritas promittatur.*
§. 34. *Quæ ſit indoles pacis religioſæ.*
§. 35. *Non ſemper cooperatur ad falſam religionem, qui liberum ejus exercitium permittit.*
§. 36. *Pro illis, qui ob religionem patiuntur, ab aliis pacate intercedere licet.*
§. 37. *Vi vero, & armis, per ſe intercedere non licet.*
§. 38. *Iuſte ab imperantibus innovatio in religione prohibetur: Iuſte etiam contra religionis falſæ ſectarios, ne irrepant, edicta promulgare licet:*
§. 39. *Vt & edicta contra apoſtaſiam à vera religione.*

SVB-

Digitized by Google

INDEX.

SUBSECTIO II.

De

Imperij & Sacerdotij jure concurrente circa ſacra.

§. 1. *Officium Sacerdotum in Eccleſia.*

§. 2. *Imperium civile cum ſacerdotio, h. e. miniſterio Eccleſiaſtico, ordinarie in eadem perſona non conjungitur.*

§. 3. *Competit poteſtati civili poteſtas aliqua Eccleſiaſtica externa circa religionem & ſacra.*

§. 4. *Imperio civili & Miniſterio Eccleſiaſtico quæ propria, quæ communis poteſtas.*

§. 5. Paulus Voetius *poteſtatem imperantium in ſacris externam plus juſto coercet.*

§. 6. *Sacerdotij neceſſitas.*

§. 7. *Inſtitutio ordinum inter miniſtros Eccleſiæ in* N. T. *eſt humani juris, divino tamen concedente.*

§. 8. *Nimius rigor Scotorum in abrogando regimine Epiſcopali: Independentiſmus quid?*

§. 9. *Neceſſitas hujus doctrinæ ad tranquillitatem civilem oſtenditur.*

§. 10. *Regimen Eccleſiæ externum accommodari poteſt ad formam Reip. ejuſq; indolem.*

§. 11. *Intereſſe civilis imperij in conſtitutione formæ regiminis Eccleſiaſtici.*

§. 12. *Non præcipue, & neceſſario Monarchicum id eſſe debet: Error* M. Anton. de Dominis *circa hanc quæſtionem notatus.*

§. 13. *Imperij eſt jus concilia cogendi;*

§. 14. *Et directio in iiſdem externa; item de actis judicium.*

Digitized by Google

§. 15. *Qua ratione competat eidem juriſdictio circa delicta Eccleſiaſtica.*
§. 16. *Item remotio miniſtrorum flagitioſorum.*
§. 17. *Sacerdotium jus armorum per ſe non habet.*
§. 18. *Imperij cum Sacerdotio concurſus ad religionis conſervationem, & ab erroribus repurgationem.*
§. 19. *An & qua ratione imperans infidelis, & Chriſtianus, jura circa ſacra teneant.*
§. 20. *Quid, ſi hoc in negotio vel imperium ſuum negligat officium, vel miniſterium Eccleſiaſticum diſſideat.*
§. 21. *Excommunicatio major Magiſtratus concurſum requirit.*
§. 22. *Etiam cauſæ matrimoniales ad eundem ſpectant, & Sacerdotium.*
§. 23. *Nec non jejuniorum ordinatio externa.*
§. 24. *Pauperum cura ejuſdem indolis eſt.*
§. 25. *De Reſtitutione, & Conſtitutione diſciplinæ Eccleſiaſticæ idem cenſendum.*
§. 26. *Vt & de Ceremoniis Eccleſiaſticis.*

SUBSECTIO III.

De

Jure quoad bona Eccleſiaſtica.

§. 1. *Bonorum Eccleſiaſticorum antiquitas.*
§. 2. *Illorum diſpenſatio pertinet ad imperium civile.*
§. 3. *Eorundem ſeculariſatio.*
§. 4. *Illorum uſusfructus etiam hæreticis concedi poteſt.*
§. 5. *Ius Regaliæ.*
§. 6. *In bonis temporalibus ad Eccleſiæ uſus aſſignandis modum excedere, Reip. non conducit.*

SECT. III.

Digitized by Google

SECTIO III.

ARTIC. I.

De Jure neceſſitatis.

§. 1. *Neceßitatis diverſitas.*

§. 2. *Neceßitas honeſtatis quotuplex, & quæ vis ejuſdem.*

§. 3. *An liceat uxori ad liberandum maritum, ipſo ſciente & volente, corporis ſui uſum impudice alteri concedere?*

§. 4. *Neceßitas incolumitatis quam multiplex, tam belli, quam pacis tempore; & quæ vis ejuſdem.*

§. 5. *Neceßitas commoditatis qualis.*

§. 6. *Neceßitas ſuos habet gradus; unde hi arceſſendi, diverſis caſibus oſtenditur.*

§. 7. *Nominata neceßitate, quæ jus agendi largiatur, non ſemper extremus neceßitatis caſus intelligitur.*

§. 8. *Ex neceßitate oritur ratio agendi extraordinaria, & ſubſidiaria.*

§. 9. *Quando, & quo caſu id fiat.*

§. 10. *Neceßitas quo pacto actionem ab obligatione legis eximat.*

§. 11. *Exceptio ſummæ neceßitatis explicatur.*

§. 12. *Ius neceßitatis ex cuſtodia vitæ honeſta, & amore ſui ortum.*

§. 13. *An actus virtutis præcipere liceat ſub certo vitæ periculo?*

§. 14. *Dato neceßitatis irreſiſtibilis caſu, quando jus agendi ex diſpenſatione natum cenſeri debeat.*

§. 15. *De iis quæ urgente neceßitate fiunt ex propoſito innocente.*

Digitized by Google

§. 16. *Ius agendi intuitu illorum, quæ extra propoſitum acciderunt, & accidere poſſunt.*
§. 17. *Quid de facto Greij,* Angli, *deditios tumultus ſuorum vitandi cauſa occidentis, habendum.*
§. 18 *Impulſu neceſſitatis agens, ſua culpa in eam ne ſit lapſus neceſſe eſt.*
§. 19. *Quæ ex neceſſitate licite fiunt, etiam unici medij, ratione iſtius ſtatus in quo res ſunt, rationem habere debent,*
§. 20. Ex *neceſſitate non facienda mala, ut inde eveniant bona.*
§. 21. *Quæ ſunt inſtituti, promiſſi, & pacti humani, habent exceptionem ſufficientis neceſſitatis, & impoſſibilitatis moralis.*
§. 22. *Contra jus ſuperioris, vel paris, quando neceſſitas facultatem agendi concedat, & non concedat.*
§ 23, *Ius neceſſitatis non eſt ultra neceſſitatem extendendum: Simulacrum juris quod ſæpe hic datur.*
§. 24. *Damnum ex neceſſitate alteri datum reſarciendum eſt.*
§. 25. *Quæ ſit obligatio LL. divinarum naturalium dato neceſſitatis caſu.*
§. 26. *Ordo inter LL. naturales ratione obligationis.*
§. 27. *Ratio hujus ordinis ulterius docetur.*
§. 28. *Applicatio dictorum ad jus agendi ex neceſſitate, quid liceat, & non liceat.*
§. 29. *Non licet facere minus malum, ut evitetur majus.*
§. 30. *Caſus de ſeptem Britannis, qui in mari jactati, urgente fame, ſorte in cibum ſe cæteris tradiderant, expenditur.*

§. 31.

Digitized by Google

§. 31. *Factum Lothi Sodomitarum libidini, quo hoſpites conſervaret, filias exponentis, examinatur.*

§. 32. *Neceſſitas quid permittat, & quam facto veniam pariat.*

§. 33. *De promiſſione, etiam in perpetuum duratura; idque in negotio alias non probando, ex neceſſitate facta.*

§. 34. *Neceſſitatis caſu etiam in juribus religionis, & Eccleſiæ, aliquid extraordinarie diſponere licet, ordinariè alias illicitum.*

§. 35. *De obligatione promiſſionis neceſſaria, per vim & metum extorta.*

§. 36. *Limitatio promiſſionis & permiſſionis rei illicitæ, ex neceſſitate facta, ob caſum lege non definitum, & periculum Phyſicum, damnum item majus, aliter inevitabile.*

§. 37. *De ſilentio ex neceſſitate promiſſo: & ſigillo confeſſionis.*

§. 38. *Ex neceſſitate vera commiſſa, quare veniam, vel minorem pœnam mereantur.*

§. 39. *Qualis ordo inter caſus neceſſitatis detur.*

§. 40. *Quilibet ſuam neceſſitatem optime ſentit & definit.*

ARTICULUS II.

De

Jure Charitatis.

§. 1. *Diverſitas diſciplinæ de Charitate notata.*

§. 2. *Charitas in univerſalem, Chriſtianam, & fraternam diſtincta.*

§. 3. *Charitas, ſeu amor generalis erga omnes homines, explicatur.*

§. 4. *Comprehenſio hæc eſt ſummaria Iuris naturalis.*

§. 5. *Cur lex naturæ ſit lex Charitatis univerſalis.*

§. 6. *Coincidit hæc Charitas cum juſtitia univerſali.*

§. 7. *Charitas Chriſtiana etiam erga omnes homines fertur.*

§. 8. *Dicitur hæc etiam Fraterna, & cur.*

§. 9. *Diſtingui poteſt Charitas in præcipientem, concedentem, & ſuadentem.*

§. 10. *Triplex hinc ex Charitate agendi jus ortum; ex præcepto ſcil. ejuſdem, conceſſione item, ad quam permiſſio refertur, & ſuaſione.*

§. 11. *Charitas ordinate incipit à ſe ipſa contra invaſores injuſtos.*

§. 12. *Non tamen contra jus ſuperioris.*

§. 13. *Ordo Charitatis in proximo diligendo.*

§. 14. *Quando amor ſui cedat amori alterius.*

§. 15. *Quomodo pro fratribus debeamus animam ponere: Devotorum, & uxorum apud Indos, marito mortuo, mos notatus.*

§. 16. *Factum Ribiſchij, vitam Mauritio Saxoni ſua morte ſervantis, probatum.*

§. 17. *Mater non tenetur diſſectionem ſui admittere, ut fœtus exeat.*

§. 18. *Inter plures illi, vel etiam illis, præ aliis Charitatis opus præſtandum, qui rationum momentis reliquos vincit, primo loco aſſignato Patriæ, & Principi.*

§. 19. *De Charitatis inter conjuges debito.*

§. 20. *De ordine inter parentes, liberos, & iſtorum genitores; cæteroſq; conſanguineos.*

§. 21. *De ordine inter herum, & ſervum, hujusq; parentes.*

§. 22. *Extraneis, etiam fœderatis, præferendi cives.*

§. 23.

§. 23. *Inter extraneos ordinem facit propinquitas fœderis, & inter fœderatos fœderis tempus.*

§. 24. *Tempus, & locus, qua ratione ordinem in Charitatis officiis faciant.*

§. 25. *Idem monet religio, quoad fidei conſanguineos.*

§. 26. *Cauſæ bonitas etiam præfertur, præ majori utilitate.*

§. 27. *Etiam virtus referri debet inter rationes ordinis.*

§. 28. *Bene de nobis etiam meritus aliis præfertur, cæteris tamen paribus.*

§. 29. *Qua ratione neceſſitas ordinem officiorum Charitatis faciat; & quid famis tempore in peregrinos liceat.*

§. 30. *Officia Charitatis præſtantur pro ratione, & ordine graduum neceſſitatis.*

§. 31. *Periculum alapæ accipiendæ, vel ſimile, qua tale, cum cæde inimici arcere Charitas non probat.*

§. 32. *Quid juris circa rerum defenſionem Charitas largiatur.*

§. 33. *De cenſibus annuis, & uſuris.*

§. 24. *Pœna juſta, etiam gravior, Charitati non repugnat.*

§. 25. *Ob malos mores proximum, etiam integras gentes, corripere, & monere licet.*

§. 36. *Charitas urget temperamentum juris belli.*

§. 37. *Diſtinctio inter Charitatis legem, & conſilium, explicatur.*

§. 38. *Quæ ex Charitatis exſuperantia fiunt, terminum ſuum habeant τὸ* ſicut noſmetipſos, *non* ultra.

Digitized by Google

ARTICULUS III.

De
Jure Patientiæ.

§. 1. *Patientia quid; & qui patientes.*

§. 2. Grotij *error, de majori & exactiori in* N. T. *patientia, notatur.*

§. 3. *Quorum malorum perpeſſio ſit patientia.*

§. 4. *Sui defenſio patientiæ non contrariatur, ſed privata ultio.*

§. 5. *Ad cæcam patientiam ſui deſtructionem admittendi, citra meritum, & à quovis, nemo tenetur.*

§. 6. *Obligatio ad patientiam qualis, & quæ ejus ratio.*

§. 7. *Ob* DEI *gloriam, & patriæ ſalutem, ferente ſic occaſione, moriendum eſt: Zopyri factum improbatum.*

§. 8. *Vt & Codri; Leonidæ, & fratrum Philænorum: Laudatum autem factum Simſonis.*

§. 9. *Vindicta privata probibita eſt.*

§. 10. *De patientia ſubditorum datis imperantium injuriis.*

§. 11. *Factum Coriolani, Romam oppugnantis, examinatur.*

§. 12. *Imperante in populum ipſum ſæviente, tutius ſuadetur tolerantia, quam reſiſtentia.*

§. 13. *Præcipit patientiam etiam, ſuadetq; eandem neceſſitas boni ordinis.*

§. 14. *Item Charitas proximi, ejuſq; ordo.*

§. 15. *Exigit eandem etiam ratio officij nonnunquam in in bello, & in pace.*

§. 16. *Papiniani patientia defenſa contra* Bodinum.

§. 17. *Neceſſitati inſuperabili cedere, & prudenter eidem ſe accommodare decet.*

§. 18.

Digitized by Google

§. 18. *Inhoneſtorum etiam honeſta datur patientia.*
§. 19. *Lucretiæ ἀυτοχειρία improbatur.*
§. 20. *An, & quid ex patientia juſte agere liceat?*
§. 21. *Injuſtum aggreſſorem quando prævenire licet.*
§. 22. *Vim illatam repellere, & contra eam ſe defendere licet.*
§. 23. *Contra mala inſuperabilia etiam fuga per ſe eſt conceſſa.*

SECTIO IV.

De

Jure Belli.

§. 1. *Licet bellum gerere.*
§. 2. *Rectius per ſtatum, eumq; ſubſidiarium, quam per actionem, bellum definitur.*
§. 3. *Requiſita ad belli juſtitiam.*
). 4. *Qualis ſocietatis humanæ, ejuſdemq; jurium diſſolutio belli ſtatu detur.*
). 5. *Finis belli, & cauſæ, ob quas juſte bellum geritur, explicantur.*
. 6. *Iuſte bellum geritur ob rerum noſtrarum, & perſonarum, defenſionem.*
. 7. *An rerum defenſione etiam religio contineatur?*
. 8. *Defenſionis armatæ neceſſitas explicata.*
. 9. *Ejuſdem juſtitia aſſerta.*
. 10. *Belli pœnalis juſtitia in quo fundetur.*
. 11. *Bellum ab inferioribus adverſus ſuperiores, qua tales, illegitime ſuſcipitur, & geritur.*
. 12. *Vindicta publica locum habet inter gentes pares.*
. 13. *Injuſte ablata legitime armis repeti poſſunt.*

§. 14.

Digitized by Google

§. 14. *Clarigationem autem præmittere decet.*
§. 15. *Iuſtitia etiam, & æquitas, in modo gerendi belli obſervari debet.*
§. 16. *Licet juſtis ex cauſis orthodoxo arma ſociare cum heterodoxo, adverſus alium orthodoxum, caute modo fiat.*
§. 17. *Chriſtianis militibus à Chriſtianorum ſignis ad Turcarum, & infidelium caſtra, transfugere non licet.*
§. 18. *Militia mercenaria ægre conceſſa, & non niſi cateris paribus.*
§. 19. *Idem de voluntario milite pronunciatur.*

SECTIO V.

ARTICULUS I.

De

Jure perfecto & imperfecto,

ejuſq;

Principiis.

§. 1. *Explicatio hujus diviſionis.*
§. 2. Feldeno *eadem improbatur.*
§. 3. *Contra quem denuo aſſerta defenditur.*
§. 4. *Non eodem modo omnes res aliis debentur.*
§. 5. *Vnde proveniat, quod res diverſimode debeantur.*
§. 6. *Quæ ex virtute debentur, poſtulantur, & praſtantur, ceu officia vitæ ſocialis debita.*
§. 7. *Quæ jure perfecto debeantur, atq; poſtulentur.*
§. 8. *Quod in juſtitia diſtributiva jus perfectum locum habeat, cum* Pufendorfio *aſſeritur contra* Grotium.
§. 9. *Prætenſiones qualis juris ſpecies ſint.*

§. 10.

Digitized by Google

§. 10. *Quomodo continuentur, & conſerventur.*
§. 11. *Proteſtationum uſus & finis.*
§. 12. *Res bello juſto captæ fiunt capientium I. N. non Gentium tantum.*
§. 13. *Injuriæ deſcriptio; quæ legitime vindicatur, niſi ſatisfactio, & damni dati reſtitutio facta fuerit.*
§. 14. *Remiſſio debitæ ſatisfactionis ab æquali, non à Rectore, & Iudice fieri poteſt.*
§. 15. *Quæ ex virtute, hominibus utilitatem adferente, debentur, non pertinent ad juſtitiam diſtributivam.*
§. 16. *Quæ ex exuperantia præſtantur, non debentur jure imperfecto.*
§. 17. *Obligatio imperfecta ſic dicitur reſpectu fori humani, non divini.*
§. 18. *An, & quando jus imperfectum in perfectum tranſire queat?*
§. 19. *Vſus hujus diviſionis, juris ſcil. in perfectum & imperfectum.*
§. 20. *Etiam ea quæ jure imperfecto debentur, varie pactis, atq; legibus poſſunt reſtringi atq; limitari.*

ARTICULUS II.

De

Principiis, ſeu origine juſti & decori.

§. 1. *Ius qua ratione idem quod juſtum.*
§. 2. *Quo pacto juſtum negante potius ſenſu, quam affirmante, tale dicatur.*
§. 3. *Vnde ratio & æſtimatio hujus juſti petenda?*
§. 4. *Sententia* Velthuyſij, *rationem juſti & decori in actioni-*

Digitized by Google

ctionibus humanis, ad conſervationem ſui reducentis explicatur.

§. 5. Nec plane improbatur.

§. 6. Non in ratione juſti, ſed in objecto actionis juſtæ mutatio contingit.

§. 7. Variatio hæc diſtinctius oſtenditur; unde origines decori manant.

§. 8. Carneadis, Hobbij, Velthuyſij etiam, legem conſervationis laxius juſto extendentis, diſciplina notatur.

§. 9. Diſtinctius docetur, unde mortales ſibi invicem aliquid debeant.

§. 10. In quo conſiſtat juſtitia facti externa, & quis ejus effectus.

§. 11. Cauſa juſtitiæ hujus exterioris in factis, quæ rectius ratio juſti interioris & æqui vetuerit, docetur.

§. 12. An, & quid gentibus hic placuerit, & quam ob cauſam?

§. 13. Cur factum, quod LL. civiles turpia & injuſta pro honeſtis & juſtis pronuntiaverint?

§. 14. De actionibus in quibus æſtimatio juſti ambigua eſt.

§. 15. Neceſſitas an, & quando, principium juſti & recti eſſe poſſit?

§. 16. Innocens propoſitum, an, & quouſq; in opere injuſto excuſet?

§. 17. Ratio ſtatus, & belli, an ſit principium juſti & recti extraordinarium?

§. 18. Status rerum extraordinarius extraordinarium quoq; jus agendi largitur, ob mutationem objecti.

§. 19. Vbi, & quando objecti, rerumq; ſtatus mutatio talis contingit, ut contrariæ actiones locum obtineant.

§. 20. Decori unde petenda principia.

CORO

Digitized by Google

CORONIS.

De
Juris & Imperij divini reſervatis.

§. 1. *Ratio tradita hujus diſciplinæ.*

§. 2. *Ratio divini regiminis, cui univerſum genus humanum ſubjacet, requirit, ſummo ejus tribunali quædam etiam eſſe reſervata.*

§. 3. *Reſervata hæc divinæ bonitati, ſanctitati, & juſtitiæ non contrariantur.*

§. 4. *Reſervatorum horum cauſa impulſiva interna eſt partim* DEI *bonitas, ejus gratiam, miſericordiam, & amorem erga homines complexa.*

§. 5. *Partim ejuſdem juſtitia, ad quam non fruſtra homines interdum provocarunt.*

§. 6. *Diriguntur hæc divina reſervata itidem ejuſdem bonitate.*

§. 7. *Iuſtitiâ etiam rectoriâ, cui Ebræorum Iudicum excitatio non contrariatur.*

§. 8. *Atq; ſanctitate; cui Pharaonis induratio non repugnat.*

§. 9. *Actuum* DEI, *qua ſupremus is Legislator eſt, quæ indoles.*

§. 10. *Eorundem, qua ſupremus rerum idem Dominus eſt, quæ ratio.*

§. 11. *Et eorundem, qua Iudex idem in orbe ſummus.*

§. 12. *Agnoverunt reſervata hæc, & Chriſtiani, & ſaniores Gentiles.*

§. 13. *Reſervavit ſibi* DEVS *jus ſe immiſcendi, & interveniendi conſiliis, & rebus humanis.*

§. 14. *Reſervatum divinum eſt Heroum miſſio.*

Digitized by Google

§. 15. *Jus item ejuſdem ſupremum in res omnes, vitam etiam noſtram, & diſponendi de iiſdem.*

§. 16. *Etiam rerumpublicarum Origines & Fata.*

§. 17. *In DEI manu ſunt eorundem periodi, & revolutiones. rideat licet* Machiavellus.

§. 18. *Penes eundem eſt jus reſpublicas puniendi.*

§. 19. *Atq; ſupremos imperantes, ob delicta.*

§. 20. *Reſervavit ſibi DEUS jus liberum puniendi quoſvis, ob occulta etiam peccata, ubi, & quando ipſi viſum fuit.*

§. 21. *Solius DEI eſt peccata peccatis punire.*

§. 22. *Ad eundem pertinet cordis regii directio; & reſervata alia.*

FINIS.

Digitized by Google

AD
LECTOREM.

Pag. 5. lin. 8. *lege* ἐπιγνώσει. P. 7. l. 20. *poſt* Lex: *adde*: Vel prout *notat facultatem ad aliquid*; qualitatem nimirum moralem perſonæ competentem ad aliquid juſte habendum, vel agendum. P. 23. l. 20. *pro* ſi, *lege* ſit. P. 56. l. 1. *pro* κἀκεῖνω *lege* κἀκεῖνω. P. 61. l. 22. *pro* vivi *lege* viri. P. 86. l. 21. *pro* inſerre *lege* inferre. P. 109. l. 22. *pro* quod *lege* quoad. P. 129. l. 18. *pro* obliget *lege* obligaverit. P. 146. l. 16. *dele* non ſolum. P. 457. l. 27. *pro* qua *lege* quæ. P. 460. l. 2. *pro* intoduci *lege* introduci. Ibid. l. 12. *poſt* ſit *adde*, quod non diſplicet *Houtuyno*, JCto Belgæ, & *Hobbio*. ibid. l. 20. *poſt* ſi, *lege* coram hominibus. P. 468. l. 9. *poſt* ſacris, *adde*, jure victoriæ. Pag 481. lin. 5. *poſt* alias, *adde* à nobis tales. Pag. 488. lin. ult. *pro* quæſtionem explicationem *lege* quæſtionis explicationem. P. 526. l. 24. *pro* nec, *lege* ne. P. 545. l. 13. *pro* lupeſcat *lege* diffidcat. P. 547. l. 9. ſq. *pro* lupeſcentis *lege* diffidentis. P. 619. l. 21. *pro* promoventur, *lege* promovetur. P. 626. l. 7. *pro* Confeſſorem, *lege* Confeſſarium. P. 646. l. 19. *poſt* potius, *adde* ſalvo tamen bono ordine. P. 665. l. 19. *pro* exiverun, *lege* exiverunt. P. 712. l. 9. *pro* conſulerat *lege* conſuluerat. Ib. l. 23. *pro* reſiſtat *lege* reſiſtit. P. 723. l. 7. *pro* Turcarem *lege* Turcarum. P. 724. l. 20. *pro* afflictu *lege* afflictis. P. 727. l. 30. *pro* ergna *lege* erga. P. 746. l. 22. *pro* utrique homini *lege* utique homini eſt dolenda. P. 755. l. 4. *pro* peticulum *lege* periculum. P. 779. l. 26. *poſt* noſtra *adde* libera. P. 795. l. 21. *pro* deſivit *lege* deſinit. P. 819. l. 15. *pro* rationi *lege* ratione. Ibid. l. 27. *pro* convenienter *lege* inconvenienter. P. 843. l. 8. *pro* Regnum *lege* Regum.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google